UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

urn:nbn:de:hbz:466:1-66426

Visual Library

Th. 5178.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLAUDII FLEURII
ABBATIS
HISTORIA ECCLESIASTICA
A QUODAM ANONYMO CONTINUATA,
ATQUE A
R. P. ALEXANDRO
A S. JOANNE DE CRUCE CARMELITA EXCALCEATO
PROVINCIÆ BAVARICÆ, OLIM S. THEOLOGIÆ
AC SS. CANONUM LECTORE
LATINE REDDITA, NOTISQUE CASTIGATA.

CONTINUATORIS
TOMUS TERTIUS,
SEU IN ORDINE
TOMUS XXVII.

Collegii S. J. Cad. 1768

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441.

AUGUSTÆ VINDELICORUM & OENIPONTI
IMPENSIS JOSEPHI WOLFF. MDCCLXVIII.
Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRÆFATIO.

Accipe, erudite Lector, Fleurianæ Hiſtoriæ, cujus continuationem latine reddendam ſuſcepimus, volumen tertium, ſeu in ordine operis vigeſimum ſeptimum, in quo luculenta prorſus divinæ Providentiæ conſilia erga Eccleſiam ſuam emicant. Deſcribitur enim Concilium Baſileenſe, ac Florentina Synodus, duo ſane documenta, ex quibus non modo verbis, ſed & facto comprobatum habetur, Eccleſiam perſæpe premi, opprimi nunquam, nec unionem unitatemque Eccleſiæ ſine unitate viſibilis capitis unquam conſervari, minus a membris fructum boni operis proferri poſſe, niſi illa uni ſuo capiti unita, ei-

demque ſint ſubjecta, atque ad illius præſcriptum ſeſe moveant. *Eccleſia*, inquit S. Cyprianus, *una eſt, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur: quomodo ſolis radii multi ſed lumen unum, & rami arboris multi, ſed robur unum tenaci radice fundatum, & cum de fonte rivi plurimi perfluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur, ex abundantis copiæ largitate, unita tamen ſervatur in origine. Avelle radium ſolis a corpore, diviſionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: a fonte præcide rivum, præciſus areſcet.*

Prima equidem Baſileenſis Synodi exordia pro utilitate Eccleſiæ copioſos admodum fructus pollicebantur; hujus enim arboris rami adhuc ſupremo ſuo Capiti, præaltæ velut radici, conjuncti adhærebant, Patresque ſacro zelo animati Concilium a Martino V. legitime indictum rite inchoabant, Præſide Juliano Cæſarino Cardinale, quem itidem Eugenius IV. Papa eo in munere confirmabat. Aſt ubi membra ſeſe ſupra

Caput

Caput erigebant, a ſummi Pontificis præſcripto recedebant, ejusque auctoritatem deprimere moliebantur, confeſtim pii ſtudii fructus in ſuo germine exaruit, & congregatio ſancte inchoata adeo turpiter in ſchiſma degeneravit, ut ipſa quoque membra ſemel a capite ſuo avulſa mutuis crebrisque inter ſe diſſidiis ſinderentur, tandemque *caput ab initio adeo pulchrum in deformem caudam, vel inſtar illius ominoſæ ſtatuæ in pedes luteos deſineret. Inde enim* inquit S. Cornelius Papa epiſt. 55. *naſcuntur ſchiſmata, quod Sacerdoti non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex cogitatur.* Nec Baſileenſibus ad honeſtandam rebellionem ſuam quicquam proderat reformandæ Eccleſiæ obtentus; omnia enim retroactæ ætatis Hiſtorica teſtantur monumenta, cunctos pæne hæreticos ſub ovina hac pelle aliquamdiu luporum indolem occultaſſe, tandem vero & ipſi cum ceteris lupis ululaſſe deprehenſi fuere, eoquod intra ovile ſub uno Paſtore minime reperti ſint. Ejusmodi homines Eccleſiam non reformant, ſed turbant, &

quamvis aliquamdiu prævalente eorum audacia triumphare credantur, extrema tamen gaudii luctus, & confusio occupat, tandemque exclamare coguntur, ergo erravimus! Omnes enim Ecclesiæ Historias pervolve, & deprehendes, nunquam ideo pacem Ecclesiæ fuisse redditam, eoquod illi, qui sub visibili capite congregati fuerant, rebellium Synagogis nomen dedissent, sed tunc primum auream Ecclesiæ ætatem rediisse, postquam ementiti ejusmodi reformatores vel ab ovili expulsi, vel facti pœnitentes ad sinum Matris suæ reversi sunt.

Luculentum hujus rei argumentum tibi, amice Lector, exhibet præsens Basileensis Synodi fatum; totam enim hujus Historiæ seriem attenta mente perpendas velim, & certo deprehendes, quod sensim, quo altius Basileenses ad fastigium rebellionis suæ adversus Eugenium ascenderint, eo glorioſius sese depressa Pontificiæ dignitatis auctoritas erexerit: Ecclesiam ubi vix respirare incipiebat ex teterrimo, quo per quinquagin-

quaginta omnino annos agitabatur, ſchismate, jam in novum detruſerunt Baſileenſes, ac perfricta fronte, vique aperta ſeſe penitus a ſummi Pontificis obſequio avulſerunt, eo temeritatis prolapſi, ut nulla auctoritate ſuffulti ſelectis ad arbitrium ſuum nonnullis ſimplicibus etiam Presbyteris contra morem omnium temporum poteſtatem fecerint, exauctorato legitimo Papam alium ſubrogandi. Enimvero non deerant, qui tum, ſi vel unquam ſupremam primi Capitis auctoritatem penitus extinctam credebant, ubi Eugenium Papam legitimum in jus vocatum, hæresis accuſatum, damnatum, ac ipſo demum ſolio deturbatum percipiebant, & quidem, *a Sacroſancta* (ſi ſuperis placet) *Synodo legitime in Spiritu Sancto Baſileæ congregata, quæ univerſalem Eccleſiam repræſentans immediate Deo poteſtatem habuiſſe*, ſingulis ferme momentis divulgabatur. Verum eo ipſo tempore creſcebat veri Pontificis auctoritas, ac ipſi etiam, qui paulo ante aperti illius hoſtes erant, jam palam ejusdem dignitatem profitebantur, ac nobiliores ex Basi-

leensi cœtu Præsules agnito errore ad summi Pontificis pedes tanto numero provolvebantur, ut seditiosorum conventus ad paucos admodum, eosque potissima ex parte ad simplices Presbyteros redigeretur, ita, ut vix triginta Præsules, ubi in Eugenium judicii acta instruebantur, numerarentur, illius autem depositioni inter septem duntaxat Episcopos unicus Archipræsul intereſſet; cum tamen ubi primam cum Papa reconciliationem inibant, satis frequens esset Synodus, ac circiter centum Prælati recenserentur, omnes mitris ornati.

Præterea observatu dignum, quod Basileenses, ubi Sigismundi Cæsaris, Franciæ, & Hispaniæ Regum, ceterorumque Principum interventu, vel propriæ conscientiæ stimulis adacti, rursum Capiti suo sese unire adlaborabant, multa decreta Ecclesiæ salubria condiderint, mox autem recrudescentibus primis contra Pontificis auctoritatem odiis, semetipsos mutuis altercationibus, ac dissidiis prosciderint, nil Ecclesiæ proficuum gesserint, sed fœdam sibi maculam,

lam, grandeque vituperium ſua agendi ratione accerſiverint, donec tandem ſeditioſi tam ipſius Dei vindicis flagello, quam ſacro Pontificis anathemate percuſſi, imo etiam profanis Principum armis diſperſi ac caſtigati ſuam Synagogam cum dedecore ſolvere ac ſepelire cogerentur.

Haud alius Eccleſiæ hoſtes exitus manet, quam ut hi vincantur, Eccleſia triumphet; ac perſæpe permittit Deus, ut ejus Sponſa denſis ſchiſmatum tenebris aliquamdiu obfuſcetur, propriique ejus filii ad meridianam lucem cæcutientes in Matrem ſuam exſurgant, quos tamen idem Numen paulatim ac veluti per gradus ad veri luminis conſpectum revocat, eo conſilio, ut Eccleſia novo ſplendore augeretur, & quondam in fide titubantes lumen obfirmata magis acie inſpiciendo pares fierent. Ita in turbida hac tempeſtate, ſic diſponente Dei providentia factum legimus. Nunquam enim per ipſos, qui paulo ante toto ſtudio ſupremam Papæ poteſtatem deprimere, ac penitus evertere conaban-

tur, ipsa Pontificis Majestas magis agnita, ac luculentius deprædicata fuit, quam durante ipso Concilio Florentino, sub quo cuncti, iique potentissimi Reges ac Principes, quamvis eorum nonnulli cetera Basileensium statuta acceptarent, illa tamen, quibus suprema Pontificis auctoritas labefactata fuit, unanimi omnium consensu damnarunt, omnesque se in Eugenii utpote veri ac legitimi Pontificis obedientia perseveraturos contestati sunt.

Tumultuabantur adversus summam primi Capitis, Patrisque jurisdictionem domestici ejusdem Filii, Deus vero a longinquis regnis exteros ad reddendum supremæ potestati testimonium evocavit, ac eo quidem tempore, quo vilipensam, atque ab ipsis Ecclesiæ membris depressam summi Pontificis auctoritatem cernentes, potius in suo schismate magis obfirmari, atque a reddendo obsequio, & quærenda cum Capite suo unione absterreri crederentur. Ita censebant, qui humanæ prudentiæ consilia spectabant, ast alia longe ratione res Eccle-

Ecclesiæ cœlesti dispensatione temperantur; Christus enim, ubi hostes in personam illius, quem suum, ac supremum in terris Vicarium constituit, potentius desæviunt, tunc manifestius auctoritatem, quam eidem concessit, tueri aggreditur. Quo unquam tempore, nisi post atrociſſima adversantium molimina gloriosius Pontificiæ ac supremæ potestatis testimonium audiebatur, quam ubi in generali Florentina Synodo non modo Latina, sed & Græca Ecclesia, ac præter Æthiopiæ Regem, ipsi quoque Armeni, Jacobitæ, Chaldæi, & Maronitæ summam in Romano Pontifice potestatem vindicabant, palam testabantur, eumque velut primum universalis Ecclesiæ caput venerabantur.

Agebatur in eodem Concilio de norma condendi decretum, quo Romani Pontifici Primatus publica fidei professione assereretur: Relinquebatur Græcis plena illud concipiendi libertas, & ecce! Græcorum Imperator, omnesque Orientalis Ecclesiæ Præsules suam hujus dogmatis fidem hunc in modum testatam

ſtatam reddunt: *Definimus, ſanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere Primatum, & ipſum Romanum Pontificem eſſe ſucceſſorem Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiusque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere, & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam a Domino noſtro JEſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum* (*) *in*

(*) Nihil moror Petri de Marca Pariſienſis Archiepiſcopi animadverſionem, qua *lib.* 3. *de Concordia Sacerdotii & Imperii cap.* 8. *num.* 5. contendit, Amanuenſium incuria, in primam hujus Concilii ex Græco in Latinum verſi editionem leve mendum in hoc verbo *quemadmodum* irrepſiſſe, cum tamen legendum eſſet, *quem ad modum*, ex eo innuens, quod *ex hoc ſenſu, ac Græcorum contextu conficiatur, Papæ privilegia eſſe explicanda, & exercenda ſecundum Canones, & ſecundum acta Conciliorum Oecumenicorum, ſcilicet octo Conciliorum, quæ ex*

in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.

Pari quoque submissione Jacobitarum Oratores Patriarchæ sui nomine, ceteri-

ex Occidentali, & Orientali Ecclesia constabant: ex contextus autem latini depravata lectione erui, plenam esse Papæ potestatem, idque probari actis Conciliorum & S. Canonibus. Quis autem non videt, contortam esse ejusmodi lectionem, & quis demum credat, quod Græci in re tanti momenti, ubi agebatur de limitanda Patriarchæ Constantinopolitani auctoritate, cujus erant tenacissimi, ambigua adeo voce hunc articulum concipere, & non potius novo eoque clarissimo decreto definire voluerint? Cur Marcus Ephesinus in ipso hoc Concilio hanc definitionem legens, ac demum Græci Constantinopolim reversi, ac rursum in schisma prolapsi, se a Latinis ambigua hac scribendi forma delusos fuisse, nunquam objectarunt? nonne profitebantur *Papam tanquam verum Christi Vicarium & Principis Apostolorum successorem, in B. Petro a Christo Domino plenam accepisse potesta-*

ceterique Orientales populi ad Eugenium ab exteris Regionibus missi supremam Pontificis auctoritatem (quam nunquam Synodali inferiorem, vel subjectam dicebant) eo tempore palam Florentiæ pro-

potestatem? Ergone S. Petrus duntaxat secundum modum, qui postea in actis octo Conciliorum Oecumenicorum & S. Canonibus præscribitur, hanc potestatem exercendi jus obtinuit? Itane Christus Dominus, ubi D. Petro *plenam* pascendi potestatem, seu hujus potestatis usum his verbis: *Pasce oves meas*, concesserat, addidit, vel subintellexit: *juxta octo Concilia, atque Canones?* Igitur Pontificiæ jurisdictionis usum unice ad Canonum & Synodorum præscripta restringi negamus, Pontifices vero nunquam contra S. Canones in rebus fidei egisse, nec agere defendimus; hos enim fidelissimos sacrorum Canonum, suorumque decretorum custodes, ac vindices semper extitisse constat. Quo autem consilio Petrus de Marca id dixerit, ipsus ad calcem citati capitis ingenue fatetur.

professi sunt, quo Filii, ac ejus Domestici Basileæ nil intentatum, inausumque reliquere, ut eandem, si fieri posset, sibi subjicerent, ac penitus everterent.

Ejusmodi divinæ providentiæ testimonia, veræque Ecclesiæ signa nobis ob oculos ponit Historia Ecclesiastica sincero calamo conscripta, quæ haud dubitat, æque rebellium etiam filiorum insultus ac crimina, quam pietatis, ac sanctitatis monumenta proponere, ut inde prudenti ac Catholico Lectori virtutis amorem, & vitii odium inspiret, ac inter ipsos furentium hostium ac seditiosorum impetus Ecclesiæ a Christo supra firmam Petram ædificatæ soliditatem claro, eoque perpetuo argumento testatam faciat. Hæc autem sinceritas in Ecclesiæ Annalibus ab Heterodoxo conscriptis vel maxime desideratur; hi enim vel toti sunt in exaggerandis recentis sectæ suæ progressibus, vel toti in proscindenda Ecclesiæ Catholicæ, suique Capitis auctoritate, adeo, ut si ex ejusmodi Historiis expunxeris ea scomata, mendacia, calumnias, siniſtras etiam recte facti

facti interpretationes, fabulas, ludibria, & convitia, quæ ibidem contra ſummos Pontifices, Præſules, ac Eccleſiæ ritus, legesque proterve, falſo, ac perfide congeſta reperiuntur, medius fidius, ex voluminoſo ejusmodi Annalium opere vix quatuor, aut quinque paginas a tali inquinamento intactas invenies. Hanc in rem quondam Vir a vera fide quidem alienus, cetera tamen generis nobilitate, morum honeſtate, nec non doctrina longe clariſſimus ingenue mihi fatebatur, „ nolle ſe Eccleſiæ hiſtoriam a ſuis conſcriptam legere; nihil enim in illis reperiri, quam contra Papiſtas (ita loquebatur) male conſarcinatas fabulas, & manifeſta dicteria; de ſuis vero vix unquam, quod Eccleſiæ, fideique veritatem probaret, recenſeri, ſuorum autem vitia, ſcandala, & jurgia ſtudioſe ſemper occultari, perinde acſi a mortuis erubeſcerent addiſcere, crimina fugere, & veritatem ſequi. „ Hæc ille.

Nos autem ut ex Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudio ac lectione copioſos fructus colligamus, in talem inquirimus Scriptorem, qui

qui nil veri dissimulat, & nihil falsi proferre attentat; veritatem enim, etsi forte odiosa sit, prudens Lector quærit, livorem & obtrectationem in Historico detestatur, ac econtra illum, qui de rebus Ecclesiæ, vel summorum Pontificum, ac Præsulum moribus nil nisi summæ Sanctitatis, ac in singulis integerrimæ vitæ exempla jactitat, aut ampla meritorum elogia promiscue venditat, jure pro adulatore habet, probe gnarus, quod Deus veræ Ecclesiæ, ejusque Capiti infallibilitatem in docendo, non vero in singulis morum innocentiam promiserit. Utrumque igitur in Historico fugiendum; *semper enim adulationi fœdum servitutis crimen: malignitati autem specie libertatis inest* (*).

Hæc si, benevole Lector, seria mente perpenderis, & Continuatori scribendi libertatem condonabis, & me excusatum habebis, quod in hoc volumine vix non instituti mei limites egressus, utriusque Conci-

(*) *Tull. Cic. in orat.*

Concilii Basileensis, & Florentini gesta crebris admodum annotationibus, an dicam, castigata magis quam illustrata tibi exhibeam. Non raro enim veritatis amore permotus, quæ ad hujus historiæ integritatem deficere videbantur, ex aliis Scriptoribus probatissimis supplevi, quæ autem quandoque ex sinistro in Papam animo, vel ex nimio erga Basileenses affectu contra veritatis leges prolata fuere, consulto hanc in rem Auctorum testimonio ac consensu emendavi, eo solum consilio, ut turpe ab honesto, verum a falso, pietatem ab improbitate æquo criterio secernere, legentibus pronum esset. His prævie animadversis, amice Lector, meum qualemcunque laborem æqui bonique consule, meosque errores, si qui sunt, pro tua humanitate benignius condona ac prudentiori judicio tuo emenda.

CON-

CONSPECTUS LIBRORUM.

LIBER CVI.

§. 1. Concilium Basileense. Pagina 1.
§. 2. Nonnullorum ad hoc Concilium concursus. 2
§. 3. Synodi initium. 3
§. 4. Cardinalis Julianus Basileæ. 4
§. 5. Eugenius Papa Synodum dissolvere meditatur. 5
§. 6. Sessio I. Basileensis Synodi. 8
§. 7. Conventus Bituricensis. 15
§. 8. Literæ encyclicæ Patrum pro continuatione Concilii. 16
§. 9. Sessio II. Concilii Basileensis. 17
§. 10. Papæ ad Cardinalem Julianum literæ de Synodo dissolvenda. 21

§. 11. Epiſtola I. Juliani Cardinalis ad Eugenium. 22.
§. 12. Bulla Eugenii Papæ pro diſſolvendo Concilio 28
§. 13. Epiſtola II. Juliani Cardinalis ad eundem Pontificem. 29
§. 14. Reſponſio Synodalis ad Eugenii Papæ Legatos. 35
§. 15. Seſſio III. Baſileenſis Concilii. 43
§. 16. Epiſtola Synodi ad Galliarum Regem. 45
§. 17. Bohemorum conſultatio de Oratoribus ad Synodum mittendis. 46
§. 18. Seſſio IV. Concilii Baſileenſis. 48
§. 19. Securitatis ſponſio Bohemis facta. ibid.
§. 20. Epiſtola Patrum Synodi ad Bohemos. 49
§. 21. Regimen Avenionenſis urbis Cardinali S. Euſtachii commiſſum. 53
§. 22. Seſſio V. Baſileenſis Synodi. ibid.
§. 23. Oratores Eugenii Papæ in Congregatione auditi. 55
§. 24. Synodi Patrum reſponſio ad Papæ Legatos. 57
§. 25. Seſſio VI. Baſileenſis Concilii. 58
§. 26. Seſſio VII. ejusdem Synodi. 59
§. 27. Seſſio VIII. 62
§. 28. Decretum de unica nonniſi Synodo habenda. 62

§. 29.

§. 29. Imperatoris edictum de tuenda Synodo. 63
§. 30. De Neapolitani Regni fatis. 64
§. 31. Res Poloniæ. 66
§. 32. Carmelitanæ Regulæ mitigatio. 67
§. 33. Congregatio S. Juſtinæ. 68
§. 34. Cenſura propoſitionis de Epiſcoporum monitis. 69
§. 35. Franciæ ſtatus. ibid.
§. 36. Arundelii Comitis obitus. 70
§. 37. Sfortia Roma profugus. 71
§. 38. Bohemorum Deputati Baſileæ. 72
§. 39. Oratio Juliani Cardinalis ad Bohemos. 73
§. 40. Reſponſum Rochiſanæ ad Juliani Cardinalis orationem. 74
§. 41. Quatuor articuli a Bohemis Synodo propoſiti. 75
§. 42. Quatuor hi articuli in quadam Congregatione examinati. 77
§. 43. Patrum reſponſa ad Bohemos. 78
§. 44. Bohemiæ Deputatorum ſententia. 80
§. 45. Oratio Juliani Cardinalis ad Bohemos. 81
§. 46. Deputati Synodales Pragam profecti. 82
§. 47. Seſſio IX. Baſileenſes Synodi. 83

§. 48. Seſſio X. 84
§. 49. Eugenius Papa ab Imperatore ſollicitatus. 85
§. 50. Legatio Pontificis ad Synodum. 86
§. 51. Legatorum Papalium oratio ad Synodum. ibid.
§. 52. Patrum Synodi reſponſum. 88
§. 53. Seſſio XI. Baſileenſis Synodi. ibid.
§. 54. Præſides a Papa ad Synodum miſſi. 91
§. 55. Legati Pontificii a Synodo repulſi. 93
§. 56. Regis Cypri ac Burgundiæ Ducis Oratores ad Synodum. 94
§. 57. Jurgia inter Burgundiæ & Sabaudiæ Ducum Oratores. ibid.
§. 58. Alia contentio inter S. R. I. Electores, & Burgundiæ Legatos. 96
§. 59. De concordia Sigismundi cum Eugenio Papa. 97
§. 60. Sigismundi ingreſſus in urbem. 98
§. 61. Sigismundi coronatio. 99
§. 62. Geſta Legatorum Synodalium apud Pragenſes. ibid.
§. 63. Communio ſub utraque ſpecie a Deputatis permiſſa. 101
§. 64. Deputati inter Bohemos diſſenſionem moliuntur. 102
§. 65. Seſſio XII. 105

§. 66.

§. 66. Decretum citationis adverſus Eugenium Papam. 106
§. 67. Decretum de electionibus. ibid.
§. 68. Epiſtola Eugenii ad Patres Synodi. 108
§. 69. Altera ejusdem Pontificis epiſtola. 110
§. 70. Seſſionis XII. Decretum a Papa abrogatum. ibid.
§. 71. Epiſtola Imperatoris ad Papam pro continuatione Synodi. 113
§. 72. Seſſio XIII. Baſileenſis Concilii. 114
§. 73. Diſſidia Eugenii cum Columnenſibus. 116
§. 74. Bellum a Mediolanenſi Duce Pontifici illatum. 117
§. 75. Luſitaniæ Regis obitus. 119
§. 76. Sigismundus Imperator Baſileam reverſus. 120
§. 77. Seſſio XIV. 121
§. 78. Formulæ pro revocanda Synodi diſſolutione Eugenio præſcriptæ. 122
§. 79. Papa Synodo adhærere pollicitus. 123
§. 80. Seſſio XV. ibid.
§. 81. Turcarum legatio ad Sigismundum. 125
§. 82. Deputati Papam ad pacem Eccleſiæ hortaturi mittuntur. 126
§. 83. Bulla, qua Eugenius ſe Synodo adhærere declarat. 127

§. 84. Papa Bullas contra Synodum emanatas revocat. 129
§. 85. Aliorum ſententia de hac Eugenii revocatione. 131
§. 86. Seſſio XVI. Baſileenſis Concilii. 133
§. 87. Congregatio, in qua Pontificis Legati ad Concilium admittuntur. 134
§. 88. Seſſio XVII. Baſileenſis Concilii. 135
§. 89. Jusjurandum Legatis injunctum. 136
§. 90. Legatorum auctoritas variis limitibus circumſcripta. 137
§. 91. Seſſio XVIII. 141
§. 92. Epiſtola Eugenii Papæ ad Synodum. 142
§. 93. Papa Romanorum ſeditionem evaſurus Florentiam ſecedit. 143
§. 94. Duo Cardinales a Synodo ad Papam ablegati. 145
§. 95. Seſſio XIX. Baſileenſis Synodi. 146
§. 96. Tractatus Synodi cum Græcis. 147
§. 97. Græcorum Legati ad Synodum miſſi. 148
§. 98. Pactionis capita cum Græcis. 149
§. 99. Græcorum Legati ad Synodum admiſſi; eorum pacta confirmata. 151
§. 100. Decretum Synodi de Judæis. 152
§. 101. Bohemorum res. 153
§. 102. Diſſidia inter Pragæ novæ, & veteris Præfectos. 154

§. 103. Utraque Praga a Catholicis capta. 155
§. 104. Bohemorum clades, & utriusque Procopii cædes. 156
§. 105. Mainardi artificium de Huſſitis penitus exſcindendis. 158
§. 106. Huſſitæ unaomnes in horreis combuſti. 160
§. 107. Deputati a Synodo ad Conventum Ratisbonenſem. 161
§. 108. Imperatoris quærimoniæ adverſus Synodum. 163
§. 109. Erici Regis epiſtola ad Synodum. 164
§. 110. Tumultus in Sueciæ Regno. 165
§. 111. Amadæus VIII. Sabaudiæ Dux Eremita. ibid.
§. 112. Jagellonis Poloniæ Regis obitus. 167
§. 113. Mors Ludovici Andegavenſis, & Joannæ Neapolis Reginæ. 168
§. 114. Epiſtola Joannis Comneni ad Papam 169
§. 115. Eugenius Papa a Jordano de Brice vindicatus. ibid.
§. 116. Dominicus Capranica Cardinalis. 170
§. 117. Conventio Synodi cum Græcis continuata. 174
§. 118. Seſſio XX. Baſileenſis Synodi. 176
§. 119. Decretum primum contra Concubinarios. ibid.
§. 120. Decretum II. de excommunicatis. 178
§. 121. Decretum III. de interdictis. 180

§. 122. Decretum IV. de appellantibus. 180
§. 123. Novi tractatus cum Bohemis. 181
§. 124. Renatus Andegavenſis a Joanna Neapolis Regina hæres nuncupatus. 182
§. 125. Idem a Burgundiæ Duce liber dimiſſus. 183
§. 126. Alphonſus a Genuenſibus captus. 184
§. 127. Alphonſus a Duce Mediolanenſi dimiſſus. 185
§. 128. Ducis Mediolanenſis conſilia de Pontifice capiendo. ibid.
§. 129. Pax opera Pontificis, & Synodi a Burgundo inita. 186
§. 130. Conventus Atrebatenſis pro pace inter Galliæ & Angliæ Reges, ac Burgundiæ Ducem. 188
§. 131. Atrebatenſis pacis conditiones. 189
§. 132. Articuli hujus concordiæ. 190
§. 133. Angli ob prædictam pacem Duci graviter indignati. 194
§. 134. Ducis Bedfordiæ & Reginæ Caroli VII. Matris obitus. ibid.
§. 135. Seſſio XXI. Baſileenſis Synodi. 196
§. 136. Decretum Synodale contra Annatas. ibid.
§. 137. Legati Pontificii huic Decreto obſiſtentes. 198
§. 138. Hoc Decretum ad Papam transmiſſum. 200

§. 139.

§. 139. Reſponſio Pontificis ad Decretum. 202
§. 140. Pontificis reſponſum a Juliano Cardinale confutatum. 203
§. 141. Decretum II. de pacificis Poſſeſſoribus. 205
§. 142. Decretum III. de divino officio. 206
§. 143. Sabaudiæ Dux de Synodo conqueſtus. 210
§. 144. Græci hinc ab Eugenio, illinc a Concilio ſollicitati. 211
§. 145. Græcorum conſenſus de Synodo in Occidente celebranda. 212
§. 146. Seſſio XXII. Baſileenſis Concilii. 213
§. 147. Auguſtini de Roma propoſitiones. 214
§. 148. Hæ propoſitiones a Baſileenſi Synodo damnatæ. 215
§. 149. Decretum Synodi adverſus Venetos. 216
§. 150. Comitia Francofordienſia pro reformatione Imperii. 217
§. 151. Prælium in Lithuania Livonienſibus funeſtum. 218
§. 152. Turcæ ab Hungaris devicti. 219

LIBER CVII.

§. 1. Neapolitani Regni inveſtitura Alphonſo ab Eugenio denegata. 221

§. 2. Alphonſus favorem Synodi aucupatus. 223
§. 3. Seſſio XXIII, Baſileenſis Concilii. 225
§. 4. De Profeſſione fidei a Papa emittenda. 226
§. 5. Numerus Cardinalium a Synodo ſtabilitus. 228
§. 6. De electionibus, & reſervationibus. 230
§. 7. Seſſio XXIV. Baſileenſis Synodi. 233
§. 8. Legati Pontificis indulgentiarum Decreto obluctantes. 234
§. 9. Reſponſum Synodi ad Eugenii querelas. 235
§. 10. Congregationes de ſeligendo loco Concilii in cauſſa unionis celebrandi. 236
§. 11. Alphonſus a Vitelleſcho Italia pulſus. ibid.
§. 12. Seminarium Clericorum ab Eugenio Florentiæ inſtitutum. 237
§. 13. Iglaviæ Conventus pro concordia Bohemorum. 238
§. 14. Communio ſub utraque ſpecie Bohemis permiſſa. 239
§. 15. Unio Bohemorum ab Imperatore confirmata. 240
§. 16. Hæc pacta a Cæſare firmata. 242
§. 17. Sigismundus Imperator Pragam ingreſſus. 243
§. 18. Canonizatio Petri de Lucemburgo a Burgundiæ Duce petita. 246

§. 19.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. 19. De rebus Franciæ. 247
§. 20. Lutetia Parisiorum potestati Anglorum erepta. ibid.
§. 21. Dux Burgundiæ inglorius Caletij obsidionem solvere coactus. 248
§. 22. Jacobus I. Rex Scotiæ ex insidiis trucidatus. 249
§. 23. Secundæ nuptiæ Catharinæ Anglorum Reginæ. 250
§. 24. De rebus Scotiæ, & Daniæ. 252
§. 25. Acta Concilii in causa unionis Græcorum. 253
§. 26. Legati a Synodo ad Eugenium missi de conventis rationem reddituri. 254
§. 27. Responsum Eugenii ad Legatorum rationes. 255
§. 28. Adventus cujusdam Legati Græcorum ad Synodum. 256
§. 29. Responsum Legato ad alloquium admisso a Synodi Præside datum. 257
§. 30. Obstacula a Legato proposita. 258
§. 31. Legati dicta a Synodo flocci habita. 259
§. 32. Congregatio de cautione ab Avenionensibus expetita. 260
§. 33. Synodale scriptum circa hanc materiam. 261
§. 34. Legati Pontificis huic Decreto obluctati. 263

§. 35.

§. 35. Avenionenſes Synodo promiſſam pecuniam exſolvere a Papa prohibiti. 266
§. 36. Quædam duntaxat pecuniæ pars ab Avenionenſibus numerata. 267
§. 37. Indulgentiarum conceſſio, ac decimarum impoſitio a Pontifice denegata. 269
§. 38. Seſſio XXV. Baſileenſis Synodi. 272
§. 39. Decretum de loco Concilii pro Græcis celebrandi. ibid.
§. 40. Jurgia de Decreto Seſſionis XXV. ſignando. 274
§. 41. Decretum ſigillo ſynodali ſignatum. 276
§. 42. Baſileenſes Legatorum Papalium decreta ſignare recuſant. 277
§. 43. Decretum Legatorum ſignatum, & quo artificio? 278
§. 44. Idem per Eugenii Bullam confirmatum. 281
§. 45. Triremes unacum Legatis ad Græcos a Papa tranſmiſſæ. 283
§. 46. Oratores Eugenii Conſtantinopoli appulſi. 284
§. 47. Synodi Oratores paulopoſt ibidem adventantes. 285
§. 48. Imperator Græcorum Baſileenſes triremes conſcendere renuens. 286
§. 49. Claſſis Pontificia ab Imperatore Græcorum conſcenſa. 288

§. 50.

§. 50. Seſſio XXVI. Baſileenſis Concilii. 289
§. 51. Decretum contra Eugenium Papam. 290
§. 52. Bulla Eugenii de translatione vel diſſolutione Baſileenſis Concilii. 292
§. 53. Synodus Ferrariam per Eugenii Bullam convocata. 293
§. 54. Prælati, Abbates, Ordinum Generales, & Univerſitas Pariſienſis Ferrariam a Papa vocati. 297
§. 55. Seſſio XXVII. Baſileenſis Synodi. 300
§. 56. Avenionenſis urbis alienatio Pontifici a Concilio interdicta. ibid.
§. 57. Seſſio XXVIII. 303
§. 58. Eugenius Papa a Baſileenſibus contumax declaratus. ibid.
§. 59. Seſſio XXIX. Baſileenſis Concilii. 304
§. 60. Baſileenſes Eugenii Bullam confutare conantes. 305
§. 61. Seſſio XXX. Baſileenſium. 310
§. 62. Decretum de communione ſub duplici ſpecie. 311
§. 63. Novi tumultus in Bohemia a Rochiſana ſuſcitati. 312
§. 64. Sigismundi Imperatoris obitus. 313
§. 65. Albertus Auſtriæ Dux Sigismundi ſucceſſor. 315
§. 66. Luſitanorum clades in Africa. 316

§. 67.

§. 67. Renatus Andegavenſis libertati aſſertus. 317
§. 68. Carolus VII. Rex Lutetiam ingreſſus. 318
§. 69. Translatio Synodi Baſileenſis per aliam Eugenii Bullam confirmata. 319
§. 70. Seſſio I. Concilii Ferrarienſis. 321
§. 71. Cardinalis Julianus relicta Baſilea Ferrariam profectus. 322
§. 72. Seſſio XXXI. Baſileenſis Synodi. 323
§. 73. Decretum Baſileenſis Synodi pro graduatis. 324
§. 74. Eugenii Papæ jurisdictio Baſileenſium decreto ſuſpenſa. 325
§. 75. Cardinalis Arelatenſis Præſes Baſileenſis Synodi. 327
§. 76. Congregatio Ferrariæ habita coram ipſo Pontifice. 329
§. 77. Ordo ſedendi ſtabilitus. 330
§. 78. Seſſio II. Ferrarienſis Concilii. 331
§. 79. Decretum Eugenii adverſus Baſileenſes. 332
§. 80. Seſſio XXXII. Baſileenſis Synodi. 333
§. 81. Imperator Græcorum cum Patriarcha Venetiis appulſus. 334
§. 82. Idem Venetias ingreſſus. 336
§. 83. Imperator Venetiis Ferrariam delatus. 338
§. 84. Papa Ferrariæ a Græcorum Imperatore ſalutatus. ibid.

§ 85.

§. 85. Patriarcha Ferrariam veniens. 339
§. 86. Patriarchæ obsequium Pontifici exhibitum. 340
§. 87. Consultatio Papæ cum Græcis de Synodi negotiis. 342
§. 88. Articuli in Ferrariensi Synodo discutiendi. 344
§. 89. Conventus Latinorum cum Græcis in Ecclesia ad S. Georgium. 346
§. 90. Ordo sedendi decretus. 347
§. 91. Synodus Latinorum cum Græcis inchoata. 350
§. 92. Congregationes habitæ de dogmatibus inter Latinos & Græcos controversis. 352
§. 93. Consultatio Græcos inter & Latinos de Piaculari carcere. 534
§. 94. Albertus Austriacus Hungariæ & Bohemiæ Rex coronatus. 356
§. 95. Idem Romanorum Rex electus. 358
§. 96. Germanorum statuta circa Basileense Concilium. 360
§. 97. S. R. I. Electorum Legati ad Eugenium Papam. 362
§. 98. Ab iisdem Electoribus Deputati ad Basileenses. 363
§. 99. Bituricensis Conventus Cleri Gallicani a Carolo VII. Galliarum Rege celebratus. 364

§. 100. Pragmatica Sanctio in Bituricenſi conventu condita. 365
§. 101. De veteri electionum norma. 366
§. 102. Oratores a Baſileenſi Synodo ad Galliarum Regem miſſi. 368
§. 103. Pragmatica Sanctio a Regis Galliæ Legatis ad Baſileenſes delata. 371
§. 104. Articuli Sanctionis Pragmaticæ Synodi Baſileenſis Decretis omnino conſoni. 372
§. 105. Judicii acta adverſus Eugenium a Baſileenſibus continuata. 377
§. 106. Conventus primus Norimbergæ a Principibus Germaniæ celebratus. 378
§. 107. Alter Norimbergenſis Conventus. 379
§. 108. Hujus congreſſus decretum. 380
§. 109. Synodi Ferrarienſis continuatio. 382
§. 110. Seſſio I. Ferrarienſis Synodi Græcorum ſimul & Latinorum. 383
§. 111. Doctores in hac Seſſione ad diſputandum ſelecti. 384
§. 112. Beſſarionis oratio in hac Seſſione. 385
§. 113. Seſſio II. Ferrarienſis Synodi. 386
§. 113. Seſſio III. ejusdem Concilii. 387
§. 114. Seſſio IV. Ferrariæ habita. 389
§. 115. Seſſio V. præfatæ Synodi. 390
§. 117. Seſſio VI. Ferrarienſis. 391

§. 118. Seſſio VII. ejusdem Synodi. 393
§. 119. Rationes ad vindicandam additionem vocis *Filioque* a Latinis allatæ. ibid.
§. 120. Seſſio VIII. Ferrarienſis Concilii. 396
§. 121. Sermo Beſſarionis contra additionem vocis Filioque. ibid.
§. 122. Seſſio IX. Synodi Ferrarienſis. 397
§. 123. Seſſio X. ejusdem Concilii. 399
§. 124. Seſſio XI. Ferrarienſis Synodi. 400
§. 125. Seſſio XII. Concilii Ferrarienſis. 403
§. 126. Seſſio XIII. 405
§. 127. Ducis Burgundiæ Oratores ad Synodum admiſſi. ibid.
§. 128. Seſſio XIV. Ferrarienſis Synodi. 406
§. 129. Seſſio XV. Concilii Ferrarienſis. 407
§. 130. Concilium Florentias transferendum Græcis a Papa propoſitum. 409
§. 131. Synodus cum Græcorum conſenſu Florentiam translata. 411
§. 132. Burgundiæ Duciſſa Galliam inter & Angliam pacis Conciliatrix. ibid.
§. 133. Pacis articuli ab Anglis propoſiti. 413
§. 134. A Gallis rejecti. 414
§. 135. Rerum ſtatus in Neapolis Regno. 415

§. 136. Neapolis ab Alphonso cincta, sed paulo post liberata. 416
§. 137. Eduardi Lusitaniæ Regis obitus. 417

LIBER CVIII.

§. 1. Ultima Ferrariensis Sessio, Synodus a Papa Florentiam translata. 419
§. 2. Papa cum Græcis Ferraria Florentiam abit. 420
§. 3. Sessio prima Concilii Florentini. 423
§. 4. Sessio II. Florentinæ Synodi. 424
§. 5. Sessio III. ejusdem Concilii. 426
§. 6. Sessio IV. 427
§. 7. Sessio V. Florentini Concilii. 428
§. 8. Sessio VI. Concilii Florentini. ibid.
§. 9. Sessio VII, 429
§. 10. Sessio VIII. 432
§. 11. Sessio IX. 433
§. 12. Summum Imperatoris studium pro unione Græcorum cum Latinis. 434
§. 13. Oratio Georgii Scholarii pro unione. 437
§. 14. Bessarionis Nicæni oratio in unionis negotio. 438
§. 15. Congregatio in domo Patriarchæ in unionis negotio habita. 440

§. 16. Alii congreſſus ad conciliandam utramque partem inſtituti. ibid.
§. 17. Profeſſio fidei Latinorum de Proceſſione Spiritus Sancti. 441
§. 18. Altera Latinorum profeſſio fidei. 442
§. 19. Profeſſio fidei a Græcis edita pro Latinis. 443
§. 20. Græcorum diſſenſio circa unionem. 445
§. 21. Congreſſus in domo Patriarchæ. 446
§. 22. Profeſſio fidei Latinis, Græcisque communis. 448
§. 23. Pacta Pontificem inter & Græcorum Imperatorem. 449
§. 24. Omnes Græci Latinis uniti, excepto Marco Epheſino. 450
§. 25. Communi conſenſu utriusque Eccleſiæ unio ſtabilita. 451
§. 26. De reliquis articulis Græcos inter & Latinos controverſis actum. 452
§. 27. Joſephi Patriarchæ Conſtantinopolitani obitus. 453
§. 28. Scripta Patriarchæ fidei profeſſio. 454
§. 29. Quæſtio de pane Azymo diſcuſſa. 455
§. 30. De verbis conſecrationis. 456
§. 31. De Piaculari carcere. 457
§. 32. De Primatu Pontificis. 458

§. 33. Græcorum conſenſus in omnes hoſce articulos. 459
§. 34. Altercatio de modo conficiendi Decretum. ibid.
§. 35. Nonnulli ad conficiendam Decreti formulam nominati. 461
§. 36. Beſſarionis Nicæni declaratio Græcorum nomine facta. 462
§. 37. Pontificis reſponſum ad hanc declarationem. 463
§. 38. Seſſio decima, ac ultima Florentinæ Synodi cum Græcis habita. 464
§. 39. Decretum Concilii Florentini de unione Græcorum. 465
§. 40. Decreti hujus ſubſcriptio. 470
§. 41. Imperatoris poſtulata de danda Græcis facultate publice ſacra faciendi. 473
§. 42. Quæſtiones Imperatori Græcorum a Papa propoſitæ. ibid.
§. 43. Sententia Græcorum de conjugiis. 475
§. 44. Imperatoris petitum de puniendo Marco Epheſino. 477
§. 45. Papæ conſilium de eligendo Græcorum Patriarcha. ibid.
§. 46. Græcorum repulſa. 478
§. 47. Græcorum preces Pontifici factæ pro Eccleſiis ſibi reſtituendis. ibid.

§. 48.

§. 48. Armenorum Legati Florentiæ. 480
§. 49. Imperator Græcorum Venetias profectus. ibid.
§. 50. Basileensis Synodi continuatio. 481
§. 51. Comitia Principum Germaniæ Moguntiæ celebrata. 482
§. 52. Synodi decreta, exceptis iis, quæ contra Eugenium sancita sunt, recepta. 484
§. 53. De Judicio Westphaliæ. 485
§. 54. Basileensium attentata in Eugenium Papam. 487
§. 55. Octo Propositiones a Basileensibus divulgatæ. 488
§. 56. Hæc asserta a Panormitano oppugnata, & Eugenius ab eodem defensus. 489
§. 57. Joannes Segovienſis Panormitanum confutare conatus. 490
§. 58. Thomæ de Corsellis oratio contra Eugenium Papam. 493
§. 59. Cardinalis Arelatensis Oratio pro exauctorando Pontifice. 497
§. 60. Conventus per Papæ Fautores turbatus. 500
§. 61. Archiepiscopus Lugdunensis cum aliis tumultum sedare studiosus. 502

§. 62. Panormitanus a ſua ſententia deſiſtere ſollicitatus. 503
§. 63. Arelatenſis Cardinalis artes ad ſedandas turbas adhibitæ. 504
§. 64. Tarraconenſis Cardinalis Baſileam venit. 505
§. 65. Octo Concluſiones in Congregatione generali acceptandæ. 507
§. 66. Provinciarum Deputati concluſionem revocari poſtulantes. 508
§. 67. Cardinalis Arelatenſis Oratio pro Concluſione. 509
§. 68. Seſſio XXXIII. Synodi Baſileenſis. 511
§. 69. Cardinalis Arelatenſis artificium ad reddendam Seſſionem numero magis conſpicuam. 512
§. 70. Tres primæ concluſiones condito Decreto firmatæ. 514
§. 71. Panormitani tractatus pro defenſione Synodi Baſileenſis. 515
§. 72. Bellarmini opinio de Panormitani tractatu. 516
§. 73. Urgetur Eugenii Papæ exauctoratio. 517
§. 74. Seſſio XXXIV. Baſileenſis Synodi. 519
§. 75. De depoſitione Eugenii Papæ. 520
§. 76. Galliarum Rex ob Eugenii exauctorationem graviter adverſus Baſileenſes conqueſtus. 521

§. 77.

§. 77. Seſſio XXXV. Baſileenſis Concilii. 523
§. 78. Bimeſtris dilatio novæ electionis decreta. ibid.
§. 79. Peſtis Baſileæ graſſans. 524
§. 80. Cardinalis Arelatenſis conſtantia tempore peſtis. 525
§. 81. Baſileenſium Legati a Principibus durius excepti. 527
§. 82. Eugenii Papæ decretum contra Baſileenſes. ibid.
§. 83. Seſſio I. Florentinæ Synodi poſt diſceſſum Græcorum. 528
§. 84. Seſſio XXXVI. Baſileenſis Concilii. 529
§. 85. Decretum de immaculata Conceptione Beatæ Virginis. 530
§. 86. Reſponſio Baſileenſium ad Eugenii Papæ decretum. 532
§. 87. Imperatoris poſtulata ad Baſileenſes de electione novi Papæ differenda. 534
§. 88. Cardinalis Arelatenſis preces Imperatoris contemnendas ſuadet. 535
§. 89. Regulæ de electione futuri Pontificis. 536
§. 90. Seſſio XXXVII. Baſileenſis Synodi. 537
§. 91. Novi Pontificis Electores nominati. 538
§. 92. Seſſio XXXVIII. Baſileenſis Concilii. 541

§. 93. Reſponſio ad decretum Eugenii adverſus Synodum Baſileenſem. 542
§. 94. Electores pro Pontificis nominatione Conclave ingreſſi. 543
§. 95. Modus & ſeries ſcrutinii. 544
§. 96. Inquiſitio in vitam, & mores Amadæi Sabaudiæ Ducis. 546
§. 97. Amadæus Sabaudiæ Dux in Papam electus. 547
§. 98. Seſſio XXXIX. Concilii Baſileenſis, in qua Amadæi electio confirmatur. 548
§. 99. Baſileenſium Legati ab Amadæo ad alloquium admiſſi. 549
§. 100. Amadæus nomen Felicis V. aſſumit. 550
§. 101. Septendecim Cardinales ab Eugenio Papa creati. 551
§. 102. Armeni ab Eugenio Eccleſiæ Romanæ uniri poſtulantes. 553
§. 103. Seſſio II. Florentinæ Synodi poſt diſceſsum Græcorum. 554
§. 104. Decretum Eugenii Papæ de Armenorum unione. 556
§. 105. Alberti Imperatoris obitus. 566
§. 106. Res Franciæ & Angliæ. 368
§. 107. Meldorum, & Abrincarum obſidio. ibid.
§. 108. Connubia Catharinæ de Francia cum Caroleſii Comite. 569

§. 109.

§. 109. Chriſtophorus Bavariæ Dux, depulſo Erico, Daniæ Rex nominatus. 570
§. 110. Fridericus III. in Imperatorem electus. 571
§. 111. Ladislaus Poloniæ Rex, ab Hungaris in Regem electus. ibid.
§. 112. Alberti Filius ad Bohemiæ coronam non admiſſus. 572
§. 113. Corona Bohemiæ Duci Bavariæ oblata, ab eo tamen non acceptata. 573
§. 114. Bohemorum poſtulata a Baſileenſibus. 574
§. 115. Baſileenſium conatus pro Felice tanquam Papa agnoſcendo. 575
§. 116. Seſſio XL. Baſileenſis Concilii. ibid.
§. 117. Cardinalis Arelatenſis Sedis Apoſtolicæ Legatus nuncupatus, 577
§. 118. Florentinæ Synodi Seſſio poſt diſceſſum Græcorum tertia. ibid.
§. 119. Seſſio XLI. Baſileenſis Synodi. 578
§. 120. Felix Baſileæ Papa coronatus. 580
§. 121. Quatuordecim Cardinales a Felice Anti-Papa creati. ibid.
§. 122. Judæi Felici librum legis ſuæ offerunt. 582
§. 123. Seſſio XLII. Baſileenſis Concilii. ibid.
§. 124. Conventus Bituricenſis. 585

§. 125.

§. 125. Oratores ab Eugenio simul & a Basileensibus Biturícum ablegati. ibid.
§. 126. Bituricensium responsio ad postulata Oratorum Eugenii. 586
§. 127. Rex Galliarum Eugenii obsequio constanter addictus. 587
§. 128. Caroli VII. edictum de scissionibus Ecclesiæ. 588
§. 129. Alphonsus Basileensi Synodo adhærens. 589
§. 130. Felix a multis Principibus agnitus. 591
§. 131. Cardinales a Felice creati. ibid.
§. 132. Felix ab Anglis & Scotis pro Anti-Papa habitus. 592
§. 133. Græci Constantinopolim reduces. 594
§. 134. Unio a Græcorum potissimis deserta, atque impugnata. 595
§. 135. Josephi Methonensis, & Gregorii Protosyncelli scripta adversus Marcum. 597
§. 136. Aliæ Græcorum schismaticorum lucubrationes contra unionis Decretum. 598
§. 137. Græci Constantinopoli in factiones circa unionem scissi. 599
§. 138. Metrophanes Cyzicenus in Patriarcham Constantinopolitanum electus. 600

§. 139.

§. 139. Cardinalis Venetus in Græciam ab Eugenio Papa ablegatus. 601
§. 140. Epiſtola Eugenii ad Archiepiſcopum Cantuarienſem. 602
§. 141. Eugenii Papæ elogium de Cardinalatus dignitate. 604
§. 142. Vitelleſcus Cardinalatu ab Eugenio exutus. ibid.
§. 143. Idem in captivitate mortuus. 605
§. 144. Ludovicus Mediarotta Epiſcopus Florentinus. 606
§. 145. Militaris diſciplina in Galliis reſtaurata. 607
§. 146. Conſpiratio in Galliis adverſus Conneſtabilem. 608
§. 147. Delphinus conſpirationis caput ſeſe profeſſus. 610
§. 148. Factioſi a Rege diſperſi, atque ad petendam veniam compulſi. 611
§. 149. Areſluctum ab Anglis obſeſſum. 613
§. 150. Aurelianenſis Dux ab Anglis liber dimiſſus. 614
§. 151. Retius Mareſcallus ob ſua crimina laqueo ſuſpenſus, ac combuſtus. 616
§. 152. Nicolai de Clamangiis obitus. 618

§. 153.

§. 153. Clemangii opera. 619
§. 154. Typograghiæ inventum. 621
§. 155. Variæ opiniones de illius origine. 622
§. 156. Quinam ſint primi libri typis impreſſi. 624
§. 157. Sanctæ Franciſcæ Romanæ obitus. 627
§. 158. Conſilia Cardinalis Caſtillonei de ritu Ambroſiano commutando. 628
§. 159. Concilium Friſingenſe in Germania. 629
§. 160. Jacobitarum acceſſus ad Synodum Florentinam. 634
§. 161. Eorumdem origo, atque errores. 635
§. 162. Seſſio IV. Concilii Florentini poſt diſceſſum Græcorum. 637
§. 163. Decretum Unionis Jacobitarum. ibid.
§. 164. Hoc decretum a Jacobitarum Legato acceptatum. 639
§. 165. Epiſtola Eugenii Papæ ad Imperatorem Conſtantinum Palæologum. 640
§. 166. Literæ Æthiopum Regis ad Eugenium Papam. 641
§. 167. Epiſtola Patriarchæ Alexandrini ad eundem Pontificem 642

§. 168.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. 168. Conventus Moguntinus. 643
§. 169. Conventus Moguntinus Basileensium Oratorem cum Legati prærogativa agnoscere obluctatus. 644
§. 170. Cardinalis Arelatensis Moguntiam delatus. 645
§. 171. Arelatensis ut legatus nec receptus, nec ad alloquium admissus. 646
§. 172. Utriusque Pontificis Oratores auditi. 647
§. 173. Principum sententia. 650
§. 174. Imperatoris consilium de negotio usque ad comitia Francofordiensia differendo. ibid.
§. 175. Sessio XLIII. Basileensis Synodi. 651
§. 176. Decretum de festo Visitationis Beatæ Virginis Mariæ. 653
§. 177. Pacta Mediolanensis Ducis de præstanda Felici obedientia. 654
§. 178. Felix a Duce vanis promissis illusus. 656
§. 179. Dissidia Felicem inter & Cardinales suos ob quintum, & decimum denarium. 657
§. 180. Postulata Felicis ad Synodum. 658
§. 181. Alphonsus Felicis obsequio addictus. 659

§. 182.

§. 182. Bohemorum Oratorum poſtulata. ibid.
§. 183. Epiſcopus Cracovienſis Felici adhærens. 660
§. 184. Baſileenſium anxietas ob Panormitani orationem. 661
§. 185. Creollium a Galliarum Rege captum. 663
§. 186. Pontiſara a Rege obſeſſa, ac expugnata. 664
§. 187. Ebroicum denuo Anglis ereptum. 665
§. 188. Liber de imitatione Chriſti hoc anno a Thoma Kempenſi compoſitus. 666

Concilium Basileense.



HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER CVI.

EUGENIUS IV. PAPA.
SIGISMUNDUS OCCIDENT. JOANN. VII. PALÆOLOGUS ORIENT. IMPERATORES.

§. I.

Basileense Concilium.

Inter ceteras Synodum Basileam convocandi rationes facile principes erant duæ sequentes, nimirum, ut Ecclesiæ Orientales, aliæque Nationes erroribus Sæcul. XV. A. C. 1431.

Sæcul. XV. A.C. 1431

ſuis a Romanæ Sedis communione avulſæ, rurſus eidem unirentur, atque univerſalis Eccleſia tam in Capite, quam in membris ad veterem diſciplinam revocaretur. Equidem hæc morum inſtauratio jam in Conſtantienſi Concilio perfici debuiſſet; occurrentibus tamen pluribus obſtaculis alibi recenſitis in proxime futuram remittebatur Synodum, quæ haud alia erat, quam Senenſis, cujus ſupra meminimus. Attamen & illa ob tumultus a ſeditioſis quibusdam importune ſuſcitatos optato caruit ſucceſſu. Ergo denuo aliud expectandum erat Concilium; & hoc eſt ipſa Baſileenſis Synodus; quæ cum non niſi ea, quæ Conſtantienſe Concilium decreverat, executioni dederit, illius complementum, ac veluti rivus a ſuo fonte ſcaturiens, merito reputanda eſt.

§. II.

Nonnullorum ad hoc Concilium concurſus.

Unanimi igitur conſenſu Baſileenſis civitas ad congregandam hanc Synodum ſeligitur. Jamque quarta menſis Martii die Viceliacenſis Abbas Ordinis S. Benedicti ex Æduana ſeu Auguſtodunenſi Diœceſi Baſileam venerat, Synodo interfuturus. Aſt diu nequidquam expectatis

Acta Patric. Hiſt. Conc. Baſil. tom. XIII.

pectatis iis, qui vocati erant, ipse Canonicos, Clerum, pluresque alios congregat, illisque hæc proponit: Jam septem & amplius anni præteriere, ex quo Senense Concilium celebratum fuit, juxta cujus decretum tempore per Constantiensem Synodum præstituto Basileense Concilium inchoandum foret; igitur termino jamjam elapso, & Prælatis contra datam fidem necdum comparentibus, ego illorum absentiam supplere paratus, interim unacum illis, qui præsentes adsunt, initium Synodo dandum existimo, palamque profiteor, mihi haud imputari posse, si sacrorum Conciliorum decreta effectui non dentur. Placuit ceteris omnibus pia Viri voluntas, displicuit tamen res ipsa, utpote quam eo tempore ad exitum deducere, prudentiæ Regulis minus consonum esset. Sub idem tempus Parisiensis Universitatis Delegati advenerant, datæque fuerunt literæ ad Sigismundum, aliosque Germaniæ Principes, ut & ipsi suos Oratores ad Concilium ablegare, haud ultra cunctarentur.

Sæcul. XV. A. C. 1431.

Fascic. rer. expet. Æn. Sylv. ep. 1.

§. III.

Synodi initium.

Interea die decima nona Maji Joannes Polemarus, & Joannes de Ragusis, quibus Julianus Cardinalis, ut supra memoravi-

Spond. ad an. 1431. n. 13. Lib. CV. §. 88.

Sæcul. XV. A.C. 1431.

ravimus, ſuas in Synodo præſidendi vices delegavit, Baſileam adventu ſuo honorant, eodemque die coacto conventu, & vocato Joanne Baſileenſium Epiſcopo Synodum vigeſima tertia ejusdem menſis inchoandam decernunt. Ceterum cum Patrum numerus oppido exiguus eſſet, usque ad Menſem Decembrem nonniſi privatæ quædam congregationes habebantur. Interea vero cum propoſitum, imo & promiſſum Juliani Cardinalis, qui Concilio ſe adſtiturum ſpopondit, innotuiſſet, ejus utique præſentiam oportuit ulterius expectari.

§. IV.

Cardinalis Julianus Baſileæ.

Re ipſa Cardinalis Menſe Octobri Baſileam ſalutavit. Is poſt ſuum in urbem ingreſſum nil antiquius habuit, quam ut datis ad Bohemos literis, eosdem efficaciſſimis juxta ac ſinceri affectus plenis adhortationibus invitaret, ut ad Synodum ſuos quoque mitterent Oratores; quocirca eis ampliſſimas, & ad vota eorum conceptas ſecuritatis literas offerebat. Scripſit & ipſe Sigismundus ad eosdem, verbis adeo benignis, ut ſe, quod ab eis poſtulabat, obtenturum certo confideret. Neque hæ literæ omnino ſine fructu abierunt.

Vid. ſupr. Lib. CV. §. 89. & 90.

§. V.

Sæcul. XV.
A.C.1431.

§. V.

Eugenius Papa Synodum diſſolvere meditatur.

Interea temporis Eugenius Papa probe cognoverat, nullos ferme Prælatos adhucdum Baſileam veniſſe, & aliunde ob belli tumultus, qui Burgundum inter, & Auſtriacum Duces exorti fuiſſent, tutum ad Synodum haud patere aditum. His acceſſerunt iteratæ Græcorum preces, quibus Papa ab ipſis exoratus erat, ut juxta pacta per Martinum V. cum eis ſancita, pro unione utriusque Eccleſiæ, Græcæ & Latinæ Synodum convocaret; ideo Eugenius, ſpectatis hiſce omnibus, Baſileenſe Concilium diſſolvere, aut ſaltem ad aliam civitatem, Græcis viciniorem, transferre meditatur, recte exiſtimans, bono Religionis nullatenus conſultum iri, ſi uno eodemque tempore duo ſimul Concilia celebrarentur; opportunius proin fore, ſi intra ſpatium unius anni cum dimidio una duntaxat ejusmodi Synodus Bononiæ in Italia, poſt lapſum vero decem annorum altera, juxta Concilii Conſtantienſis decretum indiceretur. Quare hac ſuper re ex conſilio decem ſuorum Cardinalium, quos penes ſe habebat, ad Cardinalem Julianum literas dedit.

Sæcul. XV. A.C. 1431.

dit. Aſt Eugenii intentio aliis minus probabatur, qui eidem in reſponſis dederunt, ſatius eſſe Synodum Baſileæ, quam in quacunque alia urbe celebrari, eoquod civitas iſta ad morum reformationem in Germania ceteris quibuscunque magis accommoda foret; quam ob rem a Pontifice petierunt, ut nomine ſuo nova fieret convocatio Prælatorum. Id tamen diſplicuit Eugenio, qui in ſua de diſſolvendo Concilio ſententia jam obfirmatus erat, ac inſuper quædam in ſacræ Sedis, ſuæque auctoritatis præjudicium Baſileæ agitari, probe cognoverat. Verum Cardinalis intima Eugenii conſilia perſcrutatus, ea, quam ab ipſomet acceperat, uſus eſt poteſtate, & hac in cauſſa ſe arbitrum eſſe ratus, die Veneris ſeptima Decembris, Congregationem habuit, primamque ſeſſionem proxima feria ſexta, quæ erat decima quarta ejusdem menſis celebrandam indixit, eo minus ulteriori indulgendum moræ exiſtimans, quo certius cognoſceret, præcipuam revocandæ, vel ſaltem in alium locum transferendæ Synodi cauſſam, quæ erat confluentium Prælatorum paucitas ab Eugenio allegata, jam penitus ceſſare; ſingulis quippe diebus plurimi advenerant Epiſcopi, Abbates, Regumque ac Principum Oratores. Sublata quoque erant viarum pericula, omnibusque tutus Baſileam

Spond. l. cit. n. 19.

sileam dabatur accessus. Aliunde Cardinalis Julianus satis perspectum habebat, summe necessariam esse ad res Germanicas æque ac Bohemicas Synodi Basileensis celebrationem, nec amplius posse absque ignominia, injuria, ac Principum, atque Prælatorum indignatione in alium locum, aliudve tempus remitti. Ergo Cardinalis die quarta decima Decembris ad primam Sessionem habendam designata, ea de re Sigismundum certiorem reddit. Imperator accepto Mediolani nuntio, die undecima ejusdem mensis ad Cardinalis & Concilii Epistolam responsorias dedit, in quibus eorum fervorem commendans, pium comprobavit animi propositum, hortatusque vehementer, ut bene cæpta fortiter prosequerentur, & si qui forent, qui Concilium retardare, aut omnino dissolvere conarentur, eos a suo consortio præciderent; ex ejusmodi quippe mora, vel Concilii dissolutione maximum Ecclesiæ imminere periculum præsentiebat. Pariter ad Pontificem literas dabat, quibus eundem a suo proposito dimovere satagebat, eumque stimulabat, ut animum ad celebrandam Synodum potius adjiceret, quam ab ea averteret.

Sæcul. XV. A.C.1431.

Sæcul. XV. A C. 1431.

§. VI.

Sessio I. Basileensis Synodi.

Illucescente igitur decima quarta Decembris die Basileæ in Ecclesia Cathedrali celebrata est Sessio prima, in qua sacro per Philibertum Constantiæ in Normannia Episcopum peracto, absolutisque de more precibus, Cardinalis Julianus Synodi Præses orationem habuit in hæc Isaiæ Prophetæ verba: *Mundamini, qui portatis vasa Domini.* cap. 52. v. 11. Adhortabatur in ea Patres, ut cum summa castimonia, morumque integritate mutuam, & sinceram inter se charitatem foverent, ac universalis Ecclesiæ necessitatibus ea sollicitudine prospicerent, quæ non modo supremum illius caput, sed singula etiam membra deceret. Finito hoc sermone Constantiensis Episcopus elatum conscendens solium clara & distincta voce, præsentibus Regis Romanorum, & Sabaudiæ Ducis Oratoribus, aliisque nobilitate generis longe præstantissimis sequentia statuta perlegit.

Conc. Labbe to. 12. p. 459. & 462. Primum erat decretum Concilii Constantinensis Sessione trigesima nona conditum de celebratione Conciliorum, quo sanciebatur, ut præsenti absoluto Concilio Generali proximum post quinquennium,

nium, tertium dein a fine ſecundi poſt ſeptennium, reliqua demum a decennio in decennium perpetuo celebrentur in locis, quæ Pontifex ante cujuslibet Synodi finem, approbante & conſentiente ipſo Concilio aſſignaret. Abſoluta hac lectione publicabatur decretum unacum Bulla Martini V., quibus civitas Baſileenſis pro Concilio mox celebrando deſtinabatur. Poſtmodum propoſitæ ſunt ſex cauſſæ ſeu rationes hujus Concilii celebrationem ſuadentes, ad quas veluti ad ſcopum atque finem tota Synodi intentio collimaret. I. Ut hæreſes extirparentur. II. Ut omnes populi Chriſtiani ad unionem Eccleſiæ Catholicæ reducerentur. III. Ut ea, quæ Orthodoxæ fidei veritates ſpectant, edocerentur. IV. Ut bella inter Principes Chriſtianos exorta ſedarentur. V. Ut Eccleſia in Capite & membris reformaretur. VI. Denique, ut vetus Eccleſiæ diſciplina, quantum fieri poſſet, revocaretur. Cum vero ceteræ omnes rationes tandem reducerentur ad reſtaurationem Eccleſiæ, velut præcipuum Synodalis curæ articulum, ideo Patres opportuna excogitabant media, cautelasque neceſſarias, ut optatum conſequerentur ſucceſſum, cunctisque, quæ interponi poſſent, obſtaculis provide occurrerent. Poſtremo innovata fuere decreta in Concilio Conſtan-

Sæcul. XV. A.C. 1431.

Ibid. p. 465. & 468.

Sæcul. XV. A.C. 1431.

tienſi publicata contra eos, qui Synodum perturbare, vel clandeſtinis artibus, vel aperta ac manifeſta vi illius progreſſum impedire, aut Concilii membra invadere attentaverint; necnon adverſus eos, qui a Synodo receſſerint, quin prævie ſuas diſcedendi rationes expoſuiſſent. Singulare ſapientiæ ac prudentiæ ſuæ ſpecimen exhibuerunt hujus Synodi Patres per raram ſollicitudinem, atque ſolertiam, quam rebus controverſis in Synodo enucleandis impenderunt. Præprimis igitur ſtatuebant, cunctos Epiſcopos, qui ad Baſileenſe Concilium accederent, in quatuor æquales diſtribui claſſes, ita, ut unaquæque claſſis mixtim complecteretur quosdam Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Parochos, aliosque tam ſæculares, quam Regulares Theologiæ ac Decretorum Doctores, de quacunque demum natione aut Provincia eſſent. Quocirca, ut ejusmodi claſſes numero pares forent, ſingulis menſibus quatuor eligebantur Prælati, ſcilicet, ex qualibet claſſe unus, qui ceteros ad Synodum recens confluentes juſto numero per claſſes ſuas diſtribueret. Præterea ſtatutum, ut ſingulæ ſibi unum Præſidem cum Syndico, Notario, aliisque Officialibus præficerent, ac tribus cujuslibet hebdomadæ diebus, nempe ſecunda, quarta & ſexta feriis ordinatim conventus

ventus agerent, in quibus ſingulæ clas- Sæcul. XV.
ſes, ſeu *Deputationes* (ut Synodi Phraſi A.C.1431.
utamur) mutuo inter ſe, atque etiam ſeorſim conferant de rebus, quæ controverſæ, ac examini ſubjiciendæ eſſent; ſi cui vero foret animus quicquam proponendi, prius Præſidem, atque claſſis ſuæ ſocium adiret, illumque deſuper edoceret, eo fine, ut hi ſocios ſuos ejus rei certiores redderent. Cum autem una claſſis ſuper propoſita quæſtione in eandem conveniſſet ſententiam, in more poſitum erat, ut quempiam ejusdem claſſis magis idoneum ſeligerent, qui deciſionem in hac Deputatione factam ad ceteras tres claſſes deferret, unacum omnibus, quibus nitebatur, rationum momentis, ut & illæ ſuum hac de re judicium ferrent. Si vero contingeret, aliquam claſſem, ſeu Deputationem in duas forte opiniones dividi, quamvis una pars majori ſuffragantium numero alteri prævaleret, nihilominus ex qualibet diſſidentium parte ſeligeretur unus ceteris doctrinæ fama præſtantior, ad reliquas tres claſſes ablegandus, qui non ſolum horum opiniones, ſed etiam rationes, quibus utrinque fulciebantur, illis proponeret. Quod ſi eadem ac unanimis harum claſſium opinio eſſet, quarta vero aliquod majoris momenti dubium adhuc haberet, tunc articulus, qui aliquid difficultatis præſeferre

Sæcul. XV. A. C. 1431.

re videretur, ad tres alias classes denuo examinandus deferretur; quotiescunque autem aliquis privatus exponeret, quod ex tempore de re proposita sententiam suam dicere haud posset, ei spacium ad consulendos libros, veritatemque indagandam sufficiens concederetur. Denique quolibet Mense Tres Viri ex singulis classibus magis idonei seligerentur, qui qualibet hebdomada in diebus, quibus vacabatur, ceu classes non congregabantur, conventus agerent.

Igitur hi duodecim Viri junctis consiliis de iis, quæ a quatuor illis classibus discussa erant, conferebant, eo consilio, ut Synodi Præsidem hac super re certiorem redderent, qui Congregationem generalem indiceret, atque Synodica decisio in publica Sessione fieret.

Hanc generalem Concilii Congregationem omnes quatuor nationes Basileæ, quæ urbs est in Helvetia sita, congregatæ constituebant. Ibi liberum unicuique erat circa articulum antea discussum, ac postea definiendum rursus suam proponere sententiam. Hoc autem peracto, Patres Sessionem publicam in Cathedrali Ecclesia celebrabant, atque illius decisio debitæ instructa actis Synodalibus inserebatur. Hæc erat Concilii norma, atque solertia a Patribus Basileensis Synodi in ennucleandis articulis non raro contro-

troverſis adhibita. Procul dubio Synodus hanc agendi rationem adoptavit, ut nationis Italicæ artibus occurreret, quæ longe plures, quam ceteræ Epiſcopos recenſebat, proin majori ſuffragiorum numero Eccleſiæ reformationem retardare, vel omnino impedire potuiſſet. Eadem hæc forma viginti quatuor retro annis obſervata eſt in Concilio Conſtantienſi. Tantam enimvero induſtriam, tantamque libertatem unquam datam fuiſſe, nec ſæculorum hanc Synodum ſubſequentium, nec præcedentium monumenta loquuntur. Sæcul. XV. A.C.1431.

Nec minori providentia Synodus uſa eſt, ut litibus ex honorum titulis, atque juribus ſuboriri ſolitis obviaret, huncque in finem decrevit, ut per quoscunque gradus, dignitates, vel in ſedendo prærogativas, quas quisque in hoc Concilio aſſequeretur, nullum exinde ipſi jus de novo accreſceret, nullique præjudicium generaretur. Præterea ſingulis, qui huic Concilio intereſſent, fructus ſuorum beneficiorum percipiendi facultas concedebatur, eorum abſentia eos minime impediente. Tandem vero Synodi Officiales nominabantur, quos inter Notarii erant, Lucas de Viſo, Cardinali Juliano ab epiſtolis, & Rudolphus Diœceſis Genevenſis, quibus adjungebantur Henricus Nithartus, Decretorum Doctor, & Ludovicus Pariſius

Sæcul. XV. A.C. 1431.

Parisius Licentiatus, qui universa Synodi acta postmodum conscribenda inspicerent. Promotores nominabantur Nicolaus Amici Theologiæ Licentiatus, & Henricus Anester Juris Canonici Licentiatus; Henrico autem Statero Trajectensi Decano, & Sandero de Marthausen datum est negotium, ut Synodi Patres in locis, & sedibus debito ordine collocarentur. His ita dispositis, Synodi locum accessit Concilii Præses, Pontificali ornatu conspicuus, qui in Cathedra Episcopali prope Altare subsistens, vultum ad Patres convertit; hi autem pariter habitu Pontificio ornati ex utraque chori parte in sua quisque sede assistebant. Denique Principum Legati facie ad Præsidem directa in medio Ecclesiæ sua occupabant scamna; a tergo eorum sedebant supremi S. Ordinum Præpositi, Doctores, ceterique Clerici. Peractis precibus consuetis, unus sive duo ex Prælatis suggestum conscendebant, & lectis decretis sciscitabantur, an omnia & singula approbarent; quibus Concilii Præses, ceterique cujuslibet Deputationis Prælati responderunt: *Placet*, & sic absoluta est Sessio.

§. VII.

Sæcul. XV. A. C. 1431.

§. VII.

Conventus Bituricenſis.

Proxima Seſſio nonniſi ſequenti anno celebrabatur, quo tempore interme- *Joa. Chart. hiſt. Car. VII.* dio plures habebantur congregationes, in quibus a Patribus deliberatum, qua ratione Eugenium a præconcepto Synodum diſſolvendi propoſito dimoverent. Hanc ob cauſſam Eccleſiæ Gallicanæ Præſules auctoritate Regia Biturigibus conventum agunt, & die vigeſima ſexta Februarii quædam decreta, vel *aviſamenta*, (prout illa ætate loquebantur) condunt, *Conc. Gen. Labbe append. 1. tom. 12. p. 813.* in quibus Concilium legitime convocatum, & Baſileæ celebrandum, nec in aliam urbem transferendum eſſe declararunt; hinc Regem Chriſtianiſſimum exorabant, ut ad Pontificem ſuos mitteret Legatos, qui Eccleſiæ neceſſitates, atque univerſam Chriſtianæ Religionis ſalutem proponendo Eugenium permoverent, ut Baſileenſem Synodum continuaret, ſicque tam ſuis, quam fidei hoſtibus os obturaret, Eundem quoque Regem Carolum VII. rogarunt, ut datis ad Sigismundum Romanorum Regem, & ad Sabaudiæ, ac Mediolani Duces literis, eos ad promovendam hanc Synodum, necnon ad itinerum, præcipue verſus Romam,

Sæcul. XV. A.C. 1431.

mam, ſecuritatem ſollicite curandam adhortaretur. In hoc Bituricenſi conventu deſignabatur Amadæus Lugdunenſis Archiepiſcopus, poſtea Cardinalis, qui nomine Regis, atque Cleri ſua Pontifici obſequia deferret. Supplicarunt etiam Regi, ut ad Synodum ſuos legatos mitteret, necnon Regni ſui Prælatis illud accedendi libertatem concederet; Annuit Rex, eisdemque pro neceſſariis expenſis quarta decimarum pars aſſignata fuit.

§. VIII.

Literæ encyclicæ Patrum pro continuatione Concilii.

Ne igitur rumoribus, quibus Synodum a Papa proxime diſſolvendam evulgabatur, reliqui Prælati abſterriti, Baſileam ſe conferre negligerent, Concilii Patres die vigeſima prima Januarii hujus anni ad univerſos Chriſti fideles encyclicas dederunt literas, quibus eos certiores fecerunt, ſe unanimi ſuffragio decreviſſe, atque ordinaſſe, inchoatum ſemel, rite ac legitime convocatum Concilium ſe proſecuturos, nec ullo pacto Baſilea diſceſſuros, donec penitus abſolutum fuiſſet; ſingulos adhortati, ut in hoc propoſito eos adjuvarent, Prælatis quidem ſub pœnis in jure ſtatutis injunxerunt, ut ad Synodum

Synodum venire festinarent; Reges autem & Principes datis literis pariter rogarunt, ut Concilio faverent, & suos Prælatos mitterent. Literarum, quas ad Poloniæ Regem scripserunt, exemplar extat in Appendice Actorum Concilii. Quibus ita dispositis, secundam sessionem celebrarunt. Sæcul. XV. A.C.1432. *Concil.to.12. p.832.*

§. IX.

Secunda Concilii Basileensis Sessio.

Die decima quinta Februarii Anno salutis millesimo quadringentesimo trigesimo secundo altera habita est Basileensis Synodi Sessio, in qua præprimis condebatur decretum, vi cujus Synodi auctoritas firmaretur, & Eugenius illam vel dissolvere, vel transferre prohiberetur. Hanc ob caussam duo illa IV. & V. Sessionis Concilii Constantiensis Decreta confirmata fuere. Ante omnia declararunt Patres, *quod ipsa Synodus in Spiritu Sancto congregata generale Concilium repræsentans, potestatem immediate a Christo habeat, cui quilibet cujuscunque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, & ad generalem reformationem Ecclesiæ Dei in capite & in membris.* In secundo vero declaravit Synodus, *quod quicunque cujuscunque* *Labb. Conc. to.12. p.477.*

Sæcul. XV. A.C. 1432. *ſtatus vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, qui mandatis ac ſtatutis hujus Synodi, & cujuscunque alterius Concilii generalis obedire contempſerit, condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur, & debite puniatur.* Vigore horum Decretorum, & vi ſtatuti celebrationem Conciliorum generalium præcipientis, *Synodus Baſileenſis decernit, quod per nullum quavis auctoritate, etiamſi Papali dignitate præfulgeat, diſſolvi, aut ad alium locum transferri, vel ad aliud tempus prorogari debuit, aut potuit, debet, aut poteſt, debebit, aut poterit in futurum, absque ejusdem Synodi Baſileenſis deliberatione atque conſenſu.* Eadem quoque declarat, quodſi quisquam, quavis auctoritate etiam Papali inſignitus, vel ejus celebrationem impediendo, vel perſonas ibidem actu exiſtentes, vel interfuturas ad alium locum evocando, quicquam in contrarium attentaverit, id omne irritum eſſet, ac inane. Præterea ſtatuit, quod ab hoc loco illi, qui tenerentur huic Concilio intereſſe, quacunque ex cauſſa absque Synodi conſenſu non recederent; cenſuras, interdicta aut ſuſpenſiones, quascunque contra Synodi membra Pontifex vibraturus eſſet, irritas eſſe, ac nullatenus ligare declarat. Patres ad media iſta arripienda compulſi ſunt allato ad eos nuntio, quo Eugenium Pontificem ad diſſolvendam Synodum jamjam decretum edi-

diſſe,

dissse, certe compererant (*). Papa enim intelligens, quod omnes sacro Ecclesiam reformandi studio accensi certatim Basi- Sæcul. XV. A. C. 1432.

(*) Perperam hæc causſa allegatur, potius audiendus est Eugenius Lombardus, vel quiscunque libri, cui titulus: *Regale Sacerdotium* auctor est, qui dicit: *Multa sunt, quæ Basileensibus ad hæc audenda animos faciebant, sed ambitio præsertim Principum sæcularium armis subnixa. Adeo ad Papatum aspirabant, ut perinde ac sublato Eugenio, vacuaque Sede de modo eligendi Pontificem disceptarent, deque conditionibus, quas electo præscriberent. Furebat, miscebatque omnia Dominicus de Capranica, purpuram illi negante Eugenio, quæ causſa alios quoque in Pontificem armabat. Philippus Maria Dux Mediolanensis ab ipso in Pontificatum ingressu Eugenio infestus, Columnenses in eum concitarat &c.* lib. 2. §. 16. Basileensium acta jam toties & a plurimis, præcipue Joanne Turrecremata, qui huic Concilio interfuit, usque adeo improbata fuere, ut ea hic repetere tædiosum foret; nec satis mirari possumus, Continuatorem, ejusque socios talia pro fundamentali lapide suæ doctrinæ assumere non erubuisse, cum tamen ipsemet Carolus VII. Galliarum Rex, postquam de iniquitate causſæ, Basileensium ambitione, & attentata Monarchiæ Ecclesiasticæ in Democratiam depressione edoctus

Secul. XV. A.C.1432. Basileam convolarent, necnon Prælatorum, atque Doctorum maximus, justusque numerus pro Synodo constituenda conveniisset, huic ardori sibi satis molesto remoram injicere meditabatur.

§. X.

edoctus fuerat, per solemnem deputationem ad Eugenium, Pontifici auctoritatem super Concilium asseruerit. Vide *Gaguinum in Carol. VII. & Raynaldum Odor. in annum* 1441. *n.* 10. aliosve plures. Sufficit tam a Græca quam latina Ecclesia Concilium Florentinum, quod Eugenius Basileensi opposuit, tanquam legitimum fuisse adoptatum; sic enim totius orbis suffragio, ipsoque facto comprobatum manet, quod Papa Concilio, quod dissolvit, superior existat. Sufficit denique, certo constare, quod in hac Synodo, quam S. Antoninus 3. *p. tract.* 22 *cap.* 10. §. 4. *conciliabulum*, B. Capistranus *de Papæ & Concil. auctoritate p.* 3. *speluncam Basiliscorum, dæmonumque cavernam*, appellant, *cuncta per ambitionem summam, rixas, factiones, violentiam, tumultus, & tandem latrocinia peracta, adeo ut oportuerit Principes armis, Deum peste, ad dissipandum tam perniciosum Ecclesiæ conventum accingi.* Ita Lombardus loc. cit.

Sæcul. XV.
A.C.1432.

§. X.

Papæ ad Cardinalem Julianum literæ de Synodo dissolvenda.

Hunc in finem Eugenius Archiepiscopum Tarentinum, & Colossensem Episcopum ad Julianum Cardinalem ablegat, qui eum vel ad dissolvendam vel suspendendam Synodum adhortarentur. Prætexebat Pontifex, quod unio Græcorum cum Latinis in Concilio Senensi inchoata, Basileæ perfici haud valeret Græcis absentibus, qui tamen ob ingentem loci distantiam nonnisi post longum temporis spatium eo perduci possent; Hæ erant rationes, quæ Pontifici ad Concilium vel dissolvendum, vel Bononiam in Italiam transferendum oppido graves videbantur, quibus subjunxit, sibi præterea dictam urbem magis commodam fore, ut & ipse Synodo intereſſe, eidemque præsidere posset. Cum vero Eugenius ipsam Ecclesiæ emendationem impedire præcipue moliretur, Patres firmitati Synodi consulturi, duo illa Decreta superius allegata innovarunt, decernentes, Papam nequaquam posse Concilium dissolvere, nec in alium locum transferre. Inde elucet, hæc duo decreta tempore Basileensis Synodi ejusdem fuisse auctoritatis,

Labbe Conc. to.12. p.924.

Sæcul. XV. A C. 1432. atque valoris, ac erant tempore Schismatis, quod Constantiensis Synodi convocationi occasionem dederat, eoquod Basileensis Synodus ea de novo confirmasset, & extincto jam schismate actis suis inseruisset. Itaque a vero abludit, quod duo ista Decreta, prout nonnulli existimant, duntaxat ab obedientia Joannis XXIII. comprobata, & solum pro tempore schismatis, quando adhuc de legitimo capite dubium erat, vim obtinuerint; Eugenius enim tunc a tota Ecclesia velut verus Pontifex colebatur (*).

§. XI.

Epistola I. Cardinalis Juliani ad Eugenium.

Nihilominus Cardinalis Julianus cuncta ista a Patribus provide dispositа, necdum sufficere arbitrabatur, hinc id mune-

(*) Si Schisma extinctum, si Eugenius Papa ab universa Ecclesia velut verus, & unicus habebatur Pontifex, qua ratione Continuator Libro CX. §. I. II. & IV. necnon in Præfatione ad tomum XXV. illud nonnisi anno 1449. fuisse extinctum, ac annos omnino quinquaginta tenuisse refert, haud videmus; nisi illud a Basileensibus Patribus per iniquam Eugenii veri Pontificis depositionem resuscitatum confiteri velit.

muneris sui esse ratus, ad ipsum Pontifi- Sæcul. XV.
cem literas dedit, quibus eidem, plena li- A. C. 1432.
bertate, pari tamen supremo Capiti debita submissione, exposuit, quantum Synodi dissolutio, quam velut certam ruinam ac Ecclesiæ eversionem depingebat, sibi displiceret. Æneas Sylvius binas recitat hujus Cardinalis epistolas, stylo vere Apostolico conceptas, robore plenas, ac Christiana libertate omni ex parte insignes (*).

Æn. Sylv. in Fasc. rer. &c. & inter ejus opera.

Beatissime Pater, inquit Cardinalis, *multa me cogunt libere, & intrepide loqui ad sanctitatem vestram, magna cum fiducia loquor, nec parcam, si opus sit, verbis asperis,*

(*) *Spondanus ad an.* 1432. § 3. *de prima Juliani epistola dicit:* Quæ sane, cum ingenti verborum vehementia scripta esse constet, ideo eam Juliani esse, cujus plerique omnes modestiam laudant, vix multi induci possunt, ut credant; ut autem & nos non solum de hoc dubitemus, verum etiam omnino suspectum habeamus, suadet, quod non reperiatur in actis Navarricis, ubi tamen descripta habetur alia ejusdem generis Epistola Juliani. Nisi Julianum sic scribere, a ceteris coactum dixerimus. *Ejusdem vero Epistolæ argumenta confutata per Joannem de Turrecremata legere potes in Odorico Raynaldo ad annum* 1434. *n.* 2.

Sæcul. XV. A.C. 1432.

ris, quia, ut inquit D. Bernardus, vera amicitia nonnunquam objurgationem habet, adulationem vero nunquam. Quod si secus facerem, sacrilegii, & infidelitatis apud Deum, & hominem reus viderer. Percipiamus quoque rationes, quas Cardinalis iste allegabat, ut Pontificem a Synodi dissolutione absterreret.

I. Bohemi, inquit, jamjam ad Concilium vocati sunt, ut de mediis, quibus Græci cum Latinis denuo unirentur, agere possent. Hi literas, quas Synodi Deputati obtulerant, jam acceperunt, ac in responsis dederunt, se Concilio adfuturos, dummodo de quatuor illis articulis tractaretur, ad quos tota eorum a Catholicis dissensio reducitur; quos inferius recensebimus. *Jam vero*, prosequitur Cardinalis, *si Concilium dissolvitur, quid dicent hæretici? Nonne Ecclesia fatebitur se esse victam, cum non ausa fuerit expectare illos, quos vocaverat? Approbabimus per hanc fugam errores eorum, & condemnabimus veritatem, & justitiam nostram.*

II. Omnes fideles ob ejusmodi dissolutionem turbabuntur, existimantes, quod propter hanc fugam nostra doctrina falsa sit, cum nos ipsi non audeamus illam defendere contra Bohemorum errores. Postmodum Papam Eugenium adhortatur, ut a suo proposito desistat, propriæ suæ consulturus utilitati, *cum Bohemi*, inquiebat

quiebat ille, *jam pluries, & nunc proximis diebus diffuderint per totam Alemaniam libellos famosos continentes non modo articulos contra fidem, sed præsertim contra statum Ecclesiasticum, & Sedem Apostolicam in detractionem Curiæ Romanæ.* Sæcul. XV. A. C. 1432.

III. Jam ubique publicatum est Concilium istud, præcipue congregatum pro hæresi Bohemiæ extirpanda. *Quanta,* inquit idem Cardinalis, *postea confusio & ignominia erit Ecclesiæ, si re infecta recedat? Quid dicet universus orbis, cum hoc sentiet? Nonne judicabit, Clerum esse incorrigibilem, & velle semper in suis deformitatibus sordescere? Et cum jam nulla spes supererit de nostra correctione, irruent merito laici in nos more Hussitarum, & dicetur nobis, quod irridemus Deum & homines. Ah! quis honor erit Romanæ Curiæ, quæ Concilium congregatum pro reformatione turbavit. Certe totum odium, tota culpa & ignominia transferetur in illam tanquam caussam & auctricem tot malorum.*

IV. *Notum est hoc Concilium congregari pro pace inter Reges & Principes Catholicos; jam invitati sunt præcipue Reges Franciæ & Angliæ tamdiu inter se bellantes. Si modo hoc fiat, nunquam credemini, putabunt homines omnia ficte fieri. Jam igitur de nullo homine nec fides habebitur, si tali macula modo Sanctitas vestra permittat se inquinari. Adde, beatissime Pater,* prose-

Sæcul. XV. A. C. 1432.

quitur Cardinalis, quod *Militares, & nobiles de Alemania obtulerint se ducere potentissimum exercitum proxima æstate in Bohemiam, dummodo daretur eis subsidium triginta millium Ducatorum. Scripsi desuper Sanctitati vestræ jam quarta vice*(*), *& necdum responsum habui. Tandem de consilio Concilii scripsi eis promittendo tale subsidium, sollicitavi eos ad prosecutionem tam sancti operis, pro quo Sedes Apostolica debuisset vendere Cruces, & Calices, & statim subvenire. Quod si dissolvatur Concilium, cujus nomine illi requisiti sunt, & etiam promissio facta, quid dicent illi? Nonne dimittent hoc, quod incæperant, quod erit maximum damnum,* & audacia: *nimia dabitur hæreticis, & nostris diffidentia, absque omni spe incutietur timor, & cogentur concordare cum hæreticis? Nonne tota militia, & Nobilitas Alemaniæ, videns se delusam, & deceptam per Ecclesiam, irritabitur contra Clerum? Finaliter,* pergit Cardinalis, *totum*

onus

(*) In textu Epistolæ habetur: *jam sunt* QUATUOR MENSES, *quod hoc annuntiavi sanctitati vestræ, nec adhuc habui responsum.* Observandum est, quod Continuator hanc Epistolam suo ordine non recenseat, sed aliqua omiserit, alia addiderit, nunc quædam ex fine illius, nunc ex medio, nunc ex principio alia mutuando eam consarcinaverit:

onus, & omnis nota redundabit in Sedem Apoſtolicam, & Sanctitatem veſtram, quia ad literas meas, quibus hoc ſubſidium Militaribus mitti rogabam, non reſpondit. *Putabam quod Sanctitas veſtra mitteret mihi ſubſidium petitum, & nuntiaret, ut urgeam diſſolutionem Concilii, in quo unica ſpes; ut ſi forſitan ex Curia non provideretur, ſaltem hic inveniretur ſubventio; etiamſi eſſetis certi perdere Romam, & totum patrimonium Eccleſiæ, potius ſubveniendum eſſet fideì & animabus, pro quibus Dominus noſter JEſus Chriſtus mortuus eſt, quam arcibus & mœniis civitatum.* Sæcul. XV. A.C. 1432

Denique Cardinalis Julianus in eadem Epiſtola inſinuat Pontifici: *poſito, quod nihil eorum bonorum, quæ prædicta ſunt, ex hoc Concilio ſequeretur, ſi perſeveret; tamen ſi diſſolvatur, omnes dicent, ſi non fuiſſet diſſolutum, tot & tanta bona proceſſiſſent.* Poſtmodum cunctæ rationes, quæ Papa ad diſſolvendam Synodum allegavit, refellit, ac conqueritur, quod illi, qui literas de hac diſſolutione ad ſe attuliſſent, toties mentem & linquam mutaverint, atque ambiguis verborum luſibus uſi fuerint. Aſt graviori longe ſermone deſcribit periculum futuri ſchiſmatis, ſignificans Pontifici, quod *Patres Concilii omnino decreverint ſtare hic, & continuare Concilium*, demum exponit rationes, ex quibus Patres reprobaverunt Bullam de diſſolven-

Sæcul. XV. A. C. 1432.

ſolvenda Synodo editam, atque Archiepiſcopo Tarentino demandatam. Idem Cardinalis hanc Bullam, ut Pontificis intentionem purgaret, ac honeſto titulo coloraret, Viris doctis expertisque prælegit, qui eam examinandam aſſumpſerunt. Jam nunc percipiamus rationes, ſeu potius prætextus, quos ad inducendos Concilii Patres, ut a Synodo recederent, Eugenius allegaverat.

§. XII.

Bulla Eugenii Papæ pro diſſolvendo Concilio.

Labbe Conc. to. 12. p. 937.

Obtendebat. I. nonnullos ex Baſileæ civibus Bohemorum hæreſi infectos eſſe, atque adeo non ab eis Clericos defendi, ut etiam violenter opprimerentur. Verum hanc rationem falſam eſſe declarabant, certisque probabant argumentis, cunctos Baſileenſis urbis cives orthodxæ fidei apprime addictos, ipſosque Clericis bene affectos eſſe. II. Prætexuit continua Burgundum inter & Auſtriacum Duces bella, ob quæ tutus non eſſet aditus. Aſt reſpondebant illi, pactas eſſe inducias inter utrumque Ducem, nec ullum, qui ad Synodum acceſſiſſet, offenſum, vel in ſuo itinere Baſileam verſus moleſtatum fuiſſe. III. Unionem Græcorum cum Latinis cauſſabatur, cui, ut inquiebat, tam præ-

præproperum Synodi cogendæ ſtudium vel maxime obſtaret. Verum hanc quoque rationem non ſubſiſtere, imo ridiculam eſſe aſſerebant; abſurdum enim arbitrabantur, ſi propter incertam Græcorum unionem permitteretur, ut Germania nunc ſemperque in fide conſtanter permanens labatur in Bohemorum hæreſim, cum tamen Græcorum unio, quoties fuiſſet cæpta, toties diſſoluta fuerit. Iſta cantilena de Græcis, inquiebant Patres, trecentos jamjam annos obtinet, omnique anno recantatur. IV. Dicebat Eugenius, ſeipſum Concilio intereſſe velle, ex quo inferebat, illud igitur intra Italiæ fines convocandum eſſe. Hæc ratio non minus quam ceteræ, frivola cenſebatur; ſi enim periculum fidei, totique Eccleſiaſtico ſtatui jamjam impendens attendatur, ineptum judicabant, ideo Synodum a Papa diſſolvendam, eoquod ipſe per ſe eidem aſſiſtere nequeat; cum tamen ejusdem Legatus præſens eſſe poſſet. Hæ erant rationes ab Eugenio in ſua Bulla productæ, quibus tamen nullum prorſus robur fuiſſe, ex allatis reſponſis manifeſte apparet. Sæcul. XV. A.C. 1432.

§. XIII.

Epiſtola II. Juliani Cardinalis ad eundem Papam.

Igitur Julianus Cardinalis has Papæ literas *Æn. Sylv. loc. cit.*

Sæcul. XV. A. C. 1432.

teras nihil moratus, alteram ad eundem perſcripſit epiſtolam, acerbioribus adhuc verbis, necnon gravioribus argumentis ſuffultam. Præprimis Eugenio ante oculos ponit ingens Bohemorum gaudium, quo affecti erant, ubi de futura pace nuncium accepiſſent; eidem quoque inſinuat paratiſſimum eorum ad Synodum accedendi animum, dummodo ſecuritatis ſponſione munirentur. Poſtmodum ait: *Quam laudabiliter ageret Sanctitas veſtra, ſi dimiſſa Italia, & omnibus rebus, quarum cuſtodia atque defenſio per Vicarios poſſet diſponi, huc perſonaliter ſe conferret, hoc enim eſt,* proſequitur Cardinalis, *verum Eccleſiæ Patrimonium, lucrifacere animas. Non enim Eccleſia eſt congregatio lapidum, & murorum. Non cuſtodem vos fecit Chriſtus caſtrorum, & mœnium, ſed Paſtorem animarum: proinde quod magis neceſſarium eſt, & Chriſto carius, id in propria Perſona agendum eſt, cætera per ſubſtitutos.* Demum eidem in memoriam revocat, quæ in Galliis, poſtquam illuc rumor de Synodi diſſolutione pervenerat, nuperrime geſta fuiſſent; dum nempe Regni hujus Prælati nuncio hoc commoti, in Bituricenſi Civitate juſſu Regis, die vigeſima ſexta Februarii Anno quadringenteſimo trigeſimo primo ſupra milleſimum convenerant, communi conſilio declarantes, Synodum Baſileenſem eſſe legitime con-

congregatam, nec ullatenus interrumpendam, sed omnino in eodem loco continuandam. Præfatam Bituricensium sententiam Archiepiscopus Lugdunensis tam ad Synodum, quam ad ipsum Cardinalem transmiserat, unacum rationibus, quibus Ecclesia Gallicana ad ejusmodi decisionem impulsa dicebatur; cujus apographum ipsi Eugenio Papæ per alios transmissum fuisse, Julianus se minime dubitare affirmabat. Jam enim Ludovicus Maretsius Lausanensis Episcopus ejusmodi exemplum a quodam obtinuit Episcopo, qui conventui Bituricensi intererat; & haud alius ac præfatus Archiepiscopus Lugdunensis esse creditur. Ut ut res se habuerit, eundem se plurimum Basileensis Synodi auctoritati deferre in sua epistola ostendit, quamvis ceteroquin obtestetur, quod expediat cum multa mansuetudine tractare Dominum nostrum Papam Eugenium, eo potissimum nomine, quod Pontifex esset omnium laude dignissimus, atque aliunde *caput Ecclesiæ, depresso autem capite arida, & infructuosa manerent membra.*

Sæcul. XV. A.C. 1432.

Labbe l. c. p. 978. 998.

Spond. ad an. 1432. n. 5.

Rationes vero, ex quibus Bituricenses Prælati ad tuendam Basileensem Synodum tam acriter impellebantur, præcipuæ erant. I. Bohemorum hæresis, quæ in tota Germania jam plurimum invaluerat. II. Necessitas reformandi Germaniæ Cle-

Sæcul. XV. A. C. 1432.

Clerum, qui a longo tempore gravi morum corruptione ubique infectus erat. III. Expedita Bohemos ad fidem reducendi, si Synodum acceſſuri ſint, vel ſi ire recuſarent, ſaltem eosdem compeſcendi occaſio; tunc enim omnes confeſtim adverſus eos arma juncturi eſſent, & univerſalis Eccleſia contra eorum errores veritatem tueri poſſet. IV. Sin vero ad Synodum venire detrectaverint, poſtquam ſummis precibus ad eam invitati fuerant, ſaltem per hoc illis ablata foret omnis de Catholicis conquerendi anſa, dicendique, quod indicta cauſſa condemnati fuiſſent.

Igitur Julianus Cardinalis, ut Baſileenſem Synodum contra Eugenium vindicaret, opportune uſus eſt flagranti Gallicanæ Eccleſiæ ſtudio. Equidem in ſua Epſtiſtola acerba nimium, juſta tamen verborum vehementia redarguit conatus, quibus Papa, licet tot illuſtres Prælati adverſarentur, Concilium diſſolvere meditabatur: *Num jam hoc eſt*, inquit Cardinalis, *reſiſtere voluntati Dei? Cur provocatis Eccleſiam ad indignationem? cur irritatis populum Chriſtianum?* Cum vero alii Papæ perſuaderent, Baſileenſe Concilium non eſſe legitimum, hancque ob cauſſam illud præcipue diſſolvere Papa niteretur, hinc Cardinalis Eugenio, ut eum ab hoc errore eximeret, ſequentem pro-

protulit rationem; *An hoc Concilium, inquit legitimum ſit, ex Concilio Conſtantienſi dependet: Si illud verum fuit, & iſtud. Nemo autem dubitare viſus eſt, an illud legitimum fuerit, alias fateri neceſſe haberet, privationem olim Joannis factam vigore illorum decretorum non valuiſſe. Si illa non valuit, nec Papæ Martini tenuit electio, facta illo adhuc ſuperſtite. Si Martinus non fuit Papa, nec Sanctitas veſtra eſt, quæ per Cardinales ab ipſo factos electa eſt. Nullius ergo*, infert Cardinalis, *magis intereſt defendere decreta illius Concilii, quam veſtra. Et ſi quodcunque illius Concilii decretum revocetur in dubium, eadem ratione poterunt revocari & reliqua.* Tandem ad Pontificem dicit, quod diſſolvere Synodum, ejus excederet poteſtatem. *Aſſerunt enim*, inquit ipſe, *prædictam diſſolutionem fieri non potuiſſe, obſtante quodam decreto Conſtantienſis Concilii, quod in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem ſchiſmatis, & ad reformationem Eccleſiæ in capite, & in membris quemlibet cujuscunque conditionis etiam Papalis ſtatuit teneri obedire ſtatutis Concilii generalis. Ecce*, ſubjungit, *poſſe ſtatuere in aliquem, poſſe præcipere, poſſe punire non obedientem, ſigna ſunt evidentia ſuperioritatis, teneri autem obedire, & ſubjici ac parere ſigna ſunt inferioritatis, Ergo* neceſſario infertur, *quod Papa, ut dicunt ſit inferior*

Sæcul. XV. A. C. 1432.

Sæcul. XV. A. C. 1432.

concilio in prædictis casibus, quod etiam facto probatum fuit; Nam propter unum de tribus casibus: scilicet ob pravitatem morum *Concilium privavit Joannem, & propter alterum* extirpationem schismatis *privavit Benedictum.*) *Ergo Papa non potest dissolvere concilium, quod congregatum esset propter extirpandas hæreses, faciendam pacem, reformandos mores,* uti fuerunt Concilia Constantiense, Senense, & Basileense. Porro hoc Constantiensis Synodi decretum Martinus V. Papa approbavit; Eugenius quoque illud acceptavit; illius ergo dissolutionem præcipere haud potuit. En totum, ad quod Cardinalis Juliani oratio reducitur, qui certe majori modestia erga summum Pontificem usus esset, nisi sibi magis amica fuisset veritas, quam sua dignitas, qua inter Cardinales præfulgebat. Nihilominus in calce Epistolæ libertatis suæ veniam a Pontifice sibi dandam petiit, obtestans, id se nullatenus perversa cavillandi voluntate, sed sincera fide, rectæque mentis studio, ut Christianum decet, scripsisse. Allata hac excusatione hunc in modum suas absolvit literas: *Dixi sæpe, & jam dico, & protestor coram Deo & hominibus, quod causa eritis schismatis, & infinitorum malorum, si non mutaveritis consilium* (*).

§. XIV.

(*) Continuator totus fuit in exaggerandis

§. XIV.

Sæcul. XV. A.C. 1432.

Reſponſio Synodalis ad Papæ Eugenii Legatos.

Synodi Patres, quibus Cardinalis Juliani ſtudium probabatur, cum gaudio pios ejusdem conatus fovebant, prout ex reſponſo Synodali Eugenii Papæ Legatis dato elucet, in quo, poſtquam expoſuerant, quam grave ſcandalum tota Eccleſia per diſſolutionem Synodi pateretur, ſummum Pontificem rogant, ut nolit contriſtari Spiritum ſanctum, ſed potius, *ſicut Catholicum Pontificem decet, velit Eccleſiæ*

Labb. Conc. to. 12. p. 637.

dis his Juliani epiſtolis, & tamen oblitus eſt monere Lectorem, quod hic idem Cardinalis cognito ſuo errore, relicto Felice V Antipapa a Baſileenſibus intruſo, Eugenio adhæſerit, Viennæ Æneæ Sylvio dixerit, ac proteſtatus fuerit, *ſalvari eum non poſſe, qui S. Romanæ Eccleſiæ non teneret unitatem*, & tandem, quod ipſus dictum Sylvium, qui Baſileenſem Synodum maxime quoad decretum de ſuperioritate Concilii defenderat, ſuis frequentibus colloquiis ad ſaniora reduxerit. Simulque cum non paucis, iisque doctrina, ac pietate conſpicuis Viris affirmaverit, *ſcire ſe Baſileenſes Spiritum ſanctum non habere ductorem.* Hæc & plura alia ex ipſa Æneæ Sylvii, poſtea Pii II. retractatione diſcere potuiſſet Continuator.

Sæcul. XV. A. C. 1432

Catholicæ se conjungere, quam hoc sacrum Concilium repræsentat, tandem rationes ad suadendam Synodi dissolutionem ab Oratoribus allatas refellere nituntur; cumque illæ omnes eo collimarent, ut Papam Synodo superiorem esse convincerent, ideo Basileenses Patres ex adverso Synodi auctoritatem supra Papam extollere conati sunt. Præprimis tanquam primarium doctrinæ suæ caput hoc adoptant principium, *Nos ipsi Papam caput Ecclesiæ esse fatemur, & credimus; nihilominus dicimus, ipsum Romanum Pontificem obedire teneri statutis Concilii Generalis legitime congregati in his, quæ pertinent ad fidem, ad extirpationem schismatis, & ad reformationem Ecclesiæ, quemadmodum declaratum exstitit per Generale Concilium Constantiense.* Hoc præsuppositio principio, eorum audiamus argumenta.

I. Nemini dubia est *Ecclesiæ Catholicæ auctoritas*, nec minus certum, quod omnia, quæ ipsa recipit, æqualiter ab omnibus fidelibus recipienda sint. *Ideo B. Augustinus in plerisque locis asserit: Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ auctoritas commoveret... Hæc sancta Ecclesia tanto privilegio a Christo Domino dotata est, ut eam errare non posse firmiter credamus.* Hæc sunt certa principia; *jam autem ista infallibilitas præter Ecclesiam nemini competit: non Angelis; hi enim a principio erra-*

re

re potuerant, & multi ex eis errarunt, non primis parentibus; nam a Diabolo decepti sunt, non summis Pontificibus, quorum nonnulli in errores lapsi dicuntur (*). Ergo sola Ecclesia potest leges condere, quæ universaliter omnes obligent fideles. Sæcul. XV. A. C. 1432.

II. *Generalium Conciliorum & Ecclesiæ Catholicæ eadem videtur esse potestas. Definitum enim in Concilio Constantiensi, quod Synodus Generalis in Spiritu sancto legitime congregata Catholicam repræsentet Ecclesiam,* Labbe Conc. tom. 12. p. 673.

(*) Basileenses non hanc, sed illam intulerunt conclusionem, *Ergo Ecclesia sola sine ruga, sine macula est, illa est, quæ errare non potest in iis, quæ ad salutem necessaria sunt.* Hæc deductio si de Ecclesia non acephala intelligitur, verissima est, non autem conclusio Continuatoris, quæ si intelligitur de Ecclesia excluso Pontifice, erronea est. Melius ergo intulisset. *Ergo cum hujus Ecclesiæ caput, Primas, Vicarius Christi & Pastor sit (prout ipsi fatentur & credunt) Romanus Pontifex, illi obedire tenetur Ecclesia;* Ex adverso ex conclusione Continuatoris sequeretur, summum Pontificem non posse condere leges, quæ universaliter omnes obligarent fideles, proin Leo X. male damnasset hanc Lutheri propositionem: *Certum est in manu Ecclesiæ aut Papæ non esse statuere articulos fidei, imo nec leges morum, seu bonorum operum.*

Sæcul. XV. A. C. 1432. *cleſiam, et poteſtatem a Chriſto immediate habeat. Idem etiam Martinus V. in ſuis literis Apoſtolicis dixit: quæcunque in Concilio Conſtantienſi de auctoritate Eccleſiæ dicta ſunt, trahi ad Generale Concilium, quod illam repræſentat neceſſe eſt* (*). *Alioquin non recta eſſet repræſentatio, ſi eadem in repræſentante & repræſentato auctoritas non ineſſet.* Ex quo ſequitur, Concilia Generalia errare non poſſe, eoquod ipſa ſint Eccleſia. *Et hoc ſolum*, ſubjungunt, *ſatis foret ad probandum omnem Concilii poteſtatem, nec alia probatione uti neceſſarium videretur,*

III. *Etiamſi Papa ſit caput Miniſteriale* Ibid. *Eccleſiæ* (ut cum Concilii Baſileenſis Patribus loquamur) *non tamen major eſt totâ Eccleſia; quia ratio, experientia, & auctoritas dictant contrarium. Ratio, quia reliquum totum corpus, etiam non computato Papa, ſecundum legem communem errare non*

(*) Denuo Continuator infidelitatis poſtulari poſſet, nam iſta verba *quæcunque* &c. connectit, & recenſet tanquam a Martino V. prolata, quod tamen falſiſſimum eſt, cum ſint ſolummodo a Baſileenſibus dicta. Percipe enim eorum verba: *Idem Martinus Papa in ſuis literis Apoſtolicis ſententias quasdam Concilii Conſtantienſis exprimit.* (NB. hic interponitur punctum.) *Quæcunque igitur proxime dicta ſunt de auctoritate* &c.

non poteſt in his, quæ ſunt fidei. Experientia etiam demonſtrat, quia ſæpe experti ſumus, & legimus, Papam, licet caput hujus corporis, erraſſe, reliquum autem corpus erraſſe nunquam legimus, propterea condemnavit, aut depoſuit Papam tam ratione fidei, quam morum. Sed nunquam Papa condemnavit, aut excommunicavit, aut depoſuit reliquum totum Eccleſiæ corpus. Licet ergo tam Papa, quam Eccleſia claves habeant ligandi, atque ſolvendi, Papa tamen nunquam in totam Eccleſiam claves has exercuit; Eccleſia autem ſæpenumero in Papam. Tandem auctoritas idem probat. Nam hoc, quod dixit Chriſtus, ſi peccaverit in te frater tuus, dic Eccleſiæ, & ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi, ſicut Ethnicus & Publicanus, omnes homines comprehendit tam Petrum, quam ejus Succeſſores, & *quod Petrus, & ejus Succeſſores illa auctoritate comprehendantur, oſtendit Paulus, qui in faciem reſtitit Cephæ coram omnibus,* quia, inquit, reprehenſibilis erat (*). Quid autem aliud erat, ſancto Petro coram omnibus reſiſtere, quam ejusdem errorem univerſæ Eccleſiæ manifeſtare? *Quoad Succeſſores, jam dictum eſt, qualiter ſæpe peccata eorum dicta fuerint Eccleſiæ,*

Sæcul. XV. A. C. 1432.

Labbe t. 2. p. 673.

Matth. 18.

Galat. c. 2.

(*) Hæc verba itidem non habentur in Epiſtola Synodali, ſed loco illorum ſequentia: *Eccleſiæ enim dixiſſe videtur, qui coram omnibus dixit.*

Sæcul. XV. A. C. 1432.

cleſiæ, & ab Eccleſia punita, & qui non audierunt Eccleſiam, habiti ut Ethnici & publicani, ut legitur de Anaſtaſio, & Liberio, qui ab univerſa Eccleſia Romana, velut Pontifices habiti in errorem prolapſi ſunt (*). *Probat hoc etiam auctoritas Concilii Conſtantienſis, definientis, quod peccata Pontificum circa fidem, vel ſchiſma, vel mores, poſſunt dici Eccleſiæ, cujus præceptis tenentur obedire: & ſi obedire contempſerint, condignæ pœnitentiæ poſſunt ſubjici, & ad alia juris remedia recurri, & per conſequens poſſunt excommunicari, quo facto ut ethnici & publicani habebuntur.*

Subjungit Epiſtola: conqueritur Papa, *quod Bohemos vocavimus, eo modo quo Sanctitas ſua ſuſtinere ſine offenſa aut detractionis, aut damnationis in Concilio Conſtantienſi factæ non potuiſſet.* Reſpondetur: *Nunquid in Decretis Concilii Conſtantienſis ſcriptum invenitis, quod Eccleſia non debeat eos ad inſtruendum, & informandum convocare? Non miramur,* proſequuntur Baſileenſes, *ſi ex dictis Oratoris noſtri occaſio ſumpta eſt ad diſſipandum Concilium, quandoquidem ex piiſſimis noſtris literis id factum eſſe videamus. Utinam propter honorem ſummi Pontificis hanc cauſſam in literis ſuis non inſeruiſſet, videlicet, quod hujusmodi vocatio fuerit in injuriam Sedis Apoſtolicæ, ſacrorum-*

Labbe loc. c.

(*) Hæc verba itidem in epiſtola deſiderantur.

crorumque Conciliorum, & contra Decreta S. Patrum ac ſtatuta legum Eccleſiæ (*). *Si audientia conceſſa Bohemis reprobatur, cur Græcis conceditur, cum & hi, & illi ab unitate Eccleſiæ ſeparentur? Si Concilium Bononiæ propter illos indicitur, cur Concilium Baſileenſe propter Bohemos indictum diſſolvitur? cum Bohemica hæreſis periculoſior ſit, ideo ad illam accuratius foret intendendum.* Sæcul. XV. A.C. 1432.

In eadem epiſtola poſtmodum oſtendunt, non minus neceſſarium eſſe Bohemos ad alloquium admittere, quam periculoſum id eis denegare, illosque eo duntaxat fine vocatos, ut inſtruantur, &, ſi fieri poterit, reconcilientur; hocque ſæpenumero actum fuiſſe a ſanctis Patribus, atque Doctoribus Eccleſiæ, & quidem in omni ſæculo. Tandem epiſtolam ſuam abſolvunt hiſce verbis: *Propterea neceſſarium eſſe arbitramur tam ſaluti animæ ſuæ, quam utilitati Eccleſiæ, ut ſanctitas ſua diſſolutionem prætenſam tollat, ſimpliciterque recognoſcat Concilium, & illi tota mente adhæreat.* Data eſt hæc epiſtola Baſileæ die tertia Septembris in quadam Congregatione Generali (**). Prælati, qui nomine

(*) In textu habetur: *Legum imperialium.*

(**) Haud diſſimulare poſſumus, Continuatorem noſtrum multoties minus fideliter hanc

Sæcul. XV. A.C. 1432.

mine Concilii ad Papam, atque ad Cardinales missi sunt, erant Episcopus Lausanensis, & Trajectensis Decanus, quein injunctum, ut a Papa Eugenio Decreti su revocationem enixe peterent; deman datam sibi provinciam hi delegati inte gra fide expleverunt, & ipse quoque Im perator suas addidit preces; Attame necdum Eugenii animum vincere pote rant. Quapropter Deputati siniſtrun commissi muneris succeſſum haud æqu animo ferentes, reversi sunt; Patres ve

ro

Epistolam Gallico idiomate expressisse, ac præcipue ea duntaxat excerpsisse, quæ Summi Pontificis auctoritati contraria, atque injuriosa sunt, studiose vero subticuisse, quæ quomodocunque illi favere crediderat: Cur enim non æque Historiæ suæ inseruit ex eadem hac Epistola Synodali verba sequentia: *Quod* (Pontifex) *caput sit, & primus Ecclesiæ, Vicarius Christi, & a Christo, non ab hominibus, vel Synodis aliis Prælatus, & Pastor Christianorum, & ei datæ sunt a Domino claves, & uni dictum est: Tu es Petrus, & solus in plenitudinem potestatis vocatus sit, alii in partem sollicitudinis . . . Ista plane fatemur & credimus, operamque in hoc sacro Concilio dare intendimus, ut omnes eandem sententiam credant.* Singula autem hæc verba ipse omisit duntaxat hæc referens *quamvis & Nos Papam Ecclesiæ caput esse fateamur &c.* *Vide* §. XIV. *fol.* 36.

ro intelligentes, quod Papa conſtanter ſuum decretum, ac Concilii diſſolutionem urgeret, inſuperhabito Eugenii decreto, Pontificiæ auctoritati ſuam opponere cæperunt. Sæcul. XV. A. C. 1432.

§. XV.

Seſſio tertia Concilii Baſileenſis.

Hunc in finem die vigeſima nona Aprilis Anno ſalutis quadringenteſimo trigeſimo ſecundo ſupra milleſimum Patres Baſileæ in Eccleſia Cathedrali tertiam Seſſionem celebrant, ac ſub primis ejusdem auſpiciis pluribus commemorant, quam impenſe Synodus Papam & Cardinales rogaſſet, ut Baſileam venirent, ac cum ceteris Synodi membris graviſſima, quæ ibidem tractanda forent, diſcuterent negotia, ex adverſo autem, quam pertinaciter iſti ad Synodum accedere recuſaverint, & Eugenius obfirmato animo, hoc Concilium diſſolvere, omnino decreverit. Relatis hiſce innovata fuere decreta Concilii Conſtantienſis de auctoritate Concilii generalis, quæ jam in præcedenti Seſſione prælecta fuere. Poſtea vero aliud condiderunt Decretum, quo *S. Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata generale Concilium faciens, exorat, requirit, obteſtatur, & monet Eugenium Papam, quatenus prætenſam diſſolutionem* *Labbe Conc. to. 12. p. 479.*

Sæcul. XV. A. C. 1432.

nem de facto revocet, & ipsam revocationem, quemadmodum & dissolutionem feci, per diversas mundi partes transmittat, & publicet, ab omnique impedimento dicti Concilii penitus desistat; quinimo eidem faveat & assistat, omniaque præbeat subsidia, & auxilia opportuna, necnon, si corporalis ipsius dispositio patiatur, personaliter infra trium mensium spatium veniat. Sin autem, personas loco & vice sua transmittat cum plenaria potestate. Alioquin, si hæc facere neglexerit, sancta Synodus necessitatibus Ecclesiæ (prout justum fuerit, & Spiritus Sanctus dictaverit) providere curabit, & procedet, secundum quod juris fuerit. Similiter Cardinales admonet & obtestatur, quatenus infra spatium trium mensium ad dictum Concilium veniant, canonico impedimento cessante. In præmissis autem Cardinalem sanctæ Crucis, quamdiu tractatibus pacis regnorum Franciæ & Angliæ insistet, includere non intendit. Quoad Cardinales autem Placentinum de Fuxo, & Cardinalem S. Eustachii, cum in propinquioribus locis existant, ad duorum mensium spatium restringit terminum. Mandat insuper universis Prælatis, quatenus prædicta omnia sanctissimo Domino Papæ insinuent, si tutus & accommodus pateat accessus, sin vero, affigi curent. Item decernit Synodus, hujusmodi decretum, postquam lectum fuerit, & publicatum, Ecclesiæ cathedralis Basileensis valvis affixum,

affixum, censeatur quoad omnes effectus facta insinuatio. Ejusmodi citationes contra Eugenium factæ annum integrum tenuere, non absque ingenti Ecclesiæ scandalo. Porro præter Notarios jam in prima Sessione designatos visum est Synodi Patribus alios adhuc duos in præsenti denominare, nempe Bartholomæum de Lutignia patria Senensem, & Thomam Chesnelotum Juris Baccalaureum, Rhemensis Diœcesis Canonicum. His ita dispositis absoluta est Sessio; in alia vero Congregatione die nona Maji habita Patres, intellectis iis, quæ in conventu Bituricensi pro firmitate Synodi gesta fuere, Franciæ Prælatis gratias, quas necdum exsolverant, egerunt, simulque datis ad Regem Carolum VII. literis eidem fervorem, ac studium erga Synodum gratulati sunt.

Sæcul. XV. A.C. 1432.

§. XVI.

Epistola Synodi ad Galliarum Regem.

In hac igitur Epistola Synodi Patres rogarunt Regem, ut *quemadmodum inter Reges Christianos, Antecessores sui semper primi fuerunt ad auxilium fidei & Ecclesiæ, propter quod Christianissimi vocari meruerunt, ita Majorum suorum imitando vestigia, omnem operam dare dignaretur, ut prædi-*

Labbe Conc. to. 12. p. 828.

Sæcul. XV. A.C. 1432.

prædicta deliberatio (ſuorum Prælatorum) *tam laudabilis per rei executionem muni illuceſcat*, atque Galliæ Epiſcopos, ſuos que Legatos mittat, ut horum præſenti Synodus numeroſior facta, ſecurius com muni Chriſtianæ Religionis bono pr videre valeat. Hinc Synodi Patres p riter adhortati ſunt Eccleſiæ Gallican Prælatos, ut Baſileam accedere feſtin rent. Eadem perſcripſerunt ad Trimo lium, qui tum apud Regem auctoritat & gratia nulli ſecundus erat, necnon a Reginaldum Rhemenſem Archiepiſco pum Franciæ Cancellarium, & ad Archie piſcopum Lugdunenſem, qui eo tempo re Nuncii Apoſtolici munus obibat. Hun Synodus rogabat, ut dimiſſa legatione ſua, utpote fructu vacua, Baſileam quam primum adiret; ejus quippe exemplo mox alios certatim accurſuros. Verum tamen Archiepiſcopum, cum operam ſuam magis regno, quam Synodi rebus neceſſariam eſſe judicaſſet, Gallias non reliquiſſe, conſtat ex quadam ejusdem E piſtola ad Lauſanenſem data.

§. XVII.

Bohemorum conſultatio de Oratoribus ad Synodum mittendis.

Vid. ſupr. lib. CV. § 89. & 90.

Bohemi hærebant dubii, utrum literis, quibus non ſolum a Synodo, ſed etiam

tiam ab Imperatore ad Synodum venire, legatosque suos Basileam mittere rogabantur, morem gererent. Quapropter Egram conveniunt, hac super re deliberaturi. Primo quidem maxima inter eos erat animorum dissensio. Orphani enim, & Taboritæ, imo plebs ferme tota, nec Basileam eundum, nec eo quosdam Oratores esse mittendos censebant, ac Joannis Hussi, necnon Hieronymi Pragensis exemplum in medium proferebant, conquesti, ambos sub fide Sigismundi Constantiam ad Synodum profectos, ad rogum tamen tempore Concilii Constantiensis damnatos fuisse. Attamen Mainardus Princeps Novædomus * tota- * Neuhaus que Nobilium corona alterius longe erant opinionis, proponentes: *Nullatenus tolerandos videri, qui novas peregrinasque de fide sententias, novumque ritum Religionis invenissent, nisi dictorum, factorumque rationem universali Ecclesiæ redderent, & quæ vulgo inculcaverant, coram doctis defenderent.* Prævaluit horum sententia, & communi omnium consensu decisum, ad Synodum mittendos esse Legatos. Inter eos, qui nomine Nobilitatis decernebantur, præcipui erant Guilielmus Coska, & famosus ille Procopius: nomine autem Cleri mittebantur Joannes de Rochizana & alii duo, qui tamen nonnisi obtentis

Sæcul. XV. A. C. 1432.

Æn. Sylv. Hist. Boh. c. 49.

Sæcul. XV. A. C. 1432.

tis prius ampliſſimis ſecuritatis literis iter aggreſſi ſunt.

§. XVIII.

Seſſio quarta Concilii Baſileenſis.

Igitur ad Bohemos mittuntur literæ, publicæ fidei teſtes, quæ in Seſſione ſequenti, ordine quarta, ac feria ſexta die vigeſima Junii eodem anno celebrata, jamjam debita forma conceptæ erant.

§. XIX.

Securitatis ſponſio Bohemis data.

Lab. Conc. tom. 12. *p.* 482.

Hæ literæ erant velut publica declaratio, qua Patres omnibus & ſingulis de regno Bohemiæ, deMarchionatu „ Moraviæ, de Praga, & aliis locis, cunctisque Sacerdotibus, Baronibus, Nobilibus, tam Eccleſiaſticis, quam ſæcularibus, ad Synodum generalem Baſileam mittendis ſignificabant, quod ad „ dictum Concilium, quotquot voluerint, non tamen ſupra numerum ducentarum Perſonarum, venire poſſint; „ eisque Synodus per præſentem ſalvum conductum veriſſimam ſecuritatem „ ſpondebat, ſimulque ibidem morandi, „ de negotiis ſibi commiſſis tractandi, „ concludendi, & terminandi pleniſſimam impertiebatur libertatem. Præ-

„ terea

„ terea eisdem permisit, ut in loco ho- Sæcul. XV.
„ spitiorum suorum divina officia sine A.C.1432.
„ ullo impedimento peragere, & quoties
„ illis videbitur, ad auram capiendam,
„ vel ob alias causas urbe exire possent.
„ Denique, si quis ex illis aliquod enor-
„ me crimen perpetraturus esset, con-
„ cessit Synodus, ut talis ab ipsis dunta-
„ xat, & non ab aliis condigna animad-
„ versione puniatur. „ Ultimo addide-
runt Patres: *Qui quidem salvus conductus durare debet a tempore, quo in nostræ tuitionis curam eos suscipi contigerit, & usque ad Basileam perduci, ac toto tempore mansionis eorum ibidem, & post sufficientem audientiam habitam spatio viginti dierum præmisso, cum ipsi petierint, aut Concilium ipsis recessum indixerit, in locum, quem maluerint, restituemus.*

§. XX.

Epistola Patrum Synodi ad Bohemos.

In eadem Sessione jussu Concilii lecta est *Id. p. 485.* Epistola ad Bohemos scripta, in qua illis gratulatur, quod Deputatos suos ad Synodum mittere, in urbe Egrensi decreverint, indeque magnam spem futuræ unionis præbuerint. *Laudamus*, inquiunt Patres, *& benedicimus Deum, qui tam lætam nobis præbuit diem, qua nullam adhuc sensimus lætiorem; Parari enim semitam*

Sæcul. XV. A.C. 1432. *videmus ad magnam Dei gloriam, & gran-dem populi Christiani profectum. Nem-noſtrum fuit, dum ipſi Oratores ſingul-vobiſcum acta recenſebant, qui vel oculi-vel corde non fleret. Commovebantur in-uſitato gaudio viſcera audientium rem tan-concorditer fuiſſe concluſam, ſperantium-que poſt hanc illam multo lætiorem dien-adhuc ſucceſſuram. Levemus ergo manu-noſtras ad cælum, glorificantes Dominum-noſtrum JEſum Chriſtum, quia pacem-quam quotidie diebus noſtris Eccleſiæ dari-petimus, jam appropinquare videmus . . . Jam prope eſt forte dies, quo alter alte-rum fraterna charitate nos invicem com-plectemur, & unanimes in eadem S. Matris-Eccleſiæ domo cum jucunditate perpetua-habitabimus. Hora eſt jam, ut S. Mater-Eccleſia, quæ pro tam duro filiorum ſuorum-diſſidio diu contriſtata eſt, pro pace & uni-tate lætari & exultare incipiat, luctumque-præteriti temporis convertat in gaudium. Tempus jam advenit, ut qui eodem Chri-ſti charactere inſigniti ſunt, & eodem ba-ptiſmatis fonte renati, depoſita omni diſ-ſenſione, eundem charitatis & unitatis Spi-ritum induant, & ad augmentum, gloriam-que nominis ſui Chriſtiani totis viribus-intendant, fidemque orthodoxam protegere-curent, quam infideles Pagani multis in lo-cis ſignominioſe peſſumdant, & extinguere-moliuntur.* Hanc epiſtolam Synodus u-

nacum

nacum publicæ fidei literis a se confectis ad Bohemos transmisit, utque huic Nationi adhuc magis innotesceret impigra Patrum sollicitudo, qua pro illius securitate nihil omnino intentatum relinquerent, Joannem de Mulbruno, qui præter alios in Bohemiam missus Egrensi conventui interfuit, ad Sigismundum ablegant, ut ab eo alias adhuc liberi commeatus literas in sua ad Bohemos epistola Regia manu firmatas peteret; *Quas*, inquit Synodus, *ut primum habuerimus, ad vos sine mora transmittemus, ut nihil ex parte nostra desit, quod pro vestra tutela, & libera audientia necessarium videbitur.* Sub idem tempus Pontifex periculosa admodum decumbebat infirmitate; hinc Synodus in eadem Sessione decrevit, si Sedem Apostolicam vacare contingeret, summi Pontificis electio in eodem sacri hujus Concilii loco, & non alibi a Cardinalibus fieret. Postea quatuor promulgavit decreta; atque in primo statuebant Patres, quod Papa durante Concilio nullum Cardinalem creare posset, eoquod frequentior Purpuratorum numerus Ecclesiæ prægravis accideret, & si secus attentatum fuisset, ejusmodi promotio irrita esset, atque inanis. Cum vero fieri posset, ut Eugenius Papa, insuperhabita Concilii prohibitione, Cardinales crearet, ideo statuit Synodus, quod si quos-

Sæcul. XV. A.C.1432.

Labbe Conc. to.12. p.487. & 488.

Sæcul. XV. A. C. 1432.

dam Cardinalium collegio adscripturus esset, recens assumptos publicare non valeret. Synodus enim abusui, qui præconcepto reformationis negotio plurimum obstaret, obviare intenta, verebatur, ne plurimi Cardinalitiam dignitatem ambitiose (*) expetentes, hoc sub obtentu a Synodo deficerent, ac Curiæ Romanæ adhærerent, id autem Concilii Patres sedulo impedire conabantur. Altero decreto statutum, *ne quis propter juramenta, promissiones, vel quaslibet alias obligationes summo Pontifici, seu alteri superquacunque re præstita seu præstanda se impeditum a veniendo ad hoc sacrosanctum Concilium occasione dictorum juramentorum &c. prætenderet. Processus vero quoscunque excommunicationis &c. aliasque mulctas in omnes propter prædicta fulminatas vel fulminandas eadem sacra Synodus nullas & irritas declarat.* In tertio demum decreto sancitum, ut in literis, actisque Synodalibus sigillum adhiberetur plumbeum, quod ex una parte Spiritum Sanctum in specie columbæ repræsentaret, aversa autem facie hæc verba sigillo insculpta exhibe-

(*) *Hæc Basileenses salubriter statuebant contra eos, qui Cardinalitiam dignitatem ambire possent, obliti eorum decretorum, quibus propriam adipiscendi Papatus cupiditatem retrævare potuissent.*

hiberet; *Sacrosancta Generalis Synodus Basileensis.* Sæcul. XV. A.C.1432.

§. XXI.

Regimen Avenionensis urbis Cardinali S. Eustachii commissum.

Postremo hujus Sessionis decreto Synodus Alphonsum Carillum natione Hispanum Cardinalem tit. S. Eustachii constituit Gubernatorem Avenionensis civitatis, & Venaissini Comitatus Vicarium, eidemque adjecit plenam ac integram potestatem, eandemque facultatem, quam Franciscus Narbonnensis Archiepiscopus, & S. R. E. Camerarius olim a Martino V. Papa obtinuit. Inde elucet, hunc Prælatum fuisse primum Vice-Legatum Avenionensem ab eo tempore, quo Pontifices cum tota sua curia a laudata urbe discesserant; nam Petrus Fuxensis Cardinalis, cui Eugenius Papa hanc Legationem concredidit, ab Avenionensibus non fuit admissus; unde bellum exarsit, & civitas expugnata. *Labbe Conc. to.12.p.489.*

§. XXII.

Sessio V. Basileensis Synodi.

Die Sabbati nona Augusti in vigilia S. Laurentii habita est Sessio quinta, in *seq.* qua Synodus considerans, utile imo & *Id.p.490. &*

Sæcul. XV. A.C. 1432.

necessarium fore pro causis, quæ fidem concernerent, de Viris valde idoneis sibi providere, eisque harum examen, antequam Patres Concilii definitivam sententiam ferrent, committere; hunc in finem tres nominavit Judices, nempe Franciscum Papiensem, & Conradum Ratisbonensem Episcopos, necnon Joannem Cistercienſium Abbatem; quibus tam in ipso Concilii loco, quam extra illum in causis fidei citandi, audiendi, cognoscendi, decidendi, aliaque faciendi potestatem concessit, dummodo ad prædictas causas pertinerent; Nihilominus tamen priusquam hi Judices officio suo fungerentur, Synodi Deputati ejusmodi causas examinare, ac desuper præfatis judicibus referre, totamque causam ad pleniorem rei discussionem remittere tenerentur; his vero judicibus usque ad definitivam sententiam exclusive pronunciandi jus competeret, Synodo sibi definitive decidendi auctoritatem reservante; idque vel maxime necessarium erat, ut decisio vim legis obtineret. Præterea alii tres nominabantur Episcopi, quorum sollicitudo erat, ut omnes causas ad Synodum devolutas audirent, exceptis iis, quæ vel fidem, vel nonnullos alios Synodi Ministros spectarent. Horum tamen omnium sive pro fide, sive pro aliis causis Deputatorum potestas ad trimestre limitata

mitata erat. Tandem prohibuit Synodus, ne ullus, qui huic Concilio vel per se, vel per procuratorem junctus esset, ad Romanam Curiam, aut ad quemcunque alium judicem extra Concilii locum evocaretur, vel lite semel mota invitus traheretur. His ita statutis absoluta est Sessio. Sæcul. XV. A.C. 1432.

§. XXIII.

Oratores Eugenii Papæ in Congregatione auditi.

Die vigesima tertia Mensis Augusti habita est Congregatio Generalis, in qua Eugenii Pontificis Legati non ita pridem Basileam delati audiebantur. Hi quatuor erant numero, scilicet Andreas de Constantinopoli Colossensis Archiepiscopus, Joannes Tarentinus, Bertrandus Magalonensis Episcopus, cujus sedes postea Montispessulanum translata fuit, & Antonius Sacri Palatii causarum Auditor. Accessere omnes hanc Congregationem, ac primo quidem Andreas prolixo admodum sermone schismatis mala, pacisque stabilis emolumenta extulit, hortatusque, ut concordiam unacum Ecclesiæ Capite amplecterentur; hac enim via Græcos facilius reconciliari, Hussitas certius ad fidem revocari, moresque Clericorum felicius emendari posse ajebat. In a-

Sæcul. XV. A.C. 1432.

lia Congregatione die vigesima quinta ejusdem Mensis habita Joannes Tarentinus de suprema, eaque necessaria Pontificis auctoritate disseruit, exposuitque, Eugenium justis ex caussis ad dissolvendam Basileensem Synodum motum fuisse, ac solius Pontificis esse de loco, & tempore celebrandi Concilii decernere, neque illum cuiquam mortalium in ejusmodi rebus subditum esse; quibus subjunxit, a Papa quam ardentissime exoptari, ut Synodus celebraretur, qua Græci ad Ecclesiæ unionem, Hussitæ vero ad Christi fidem reducerentur, morumque disciplina revocaretur; cum vero eundem, quominus Italiam desereret, non modo adversa ejus valetudo, sed alia etiam, eaque gravissima impedirent negotia, ideo ab illo offerri quemcunque alium locum Ecclesiæ dominio subjectum, ejusque electionem Concilii arbitrio relinqui; Papam vero polliceri, se confestim illuc profecturum, seque præprimis omnibus inhæsurum, quæcunque Synodus circa emendationem suæ Personæ, vel ceterorum Romanæ Curiæ membrorum, Præsulum, aut Officialium, si qui forte correctione indigerent, decretura esset.

§. XXIV.

Sæcul. XV.
A.C.1432.

§. XXIV.

Synodi Patrum responsio ad Papæ Legatos.

Hæc Papæ Legati Oratio minus acce- *Labb. Conc.*
pta erat Synodi Patribus; cum enim *to.12. p.673.*
illi non minori studio Basileense Concilium prosequi percuperent, quam Eugenius illius dissolutionem aut translationem identidem urgeret, Legatis responderunt, eos, qui Synodum rite ac legitime congregatam evertere, ac dissolvere conarentur, Ecclesiam scindere, illam in certam ruinam conjicere, simulque, cum talia auderent, Spiritum Sanctum contristari, eumque e cordibus suis expellere, eoquod præcipuum rumperent vinculum, nimirum charitatem, quæ sola Spiritum Sanctum conservare posset; Conciliorum generalium, cum universam repræsentent Ecclesiam, supremam esse in cuncta ejus membra auctoritatem, utpote ab ipso Christo Domino, nullo mediante, constitutam, cui & ipsi Pontifices obedire tenerentur in his, quæ ad fidem, schismatis eversionem, morumque correctionem spectarent, ac propterea Basileensem Synodum nil in Eugenium Papam peccasse, eundem in jus vocando; Causas vero, ac prætextus dissolutionis ab eo allatos ex compluribus titulis nullos esse, quini-

Sæcul. XV. A.C.1432.

mo prorsus contrarios fini, ob quem Synodus convocata, atque congregata fuisset, ideoque Synodi Patres sine noxa postulatis Papæ cedere, aut dissolutioni Concilii acquiescere haud valuisse. Hæc epistola data est tertia die Septembris.

§. XXV.

Sessio sexta Basileensis Concilii.

Id. p.493.

Sequenti die Sabbati, sexta Septembris, habita est Sessio sexta. Missam de B. Virgine Philibertus Constantiæ in Normannia Episcopus solemni ritu decantavit, assistentibus Cardinale Juliano Præside, aliisque duobus Cardinalibus, scilicet Firmano, & Placentino; Aderant quoque Guilielmus Bavariæ Dux Concilii Protector, & triginta duo alii Prælati habitu Pontificio induti. Cum igitur Eugenius Papa nec Bullam de Synodi dissolutione revocasset, nec per se, nec per procuratorem intra terminum sibi in tertia Sessione præstitutum comparuisset, Promotores Concilii eundem velut contumacem declarari postularunt, quod ipsis quoque concessum est, ea tamen lege, ut adhucdum trina vice ad valvas Ecclesiæ vocaretur. Comparent ergo Oratores Eugenii, Colossensis, & Tarentinus, Archiepiscopi, Magalonensis Episcopus, & Auditor, petentes, ut ad evitanda

tanda ſcandala ſuſpendantur judicii acta adverſus Papam, & Cardinales inſtructa. Patres ad Legatorum preces duobus Epiſcopis dant negotium, ut abſentiæ cauſſas, quas Cardinales allegaſſent, examinarent. Denique mittitur Gerardus Laudenſis Epiſcopus ad Angliæ Regem, qui eundem de legitima Concilii convocatione edoceret, ſimulque hortaretur, ut Prælatos ſuos ad illud mitteret, pacemque cum Gallis iniret, ut eo ſecurius poſtmodum ſublato omni impedimento Eccleſiæ bonum promoveri poſſet. Sæcul. XV. A.C. 1432.

Die vigeſima quarta Octobris, quæ erat feria ſexta, habita eſt Congregatio generalis, in qua plurimi articuli circa emendationem morum in Capite & Eccleſiæ membris ex Synodi ſententia proponebantur; cum vero Patres in tam ſalutari negotio parum concordes eſſent, cuncti eorum conatus in irritum ceciderunt, eoquod Eugenium deprimendi aviditas longe magis illorum occupaſſet animos.

§. XXVI.

Seſſio VII. Baſileenſis Synodi.

Nihilominus feria quinta, die ſexta Novembris ſeptimam celebrarunt ſeſſionem, in qua ſacro de Spiritu Sancto per Novarrienſem Epiſcopum peracto, aliisque *Labbe Conc. to. 12. p. 496.*

Sæcul. XV. A.C.1432.

liisque solemniis de more absolutis, rursus promulgabatur quartæ Sessionis decretum, quo sancitum, si durante Concilio sacram Sedem vacare contingeret, absque Synodi consensu ad novi Pontificis electionem procedi non posset, electionis tamen terminus ad sexaginta dies a tempore, quo Sedem Apostolicam vacare innotuerit, computandos prorogaretur, eo fine, ut absentes quoque Cardinales commode ad locum Synodi accedere, ibidemque conclave ingredi valerent. Alio decreto Synodus sancivit, ut omnes, quibus de beneficiis Cardinalium rebellium jus disponendi competit, libere per viam collationis, præsentationis, electionis, seu cujuslibet alterius provisionis, etiamsi essent Ecclesiæ Metropolitanæ, Cathedrales, aut alia quæcunque beneficia, quæ in titulum vel commendam a prædictis Cardinalibus possidentur, disponere valerent, ac omnia ista beneficia ad suos ordinarios Collatores revoluta conferentur, reservationibus Apostolicis minime obsistentibus, ablata etiam Pontifici de beneficiis eorum, qui Synodo interfunt, disponendi facultate.

§. XXVII.

Sessio octava Basileensis Synodi.

Id. ib. p. 497. & seqq.

Die Jovis decima octava Decembris habi-

habita est Sessio octava; in ea Patres ante omnia exponunt, quod Synodus, *licet secundum ordinem juris, & attenta magna Eugenii Papæ, ac Cardinalium absentium contumacia, procedendum fuisset ad declarandum ipsos esse contumaces, & alia juris remedia opportuna; volens tamen agere cum omni mansuetudine & lenitate, & si forte resipiscerent, expectare: maxime attendens quod Romanorum Rex jugiter apud eundem Eugenium & Cardinales instabat ambasiatis, literis, & tractatibus, usque in præsens supersedit ab ulterius procedendo. Cumque jamjam lapsi sint tres menses, tamen adhuc sexaginta dies Papæ Eugenio concedit, ut cætera* (in III. & VI. Sessione) *contenta adimpleat cum effectu, & dissolutionem Synodi absque mora revocet. Alioquin absque ulteriori monitione seu citatione Synodus contra ipsum procedet: adjiciens, quod, si Eugenius, dicto termino sexaginta dierum pendente, aliquas promotiones seu collationes Beneficiorum fecerit, Synodus eas cassat, irritet, & annullet. Mandat præterea omnibus Prælatis, & Officiariis, ut post lapsum dicti termini infra viginti dies a Curia Romana recedant sub pœna privationis omnium suorum beneficiorum.*

Sæcul. XV. A.C. 1432.

§. XXVIII.

Sæcul. XV.
A. C. 1432.

§. XXVIII.

Decretum de unica nonnisi Synodo habenda.

Idem ibid. p. 498.

Postmodum adhuc aliud Decretum condunt, in quo Patres declarant, *quod sicut unica est Ecclesia sancta, & Catholica, Christi ejus Sponso dicente:* Cant. 6. UNA EST COLUMBA MEA PERFECTA MEA, *& fidei articulo hoc profitente, cum unitas divisionem non capiat, sic esse non potest, nisi unicum generale Concilium, ipsam sanctam Ecclesiam Catholicam repræsentans. Cum ergo in hac civitate Basileensi decretis sacrorum Conciliorum Constantiensis & Senensis, & duorum Romanorum approbatione Pontificum, Martini V, & Eugenii IV. generale Concilium institutum, & stabilitum sit, constat aliud generale Concilium, isto durante, alibi esse non posse. Quicunque ergo aliam Congregationem sub nomine generalis Concilii erigere præsumpserit schismaticorum conventiculum facere convincitur. Idcirco Sancta Synodus omnes Christi fideles, cujuscunque status, aut dignitatis, etiamsi Papalis, Imperialis, vel Regalis existant, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis contra schismaticos a jure inflictis, districte præcipit, ut talem congregationem impediant, hoc sacro Basileensi durante Concilio. Si quis autem Bononiam, vel ad aliquem locum sub nomine Generalis Concilii præsumat accedere, sententiam*

tiam excommunicationis, & privationis ſuorum beneficiorum incurrat ipſo facto. Synodus in alio decreto declarat, quod *quicunque attentaverit a Romano Pontifice impetrare, aut etiam acceptare aliquod beneficium alicujus ex adhærentibus huic Concilio, ſit omnibus beneficiis privatus, & ad obtinendum in futurum inhabilis.* Tandem tertio decreto prohibetur Eugenius Papa, ne terras, & caſtra Romanæ Eccleſiæ alienaret, prout tamen de illis diſtrahendis varios tractatus habuiſſe dicebatur; cautum denique, ne nova tributa Romanæ Eccleſiæ ditionibus, vel aliis imponeret, ſi ſecus faceret, ea irrita prorſus ac nulla declarantur.

Sæcul. XV. A. C. 1432.

Labbe Conc. tom. 12. p. 499.

Pag. 500.

§. XXIX.

Imperatoris edictum de tuenda Synodo.

Ut ejusmodi decreta Synodi Patres tanta fiducia conderent, inde ortum traxit, quod comperiſſent, Sigismundum Senis exiſtentem die vigeſima ſecunda Novembris diploma promulgaſſe, quo ſubditis ſuis omnibus teſtatum fecerat, ſe ab initio faviſſe Baſileenſi Concilio, & impoſterum ſe eidem pro viribus patrocinaturum, nec unquam permiſſurum, ut illius auctoritas, atque libertas quovis pacto labefactaretur. Acceſſerat Senas idem Impera-

Labbe Conc. to. 12. p 464. *append. I.*

Sæcul. XV. A. C. 1432.

perator, civium precibus ſtimulatus, qu illius auxilium, præſidiumque adverſu Florentinos eorum hoſtes implorabant Hi quoque omni virium contentione Si gismundum impedire conabantur, ne Ro mam ibidem coronam recepturus conten deret; nihilominus illis Pontifex ſempe benevolum ſeſe exhibuit, donec anno po ſteriore concordia inita eſſet.

§. XXX.

De Neapolitani Regni fatis.

Temporis, rerumque viciſſitudines in Neapolis Regno ſubortæ infauſtum præſagiebant exitum Joanni Carraciolo ſupremo Neapolis Seneſcallo, qui ambitioni ſuæ modum ponere neſcius, perinde ac itidem Rex eſſet, ſummum imperium ſibi arrogabat. Hic itaque, cum Salernitanum Principatum ſibi a Regina denegatum ægerrime ferret, per ſummam audaciam in verba injurioſa, crebrasque contumelias adverſus eam prorupit: ſed haud impune; quippe illi, quos ſibi alias infenſos habebat, hac ejus licentia ſpecioſius ſuam conſpirationem tegere ſtudebant, eundemque altera die poſt celebratas Filii ſui nuptias ſeptima decima Aprilis ejusdem anni miſere trucidabant. Communior fama ferebat, hanc cædem potiſſimum conſpiratione Cobellæ Rufæ, con-

Summon. l. 4. c. 3.

Marian. l. 21. c. 5.

conjugis Antonii Marſani Sueſſæ Ducis patratam fuiſſe; Hæc enim apud Reginam, utpote propinquam ſuam, maxima pollebat auctoritate, eamque conſiliis ſuis obſequentem habebat; quapropter Caraciolum, quem ſolum Regiæ gratiæ corrivalem timere poterat, implacabili perſequebatur invidia. Hinc injuriam, quam ille Reginæ intulerat, in rem ſuam vertens, inconſtantem hujus Reginæ animum dextre adverſus illum accendit. Poſtquam igitur Regina Caraciolum furenti Duciſſæ arbitrio reliquiſſet, illa Reginam derepente apoplexia tactam ſimulans, eundem vocari juſſit, qui rupta omni mora e lecto prorumpens, ad Palatium advolat; verum vix e lecto ſuo egreſſus, a conjuratis confoditur. Haud inficiabatur Regina, ſe homicidii conſciam fuiſſe; quapropter Sicariis facile veniam tribuit, Caraccioli autem bona fiſco addixit, infamiæ etiam nota ejus nomini aſperſa. Poſt hæc fata Ludovicus Andegavenſis a Regina ante adoptatus, Neapolim reverti, toto ſtudio contendebat; prius enim Caracioli invidia in Calabriam ſub obtentu bellum ibidem gerendi ablegatus fuerat. Aſt obſtitit Sueſſenſis Duciſſa, quæ ut Reginæ gratiam ſibi ſoli certam redderet, omnem ſupremi, quod in ejus animum exercebat, imperii æmulum excludere conabatur; acceſſit etiam, quod Duciſſa magis

ſæcul. XV. A. C. 1432.

Sæcul. XV. A. C. 1432.

faveret Alphonso Arragonum Regi, quem Caraciolus in Siciliam revocavit, spe facta, eum a Regina denuo adoptatum iri. Nec sua eum spes fefellit; quippe Regina adoptionem Andegavensi factam jusque in Neapolis Regno succedendi re scidit, & quam olim Alphonso Arragonia Regi asseruerat, adoptionem innovavit hacque super re publicas tabulas confici jussit, sigillo tamen suo clausas, ne Gal lis innotescerent.

§. XXXI.

Res Poloniæ.

Grom. l. 10. Interea Bohemorum Legati in Poloniam ad Ladislaum Regem delati, auxilia contra Equites Teutonicos in Prussia, qui Polonos assiduis vexationibus, ac bellicis insultibus premebant, pollicentur, nunciantque Regi, Basileensis Synodi Patres valde in eum propensos esse. Igitur Ladislaus hosce Legatos comiter ac magnifice habuit, pariterque Archiepiscopus Gnesnensis, aliique Prælati illos ad Sacrorum communionem admiserunt. Postquam autem Cracoviam pervenerant, mox jussu Sbignei urbis hujus Episcopi in tota civitate divinis interdictum est. Rex hoc facto tantopere in Episcopum excandescebat, ut etiam comminaretur, eum pari, quam Petrus ejus Prædecessor experti

pertus fuiſſet, ſorte plectendum. Cui Epiſcopus ejusmodi minis nequaquam territus, virili conſtantia repoſuit: „Cum „ de Religione agitur, nihil omnino reſor- „ mido, ſed pro illa omne tormentorum „ genus ſubire paratus ſum; de cetero „ meminiſſet Rex, ſanguinem Petri adeo „ injuſte effuſum adhucdum vindictam „ de cælo expetere, Deumque illius cauſ- „ ſæ vindicem ac defenſorem fore „ De eodem Epiſcopo referunt Scriptores, quod quamvis monitus eſſet, quosdam a Rege ſubornatos fuiſſe, qui eum de medio tollerent, ille nihilominus ad evitandum hoc mortis periculum nulla cautela uſus, eodem in lecto ſuo, nulla ſibi adhibita cuſtodia cubuiſſet, imo & intempeſta nocte cum uno ſolo Sacerdote ad Cathedralem Eccleſiam ſuam perrexiſſet, neque adverſi quicquam perpeſſus fuiſſet, ſive quia Rex ſacrilegum mutaverat conſilium, ſive quia ejus minæ non niſi vanæ & inanes fuerant. Eugenius tamen ejus zelum præmiaturus, illum poſtea Cardinalitia dignitate decoravit.

Sæcul. XV. A. C. 1432.

§. XXXII.

Carmelitarum Regulæ mitigatio.

Hoc eodem anno die decima quinta Februarii Papa Bullam edidit, qua Carmelitis tribus in hebdomada diebus carnibus

Bullar. to. 1. Eugen. IV. Conſt. 3.

Sæcul. XV. A. C. 1432.

nibus veſci, aliasque plures Regulæ mitigationes indulſit; unde a primævo inſtituti ſui rigore non parum deflexerunt. Moderationem jamjam ab Innocentio IV. anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quinto acceperunt, nimirum ſeptimo ex poſt anno, poſtquam unacum S. Ludovico Galliarum Rege in Europam migrabant, ſedemque in Francia figebant.

§. XXXIII.

Congregatio S. Juſtinæ.

Ibid. Conſtit. §. 9. & 10.

Idem Pontifex condita Bulla die vigeſima tertia Novembris hujus anni approbavit, confirmavitque Congregationem S. Juſtinæ Patavii. Fuerat illa jam antea a Joanne XXIII. approbata, & a Martino V. pluribus privilegiis ditata, quorum numerum Eugenius ampliavit, novisque favoribus ac gratiis auxit, editis hanc in rem duabus Conſtitutionibus, quarum prima trigeſima die Junii Anno Salutis milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſexto, altera vero vigeſima quarta Novembris ejusdem anni data fuit. Hæc Congregatio una erat ex illis, quæ in ſacro Benedictinorum Ordine intra Italiam reformationem profeſſa eſt, quam Ludovicus Barbus natione Venetus S. Georgii in Alga Canonicus Anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo nono inchoaverat.

Euge-

Eugenius vero, revocatis a ſuo Prædeceſſore ſancitis, adhuc magis conſolidavit, ac plura, quibus ſecuriori ejusdem conſervationi provideret, ſtatuta præſcripſit, atque amplioribus privilegiis condecoravit. Sæcul. XV. A.C.1432.

§. XXXIV.

Cenſura propoſitionis de Epiſcoporum monitis.

Sub idem tempus Ebroicenſis Epiſcopus, ejusdemque Diœceſis Inquiſitor Facultatem Theologicam Pariſiis conſulerunt de quadam propoſitione, quam quidam docuit, aſſerens, Epiſcoporum monita meros abuſus eſſe. Igitur Facultas die decima ſexta Maji doctrinali ſua ſententia declaravit, hanc propoſitionem eſſe injurioſam, præſumptuoſam, temerariam, ſcandaloſam, ad ſeditiones ac rebelliones tendentem, cenſuras Eccleſiaſticas infringere molientem, doctrinæ Chriſti Domini, atque Apoſtolorum contrariam, necnon erroribus a Concilio Conſtantienſi damnatis faventem. *Dupin. Bibl. tom. 12.*

§. XXXV.

Galliæ Status.

Ferme in omnibus Franciæ Provinciis, quamvis ſucceſſu admodum diſſimili, bel- *Joann. Chart. Hiſt. Carol. VII.*

Sæcul. XV. A. C. 1432.

bellum ardebat, cujus tamen vis ſeptem vel octo annorum ſpacio valde remittebatur, eoquod utraque belligerantium pars tam ob virium impotentiam, quam ob pecuniarum inopiam haud ultra validos exercitus alere poſſet. Quibus acceſſit utriusque Regis imbecillitas; Anglus quippe pupillarem ætatem nondum egreſſus, tutelæ adhuc ſubjacebat, Gallus vero ex meretricum, atque adulatorum ſuorum arbitrio pendebat. Nihilominus Arundelius Comes, ſupremus Anglici exercitus Dux Sancelerinum, quam urbem trium menſium, & amplius obſidione preſſerat, tandem occupavit, inde ad caſtrum Silacum-Guilielmum in Cenomanenſi agro ſitum movens, illud cinxit, demumque ad deditionem coegit. Bellicis hiſce expeditionibus proſpero Marte confectis ad terras Cenomanenſes atque Andegavenſes perſæpe prædatum excurrens, caſtra Mellacenſe, & S. Laurentii Mortariorum cepit, quibus præſidiario milite munitis, in Normanniam reverſus eſt.

Sile te Guillaume. Mellai S. Laurent des Mortiers.

§. XXXVI.

Arundelii Comitis obitus.

Poſtquam autem Arundelius Comes intellexerat, quemdam Centurionem, patria Vaſconem, nomine Hiram, aliumque dictum Pontonum Santraillium paulopoſt

lopoſt Gerberacum, pervetuſtam quam- Sæcul. XV.
dam arcem quatuor leucas Bellovaco di A.C.1432.
ſtantem occupaſſe, confeſtim illuc ſuas copias admovit. Hira & Santraillius in adventantem Comitem eruptionem tentant, acie congrediuntur, & quamvis Angli Gallorum numerum triplo excederent, hi tamen illos profligarunt, octingentis Anglorum deſideratis; Ipſe quoque Comes in captivitatem abſtractus, paulopoſt multis vulneribus confoſſus, e vivis conceſſit; unde Anglorum vires haud parum acciſæ fuerunt.

§. XXXVII.

Sfortia Roma profugus.

Eodem tempore Sfortia, qui hucusque Eugenio Papæ Romanæ Urbis poſſeſſionem aſſerturus ibidem ſubſtiterat, tandem Roma excedere, ac non modo armis, ſed & Pauli Urſini inſidiis ſubjacere cogebatur. Caſtra metabatur prope Aldegam, ubi eum Cardinalis S. Crucis ex Columnenſium familia ortus nomine Pontificis convenerat, perſuaſurus, imo eundem compulſurus, ut Romam reverteretur. Quid inquiebat Cardinalis, Ergone magnus Sfortia *urſum* timet, qui tamen adeo firma ſuffultus eſt *columna?* (nempe alludebat ad Urſinorum familiam, & ad propriæ ſuæ Domus nomen)

Sæcul. XV. A. C. 1433.

Cui Sfortia reſpondit: inſanirem, ſi ſolo & vano cujusdam marmoreæ ſtatuæ præſidio fretus, inſolitæ magnitudinis beſtiam provocarem, quæ me dentibus, ſuisque unguibus aggredi, citatisque paſſibus inſequi poſſet, hiſce verbis ſignificans, quam infirmum, atque incertum eſſet Columnenſium auxilium, quam vero potentes Pauli Urſini vires. Hiſtorici ad præſentem quoque annum revocant ſupplicium Franciſci Carmaniolæ, celeberrimi hujus ſæculi Belliducis, quem de conſpiratione cum Mediolanenſium Duce ſuſpectum Veneti capite truncari juſſerunt.

§. XXXVIII.

Bohemorum Deputati Baſileæ.

Æn. Sylv. Hiſt. Bohem. c. 49.

Die quarta Januarii Anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo tertio Bohemorum Deputati Baſileam veniunt. Ingrediuntur urbem cum ingenti pompa, ac trecentis Equitibus ſtipati. Undique certatim confluit populus, Viros hosce avidius contemplaturus; plerique tamen torvos eorum vultus aſpicere dedignabantur, memores ſævitiarum, quas pro pertinaci hæreſis defenſione ab iis perpetratas audiebant. In unum tamen Procopium omnium defigebantur obtutus, utpote quem illum eſſe noverant, ſine cujus auxilio Ziſcha nil ardui molieba-

tur,

tur; quippe post Zischæ obitum Ducis Austriaci superavit exercitum, ac bina vice sola sua præsentia totum Imperii robur in fugam vertit. Hosce Deputatos Synodus solemniis alias Regum ac Principum Legatis exhiberi solitis excepit. Sæcul. XV. A. C. 1433.

§. XXXIX.

Oratio Juliani Cardinalis ad Bohemos.

Accersiti sunt hi Deputati ad Congregationem nona Januarii habitam die præstituto, quo huic negotio initium daretur. Julianus Cardinalis Synodi Præses eos alloquebatur, prolixo sermone exaggerans mala, quæ ex schismate orirentur, cumque sacrarum literarum peritissimus esset, ingenti textuum ex divino Codice depromptorum apparatu comprobatum fecit, *Ecclesiam Christi Salvatoris Sponsam omnium fidelium Matrem esse, claves ligandi, atque solvendi habere, in his, quæ necessaria ad vitam æternam esse creduntur, errare non posse, qui eam contempserit, alienum, prophanum, & quasi ethnicum publicanumque censendum, eam nusquam melius, quam in generali Concilio repræsentari, statuta Conciliorum, Ecclesiæ placita existimari, quibus non minus, quam Evangeliis credere oporteret, cumque Concilium Basileense legitimum esset, Bohemos, qui se filios Ecclesiæ dicerent, vo-* Labbe appendic. I. Conc. Basil. to. 12. p. 894.

Sæcul. XV. A. C. 1433

cem Matris audire debere, extra quam non invenitur ſalus. Faceſſere jam odia debere ponenda eſſe arma, audituros benigne Patres quæcunque Bohemi pro ſua cauſa dicere velint, tantum parati ſint animo, nec bene consulta Sanctæ Synodi conſilia reſpuant. Tandem orationem ſuam claudebat patheticā ad Bohemos adhortatione, qua eos, ut in ſinum Eccleſiæ redire feſtinarent, animabat.

§. XL.

Reſponſum Rochiſanæ ad Cardinalis Juliani orationem.

Cochl. Hiſt. Huſſit. l. 6.

Rochiſana ex Bohemiæ Deputatis haud poſtremus, nomine ſuorum ſociorum reſpondit: Gratias referimus Deo, quod nos conſolari, ac miſerationibus ſuis viſitare dignatus ſit, parem quoque gratitudinem exhibemus Juliano Cardinali, atque univerſæ Synodo, quod tam benignum erga nos, noſtrosque affectum, tamque benevolam, ac liberalem exceptionem indulſerit; hisque ſubjunxit, omnibus quidem perſuaſum eſt, ex ſchiſmate graviſſimas calamitates, atque enormia oriri ſcelera, quæ ab iis, qui ejusmodi ſciſſionibus vel occaſionem præbent, vel illas fovent, perpetrari ſolent; in hoc tamen tota rei ſumma vertitur, ut illi, qui ſchiſmatis auctores ſunt, in jus vocentur. Tan-

Tantum enim abeſt, quod Bohemi Sacras paginas rejiciant, quin ex adverſo quæcunque docuerunt dogmata, iisdem comprobare parati ſint; ſemper enim Sanctorum quoque Patrum auctoritatem magni habent, atque ad Synodum veniunt, fidei ſuæ rationem reddituri, petuntque, publicum eis concedi alloquium, cui non modo Eccleſiaſtici, ſed & Laici interſint; de cetero rogamus, ut Patres noſtros Deputatos audire velint ſuper quatuor illos articulos jam antehac ad Synodum transmiſſos. Omnibus his annuit Concilium, eisque pro publico colloquio decimam ſextam ejusdem menſis Januarii diem aſſignavit. Sæcul. XV. A. C. 1433.

§. XLI.

Quatuor Articuli a Bohemis Synodo oblati.

Articuli ad Concilium transmiſſi erant hac inſcriptione inſigniti: *Articuli oblati Concilio ex parte Regni Bohemiæ, Marchionatus Moraviæ &c. Anno Domini MCCCCXXXIII in feſto S. Tiburtii, poſt Laurentii, undecima Auguſti.* *Append. I. Conc. Baſil. tom. 12. art. 5. p. 801.*

Hos Articulos, inquiunt Bohemi, *Paternitatibus veſtris offerimus, quatenus intuitu optandæ cunctis mortalibus pacis, & unitatis, velitis in hac forma ſubſcripta veſtrum præbere conſenſum, ut libere teneantur,*

&

Sæcul. XV. A. C. 1433.

& doceantur, & irrevocabiliter obſerventur in Regno Bohemiæ, & Marchionatu Moraviæ, ac locis ejus adhærentibus in hac parte. I. Communio diviniſſimæ Euchariſtiæ utilis & ſalubris ſub utraque ſpecie, ſcilicet panis & vini univerſis Chriſti fidelibus per Sacerdotes libere miniſtretur. II. *Omnia peccata mortalia, & præſertim publica, per eos, quorum intereſt, rationabiliter, & ſecundum Legem Dei cohibeantur, corripiantur, & eliminentur.* III. *Verbum Dei a Sacerdotibus Domini, & Levitis idoneis, libere ac fideliter prædicetur.* IV. *Non liceat Clero, tempore legis gratiæ, ſuper bonis temporalibus ſæculariter dominari.*

Propoſitis hiſce articulis declararunt, ſe in his ſolis quatuor capitibus a Catholicis diſſentire, paratos autem ſe eſſe, *uniri & eſſe unum modo, quo omnes Chriſtiani fideles uniti ſecundum legem Dei obligantur obedire quibuscunque legitime præfectis*, dummodo eis hoſce articulos inter ſuos obſervare permittatur. Dein petunt, ut *Concilium ſuis patentibus literis præcipiat omnibus Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Regibus, Principibus, & univerſis ſibi ſubditis, quatenus & nos, & nobis* (inquiunt ipſi) *in hac parte adhærentes, & adhærere volentes, amplius palam vel occulte hæreticare, aut quovis modo infamare, aut hoſtiliter invadere non præſumant, propter aliquem dictorum articulorum, & præſertim propter*

propter primum, quem asserimus, & asserre proponimus cadere sub præcepto divino, usque ad discussionem finalem, mutuam, & concordem.

Sæcul. XV. A. C. 1433.

§. XLII.

Quatuor hi articuli in Congregatione examinati.

Ergo quatuor isti articuli in Congregatione die decima sexta Februarii celebrata ad examen vocantur. Eodem die Rochisana primum articulum solido triduo matutinis horis explanare cæpit. Dein Wenceslaus Taborita secundum articulum *de corrigendis & eliminandis peccatis publicis* in medium protulit per biduì spatium. Post quem Udalricus Orphanorum Presbyter de tertio articulo, *circa liberam prædicationem Verbi Divini* duobus itidem diebus differuit, Postremo Petrus Payne Anglus quartum articulum, qui erat *de civili dominio Clericorum,* per integrum triduum expositit. Equidem horum Bohemorum Oratorum discursus in actibus descripti desiderantur, nihilominus tamen Æneas Sylvius, qui tum præsens aderat, ac convocationis Bohemorum clarissimam nobis reliquit Synopsin, cuncta in eorum utilitatem gesta, atque a Synodo decreta enarrat. Porro Oratores suas disputationes in compendium contractas ad Concilium

In Fascic rer. expeten. de vocat. Bohem. per orth. Grat.

Sæcul. XV. A. C. 1433.

lium mittebant, necnon de colloquio ipsis benigne adeo conceſſo Patribus grates rependebant. His tamen Wenceslai, Udalrici, ac Petri Deputatorum ſermones haud immerito minus probabantur, eoquod Wiclefi, & Joannis Huſſi doctrinam intempeſtivis laudibus extollere, iisque Doctorum Evangelicorum, quos tamen Eccleſia non ita pridem damnaverat, titulum attribuere, pluraque alia, quæ Patribus admodum gravia acciderant, immiſcere non dubitaſſent. Nihilominus Synodus ardentibus votis pacem deſiderans, eos interrumpere noluit.

§. XLIII.

Reſponſiones Patrum ad Bohemos.

Conc. general. tom. 12. p. 1013.

Cauſſæ propoſitæ gravitas omnino exposcebat, ut Bohemis reſponſum a Synodi Patribus daretur; idcirco Joannes Raguſinus Theologiæ Profeſſor, Ordinis FF. Prædicatorum Procurator generalis clara voce in pleno conſeſſu poſtulabat, ſuo nomine ad primum Bohemorum articulum reſpondendi facultatem ſibi indulgeri. Annuit Synodus, & ipſe octo omnino dies matutinis horis hanc in rem differuit. Antequam vero reſponſa dare inciperet, Joannes Ciſtercienſium Abbas oratione ſua Bohemos adhortabatur, ut ſe ſubmitterent decretis ſanctæ Matris

Matris Eccleſiæ, quam ſacrum hoc Concilium repræſentaret. Ea res non parum offendit Bohemos, longe magis tamen eorum animos exaſperabat Joannis Raguſini oratio, eoquod frequentius *Hæreſis*, & *Hæreticorum* vocabula reſponſo ſuo immiſcuiſſet. Unde Procopius dolorem ſuum haud amplius tenens, indignabundus aſſurgebat, ac de hac ignominia apud Synodum publice conquerebatur, parumque aberat, quin eam ob rem Deputati Baſilea diſcederent; ſaltem ægre admodum eorum animi leniri poterant. Demum vero Ægidius Carlerius, Eccleſiæ Cameracenſis Decanus per quatuor dies ad ſecundum articulum reſpondit. Ad tertium vero Henricus Kalteiſen Colonienſis Ordinis Prædicatorum, poſtea Nidroſienſis Archiepiſcopus in Norvegia ſolidum triduum diſſeruit; & Joannes de Polemar Barcinonenſis Archidiaconus, Cauſſarum ſacri Palatii Auditor, tribus itidem diebus, matutinis tamen horis quartum explanavit articulum.

Sæcul. XV. A.C. 1433.

Ibid. 1159. & 1249. & 1364.

Horum ſermonum prolixitas ingenti tædio afficiebat Bohemos; totum enim negotium, ut refert Cochlæus, quinquaginta omnino dies tenuit, nempe a decima ſexta Januarii usque ad ſextam Martii diem. Attamen Catholicorum reſponſa haud poterant eſſe breviora, quam Bohe-

Sæcul. XV. A.C. 1433. Bohemorum propositiones, quæ ad nostras manus non pervenerunt, nec de earum summa plus constat, quam ex quatuor illis Orationibus, quibus nostri Doctores ad objectas Deputatorum rationes respondebant, colligi potest. Ceterum quamvis Catholici solidissimis juxta ac luculentissimis argumentis veritatem demonstrarent, nihilominus Bohemi suos articulos pertinaciter tuebantur, præcipue primum, adeo ut Rochisana responsione Joannis Ragusini ad sextum usque diem impugnaret.

§. XLIV.

Bohemiæ Deputatorum sententia.

Porro Patres optime erant gnari, disputationum æstu in dies crescente, pacem & concordiam, de qua reducenda prius spes proxima affulserat, identidem magis dissolvi; ideo Guilielmus Bavariæ Dux, Synodi Protector, semotis altercationibus rem amice componendam proposuit. Igitur utrinque nominatis, qui de concordia tractarent, die undecima Martii conventus celebratur, in quo illis, qui Synodi partes tuebantur, e re fore videbatur, si Bohemi diversis, in quas scindebantur, sectis penitus relictis, unum corpus efficerent, ita quippe sperari posse censebant, quod inter se uniti facilius quo-

quoque eandem fidem, eandemque sententiam amplecterentur. Bohemi, cum aliquamdiù de hoc remedio deliberassent, inquiebant, hæc via minus apta est pro consequenda unione, nisi saltem prius circa quatuor illos articulos nos vobiscum, ac vos nobiscum sentiatis. Alioquin nosmetipsos omnium ludibrio exponeremus, si jam uniti, rursus in articulorum decisione discreparemus. Ad hæc responsum est a nonnullis, si vere ac sincero animo juncti estis, facile circa reliqua unanimis sequetur sententia. Verum, inquit Æneas Sylvius, surdis fabula canebatur, quia tres illi Deputati, qui postremos tres articulos propugnabant, adversum responsiones datas pertinaciter disputabant.

Sæcul. XV. A.C. 1433.

Hist. Bohem. c. 50.

§. XLV.

Oratio Cardinalis Juliani ad Bohemos.

Quapropter Cardinalis Julianus Concilii Præses orationem habuit ad Bohemos, in qua eosdem hunc in modum allocutus est: *Proposuistis proximis diebus quatuor articulos, sed audimus præter hos multa vos alia habere dogmata peregrina, in quibus a nobis Catholicis dissentitis. Magister enim Wenceslaus allegavit inter alia, Joannem Wiclesum Evangelicum Do-*

Labbe Conc. to. 12. p. 894.

Sæcul. XV. A.C. 1433

florem, si illum creditis esse Evangelicum, inquit Cardinalis, consequens est, ut dicta ejus authentica reputetis: si vero non ita putatis, æquum esset, ut hoc nobis innotescat. De iis igitur rogamus vos, ut nos certificare velitis, quid credatis, & ad singulos articulos nobis respondeatis per verbum, credimus, aut non credimus, & confestim vobis respondebimus, parati enim sumus unicuique poscenti reddere rationem. Ad hæc Bohemorum Deputati responderunt, *venisse se tantum, ut quatuor illos articulos proponerent, non tam suo, quam publico totius regni Bohemici nomine;* nec pluribus se explicarunt. Quare Synodus intelligens, quod Bohemi cuncta pacis consilia rejicerent, atque omnino discedere cogitarent, illis etiam abeundi copiam esse concedendam statuit, adjecta tamen solemni Legatione, quæ Pragæ ad sacratissimæ Triadis festum, quo die septima Junii ejusdem anni Pragensis populus conventum ageret, & ipsa interveniret.

§. XLVI.

Deputati Synodales Pragam profecti.

Itaque Legati isti die decima quarta Aprilis Basilea abeunt. Erant vero numero decem, nimirum, Philibertus Constantiæ in Normannia Episcopus; Petrus

trus Auguſtenſis Antiſtes; Joannes Polemarus Barcinonenſis Archidiaconus; Fridericus Parſpergerus Præpoſitus Ratisbonenſis; Ægidius Carlerius Cameracenſis Decanus; Alexander Sparur, Jurisconſultus natione Anglus, Thomas Haſelbachius, Theologus Viennenſis; Henricus Tocſis Magdeburgenſis Canonicus; Martinus Bernerius Decanus Turonenſis, & Joannes Gelhuſius Mulbrunenſis Monachus. Hi omnes ſummo honore ubique excipiebantur tum in itinere, tum ab ipſis Bohemis æque ac Catholicis, præcipue vero a Pragenſibus, quamprimum in urbe illa adventabant. Sæcul. XV. A.C. 1433.

§. XLVII.

Seſſio IX. Baſileenſis Synodi.

Die vigeſima ſecunda Januarii, quæ erat feria quinta, habita eſt nona Concilii Seſſio, ubi Patres Sigismundum ob fervens ejus ſtudium, ac ſtrenuam operam, qua Synodum contra quævis Eugenii molimina propugnaverat, grato proſequi animo intenti erant; quapropter eundem viciſſim ſuo quoque præſidio honorabant, illumque adverſus quascunque cenſuras, atque anathemata in eum a Pontifice lata vel ferenda protegebant; quem in finem in hac Seſſione declarabant, quod quæcunque Eugenius contra *Labb. Conc. to. 12. p. 500*

Sæcul. XV A. C. 1433.

Cæsarem faceret, aut moliretur, irrita, nulliusque roboris essent. Eundem præsidii favorem extendebant in Bavariæ Ducem, atque in ceteros quoscunque Synodi fautores.

§. XLVIII.

Sessio X. Concilii Basileensis.

Id. ib. p. 501. & 503.

Demum Sessio decima celebrata est undeviceſima Februarii. Cum vero sexaginta dierum terminus Eugenio ad revocandam Synodi dissolutionem a se decretam concessus expirasset, postularunt Promotores, eundem ob suam pertinaciam, velut contumacem, condemnari. Huic Sessioni intererant quadraginta sex Prælati, unacum quinque Cardinalibus, quos inter tres erant Presbyteri, ac duo Diaconi. Perlecta contumaciæ accusatione in Eugenium prolata, Cardinalis Julianus Præses nomine Concilii dixit: *Audivit hæc sacra Synodus relationem factam per Episcopos, & petitionem vestram, idcirco hæc S. Synodus judices deputat, ad videndum & examinandum processum factum contra Papam Eugenium, & referant in congregatione Generali.* Facta hac relatione Patres circa declarationem contumaciæ deliberantes, latam approbabant sententiam, totiusque negotii absolutionem ad aliud tempus remittebant.

§. XLIX.

Sæcul. XV. A.C.1433.

§. XLIX.

Pontifex ab Imperatore ſollicitatus.

Interea Julianus Cardinalis Papæ conſtantiam novis molitionibus expugnaturus, eundem omnibus viribus abſterrere conatur, ne Synodum legitime convocatam diſſolveret, exponens, illam invitis Patribus eam conſtituentibus omnino diſſolvi non poſſe. Imperator quoque Sigismundus, qui adhuc in Italia agebat, Cardinalis preces interpoſita quoque Cæſarea auctoritate fulcire ſatagebat, Pontifici ob oculos ponens, unicum, quo Eccleſiæ pax promoveretur, medium in eo eſſe poſitum, ut ſua Baſileenſi Synodo libertas relinqueretur, nec enim Græcorum cauſſam æque urgentem eſſe, quam Bohemorum ſalutem; Græcos quippe in ſuis erroribus jam a longo tempore inveteratos perſiſtere, ac vix ullam converſionis ſuæ ſpem reliquam facere, horumque reductionem ad ſinum Eccleſiæ adhucdum moram pati, nec inde timendum, quod Eccleſia ab eis nova plaga afficeretur: Ex adverſo a Bohemis furore, & rabie actis hæreſes novas ferro, & ſanguine latius diffundi, atque ex omnibus iſtis palam fieri, quanta neceſſitas ſuaderet, Synodum, velut unicum hoſce hæreticos compeſcen-

Sæcul. XV. A. C. 1433.

di medium prosequi. Tandem concludit dicendo, se semper, si Eugenius Papa Synodo resistere pergeret, eam auctoritate sua defensurum.

§. L.

Legatio Papæ ad Synodum.

Labbe Conc. to. 12 p. 940.

Cæsaris responsum Pontificem ad iram commovit; hinc eidem rescripsit, non esse Cæsaris de decretis Pontificum, ac Concilii judicium ferre, sed suarum duntaxat partium esse, illis morem gerere, atque ea effectui dare. Hanc in rem Eugenius Oratores fidei publicæ literis munitos Basileam ablegavit, nimirum, Joannem Mella Protonotarium Apostolicum, Episcopum Cervienfem, duosque Abbates, qui omnes die octava Martii ad Congregationem admissi, in pleno Patrum consessu Legationis suæ negotia exponebant.

§. LI.

Legatorum Papalium oratio ad Synodum.

Id. ib. p. 505.

Hi ergo præprimis hunc in modum perorabant: Equidem summus Pontifex de plenitudine potestatis, atque auctoritatis suæ omni jure Concilium dissolvere, atque ad alium, quemcunque voluerit,

luerit, locum transferre poteſt, quin propterea Concilii Conſtantienſis ſanctionibus adverſaretur, nihilominus tamen ſanctitati ſuæ placuit, pacis & concordiæ ſtudio aliquid etiam de jure ſuo, quantum Dei, ſedisque Apoſtolicæ honor patitur, remittere, proin rogat, ut Patres translationem Concilii ad civitatem Bononienſem æquo animo ferrent, hanc enim pro maxima Religionis Chriſtianæ utilitate decrevit; viciſſim tamen pollicetur Eugenius, ſe decreta omnia per eum adverſus Patres promulgata quamprimum abrogaturum, ſi & ipſi ſua in Papam edita revocaverint; ſi vero, ſubjunxerunt Legati, Bohemi Bononiam petere recuſant, concedit Papa, ut Patres intra certum temporis ſpacium cum eis Baſileæ agere, ac etiam Principes Chriſtianos conciliandi negotio incumbere poſſent; dummodo elapſo termino Bononiam ſe conferant. Si vero præfata Civitas eis minus arrideret, aliam ſibi ſeligerent intra Italiam; denique ſi nulla harum propoſitionum eis æqua, rataque haberetur, annuit Eugenius, ut duodecim Præſules neutri parti ſuſpecti ex eorum cœtu nominarentur, qui unacum Principum Oratoribus velut arbitri hac ſuper re cognoſcerent. Hi vero, ſi Synodum intra Germaniæ fines omnino celebrandam

Sæcul. XV. A.C.1433.

Sæcul. XV. A.C. 1433.

esse, decisuri forent, alius extra Basileam locus designaretur.

§. LII.

Patrum Synodi responsum.

Labb. Conc. to. 12. p. 699.

Hæc Legatorum oratio Patribus minus grata acciderat; quapropter illis respondent, se semper ac palam professos esse, Synodum legitime fuisse congregatam, proin nec a Romano Pontifice sine ipsius Concilii assensu dissolvi posse, nec ipsos Patres absque Religionis, & Ecclesiæ dedecore ejusmodi petitionibus, quas omnino absonas, atque illicitas censerent, ullatenus annuere posse.

§. LIII.

Sessio XI. Basileensis Synodi.

Ibid. p. 505.

Oratores Eugenii accepto responso discedunt, die vero vigesima septima Aprilis, quæ erat feria secunda, habita est Sessio undecima, in qua Patres sedulam navarunt operam, ut Constantiensis Synodi decretum in sessione trigesima nona conditum, quo Concilia pro reformatione Ecclesiæ convocari sancitur, explanarent, sensumque illius genuinum definirent, hac via cavillationibus Fautorum Curiæ Romanæ obviaturi, qui sese

sese huic decreto continuo opponere vo- Sæcul. XV.
lebant (*). A.C.1433.

Itaque statuunt, ut, si forte Pontifex negligeret, aut juxta præfati decreti (**) sanctio-

(*) *Nec Papam nec Romanæ Sedi addictos frequenti Conciliorum convocationi se unquam opposuisse, ex tot Synodorum longe ante Basileensem celebratarum decretis constat, cunctis ad reformationem Ecclesiæ tendentibus. Illis vero non solum summi Pontifices, sed universa Ecclesia sese opposuit, & hodiedum opponit, qui sub obtentu reformandæ Ecclesiæ se ab obedientia supremo Capiti debita subtrahunt, Conciliorum auctoritatem eo tantum fine usque ad sidera tollunt, ut depressa supremi Judicis auctoritate ipsimet fidei, morum disciplinæ, ac totius Reipublicæ Christianæ arbitri evadere possent; cujus rei luculentum nobis exhibet specimen Basileensis Concilii historia, in qua nil nisi continua contra legitimum suum caput rebellio, insatiabilis membrorum ambitio, proprii judicii pertinacia tanto excessu deprehenditur, ut conciliabulum, quod illius fautores legitima Pontificis auctoritate dissolvere detrectarunt, tandem Principes etiam sæculares vi atque minis dissiparint.*

(**) *Spondanus, quem alias Continuator admodum copiose descripsit, ad hunc annum num. 8. addit hæc verba:* Quorum decretorum quædam in suum sensum explicarunt.

Sæcul. XV. A.C. 1433.

sanctionem Synodos singulis decem annis convocare, ac celebrare detrectaret ad Ecclesiasticos, alias de jure vel consuetudine interesse solitos, Concilium convocandi jus devolveretur, requisita nequidem Pontificis licentia; ita quidem ut nec ipse Papa ejusmodi convocationem impediendi potestatem haberet; si vero Pontifex quovis pacto talis Synodi celebrationem interturbet, ipso facto a officio Papali suspensus declararetur (*) ejusque administratio Apostolica ad Concilium devolveretur. Si autem Papa, aliquicunque, quibus Synodos convocandi jus competit, huic decreto non satisfecerint, vel obstinati fuerint, adversus eos usque ad privationem suarum dignitatum generale Concilium procederet. Praterea explicarunt Patres hæc Constantiensis Synodi verba: *Nullatenus prorogetur*, declarando, quod per ea Synodum differre, omnino prohibeatur, ita ut nec per ipsum summum Pontificem prorogari, aut Concilium actu congregatum dissolvi, transferri, aut interrumpi posset. Tandem Patres decreverunt, quod futu-

(*) *Hæc Continuator minime ex Actis Concilii, sed ex suo Edmundo Richerio Hist. Conc. l. 2. fol. mihi 407. desumpsit, forte haud alio ex consilio, quam quod ille acriori stylo in Pontificis auctoritatem desæviisset.*

futuri Concilii locus uno menſe ante finem prioris Synodi deſignaretur, atque impoſterum illi, quos in Pontificem eligi contingeret, hujus decreti obſervantiam jure jurando ſponderent: id vero ita intelligendum, ut Papam eligentes ante Conclavis ingreſſum ſacramento fidem ſuam obſtringerent, eum, qui ex ipſis eligendus eſſet, hoc decretum exacte ſervaturum. His peractis Synodus laudatum decretum promulgari juſſit. Sæcul. XV. A.C. 1433.

§. LIV.

Præſides a Papa ad Synodum miſſi.

Paucis poſt hanc conſultationem elapſis diebus Synodus a Sigismundo Rege literas accepit Viterbii die nona Maji datas, quibus ſignificabat Patribus, a Pontifice Legatos fuiſſe deputatos, qui ejus nomine Concilio a ſe confirmato præeſſent, ſed quia horum diſceſſui quædam adhuc obſtarent impedimenta, alios interim præſides ab eodem mitti. Quapropter hortabatur Patres, ut hoſce Legatos ſpeciali honore reciperent, nec quicquam agerent, quo Eccleſiæ pax perturbari poſſet. Demum eosdem certiores reddebat, Papam altefatis Deputatis, donec quatuor Cardinales Legati Baſileam venirent, plenam decidendi poteſtatem dediſſe, adhibito tamen ceterorum

Synodi

Sæcul. XV. A.C. 1433.

Synodi Patrum consilio. Insuper Sigismundus ceteras quoque conditiones, quas Pontifex ab illis observari præcepisset, Patribus perscripsit. Receptis hisce literis Basileenses coacto conventu, rebusque mature discussis, responderunt, se hæc pacta admittere non posse. I. *Eugenium enim non profiteri, legitimum Concilium hactenus Basileæ fuisse, sed novum celebrari statuisse, hinc Patres non posse subscribere decretum de novo Concilio Basileæ celebrando, quoniam facere viderentur Basileæ Concilium hactenus legitimum non fuisse & se fuisse schismaticos ac rebelles, qui temere, & sine auctoritate convenissent.* II. *Eundem Legatis suis dedisse auctoritatem decernendi CUM CONSILIO PATRUM, hoc autem Patres ferre nullo modo posse, quia,* inquiebant illi, *si Patres consulendi tantummodo potestatem haberent, possent legati etiam contra Patrum consilia decernere. Præterea,* subjungunt, *non competere legatis potestatem agendi de emendatione, ac reformatione capitis Ecclesiæ, sine qua nec cætera quidem membra recte curari possent.* Denique concludunt: *Collusiones igitur hæc esse manifesta indicia, non reconciliationis.* Hæc sunt propria Augustini Patricii Senensis Canonici verba.

Aug. Patric. Conc. Basil. & Florent. c. 29.

§. LV.

Sæcul. XV.
A C.1433.

§. LV.

Legati Pontificii a Synodo repulsi.

Hæc erat Synodi Patrum sententia; quocirca hosce Legatos Basileam ingressos admittere recusabant, caussati, eos potius pro novo celebrando Concilio, quam pro confirmando, quod hactenus celebratum fuisset, missos esse. Decretum Eugenii, inquiebant illi, magis ad destruendam, quam confirmandam Basileensem Synodum collimat. Hæc videri possunt in responso, quod hisce Deputatis die decima sexta Junii in quadam Congregatione datum fuit (*). Ex Augustino Patricio discimus, a Papa, ut Præsidum vices agerent, deputatos fuisse, Joannem Mella, cujus supra meminimus, Archiepiscopum Tarentinum, & alios

(*) *Ex his omnibus manifeste apparet, Basileenses nullatenus puro Religionis zelo, sed unice cavillandi, ac Papæ auctoritatem deprimendi studio Eugenium insectatos fuisse. Unde merito a plerisque Historicis immodicæ ambitionis postulantur, qua Eugenio eorum insolentiæ etiam cedenti, nihilominus obstirmato animo adversabantur, eo duntaxat consilio, ut sibi per nefas supremam arrogarent auctoritatem, ac pro suo arbitrio sibi de pinquioribus Sacerdotiis providerent.*

Sæcul. XV. A.C. 1433.

alios duos eorum ſocios, quibus jam antea idem negotium commiſſum erat.

§. LVI.

Regis Cypri ac Burgundiæ Ducis Oratores ad Synodum.

Naucler. generat. 48. p. 450

Sub idem tempus Joannes Cypri Rex & Philippus Burgundiæ Dux Legatos Baſileam allegarunt, qui Patribus concordiam nunciarent, quæ tandem die vigeſima ſexta Aprilis, opera Nicolai Eſtenſis Marchionis, inter Philippum Mediolani Ducem, Venetos, Florentinos, Senenſes, Lucenſes, aliosque utrinque fœderatos Ferrariæ concluſa eſſet. Hujus pacis articulos, atque conditiones paſſim referunt Hiſtorici; haud tamen diuturna fuit hujus concordiæ felicitas; Papa enim Eugenius non multo poſt ad reſuſcitandas belli flammas, quæ nonnisi Anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo octavo extinctæ fuerunt, Mediolani Ducem inſtigabat.

§. LVII.

Jurgia inter Burgundiæ & Sabaudiæ Ducum Oratores.

Ad eundem annum refertur Burgundiæ Ducis Oratorum adventus ad Baſileenſem Synodum; inter quos præcipuus erat

erat Joannes Nivernenſis Epiſcopus. Cum autem Amadæi Sabaudiæ Ducis Legati jam omnium primi adveniſſent, primas quoque in Synodo occupabant ſedes: Verum Burgundiones adverſus eos Ducis ſui nomine de præcedendi jure contendebant; Sabaudis vero cedere recuſantibus, hac ſuper re indicta eſt Congregatio, in qua poſt motas ultro citroque altercationes ita demum res compoſita eſt, ut Burgundiæ Ducis Oratores poſt Alexandrinum Patriarcham dextrum occuparent locum, ſiniſtrum vero Sabaudiæ Ducis Legati poſt Patriarcham Antiochenum tenerent. Confectum quoque ea de re inſtrumentum hoc eodem anno die ſeptima Auguſti præſente Juliano Cardinale Synodi Præſide, ſex aliis Cardinalibus, Alexandrino, & Antiocheno Patriarchis, Amadæo Lugdunenſi, & Hugone Rothomagenſi Archiepiſcopis, aliisque pluribus Prælatis. Dicto inſtrumento Epiſcopus Bellicenſis, ceteriique ipſius ſocii ejusdem Sabaudiæ Ducis Oratores acquieſcentes, acceptant locum ipſis poſt Patriarcham Antiochenum aſſignatum, donec de novo advenirent aliqui Regum aut Ducum Legati, quibus jure cedere deberent: conteſtatione tamen prius facta, ſe paratos eſſe, quotiescunque neceſſe foret, documentis fide dignis comprobare, quod trecentis omnino annis

Sæcul. XV. A.C. 1433.

Sæcul. XV. A.C. 1433

nis, antequam Sabaudia in Ducatum erigeretur. Sabaudiæ Comites jam fuerint ac nuncupari consueverint Caballiaci & Augustæ Duces; merito igitur illis præferantur, qui posteriore tempore Ducis titulum accepissent. Quibus subjungebant, sibi priorem locum repetendi jus salvum esse, si forte eorum Dux præsens cessionis instrumentum ratum non haberet. Nihilominus primæ Sedis prærogativam haud amplius obtinere poterant etiamsi Amadæus in quadam Epistola ad Concilium scripta graviter hac de re conqueſtus esset.

§. LVIII.

Alia contentio inter S. R. I. Electores, & Burgundiæ Legatos.

Haud dissimilis controversia oriebatur inter S. R. Imperii Electores, & Burgundiæ Ducis Legatos. Illi enim his cedere detrectabant, prout ex literis Sigismundi discimus, anno sequenti ad Synodum datis, in quibus Cæsar se summopere gavisum esse testatur, quod Patres cautelæ loco *Imperii Archi-Principibus* (ita S. R. I. Electores appellat Sigismundus) sedes ab eis occupandas designassent, eamque contentionem cum Burgundiæ Duce feliciter composuissent. Qualis vero locus eorum Oratoribus assigna-

tus

tus fuerit, Imperator non exprimit, sed duntaxat testatur, quod *hujusmodi provisio ipsius Sacri Romani Imperii, ac ipsorum Archi-Principum honori expediat.* Anno sequenti de eodem jure Burgundiæ Ducis Oratores contendebant cum Legatis Britanniæ Ducis; Synodus autem confecto desuper instrumento die quinta Julii publicato Burgundionibus dextrum latus designabat. Ast hæc ipsa sententia postmodum opera Turonensis Archiepiscopi, qui Concilio interfuerat, revocata est. Silentio prætereo alias ejusmodi controversias Anglos inter & Castellanos motas, quas Patres, salvo utriusque partis jure, diremerunt. Sæcul. XV. A. C. 1433.

§. LIX.

De concordia Sigismundi cum Eugenio Papa.

Interea Sigismundus diuturnioris moræ impatiens, quam a tanto tempore non sine gravibus civium impensis, Senis trahebat, & aliunde cum Florentinis pacem inire, eosve compescere posse desperabat, a Papa Eugenio Imperiali corona solemniter redimiri petiit; potissimum enim hac ex caussa in Italiam profectus est. Eugenius Cæsaris Legatos summis honoribus excepit, & die septima Aprilis cum eisdem statuit, ut Sigismundus vel

Secul. XV. A. C. 1433.

Viterbii, vel Romæ Papam accederet, & ibidem aut coram Pontifice, aut in manibus ſui Legati ſolitum, juxta Clementinæ Bullæ formulam, præſtaret juramentum, nec tamen aliis, quam ſuis familiaribus ſtipatus veniret, neque ullum Ecclesiæ, Pontificis, aut Populi Romani hoſtem ſecum duceret. Sigismundus hæc capitula rata habuit, quæ item Synodo ſignificavit; Patrum enim machinationes ſibi obfuturas timebat; hinc obteſtabatur ſe, quamvis Eugenio omnem, quam ſecundum Deum poſſet, opem promiſiſſe, nunquam tamen quicquam in Synodi præjudicium attentaturum, ſed illam ſemper omnibus viribus protecturum. Poſt hæc Sigismundus ſeſe ſine mora itineri accinxit.

§. LX.

Sigismundi ingreſſus in urbem.

Cum Sigismundus urbi Romanæ appropinquaret, Papa obviam illi miſit quosdam Cardinales, & plurimos Prælatos, ac Proceres Romanos, unacum maxima parte Cleri, qui omnes ingenti pompa, ac magnificentia Imperatorem in urbem deducebant. Ipſe Pontifex ad gradus Baſilicæ Vaticanæ ejus adventum præſtolans, venientem cum magno apparatu excepit, dato pacis oſculo. Sigismun-

gismundus vero in genua procumbens, oſculatus eſt Pontificis pedes. Sæcul. XV. A.C.1433.

§. LXI.

Sigismundi coronatio.

Die vigeſima prima Maji Imperator magnificum prorſus ingreſſum in urbem adornavit: in feſto autem Pentecoſtes ſolemniſſimis Cæremoniis coronatum Pontifex *Imperatorem Auguſtum* nuncupavit, poſtquam prius de fide Catholica ſtrenue defendenda, juribusque ac privilegiis Romanæ Eccleſiæ tuendis conſuetum præſtitiſſet juramentum. Quo facto Sigismundus Pontifici equitanti de more ſtratoris officium exhibuit, multosque tum Italos, tum Germanos in Equeſtrem ordinem adſcivit. Poſthæc Romæ aliquamdiu morabatur, ubi magnis honorum, ac benevolentiæ ſignis a Summo Pontifice cumulatus, Ferrariam, inde Mantuam pervenit, & Joannem Franciſcum Gonzagam Mantuanæ hujus ditionis Principem Marchionatus dignitate ornavit. *Naucler. generer.* 48 *p.* 450

§. LXII.

Geſta Legatorum Synodalium apud Pragenſes.

Deputati a Synodo Pragam miſſi, cum ad conditum diem feſtum Sacroſanctæ *Cochlæ. Hiſt. Huſſit. lib.* 7.

Sæcul. XV. A.C. 1433.

ctæ Trinitatis ingentem populi multitu-
dinem, plurimosque Magnates, ac Cler-
cos confluxisse comperissent, opportun
hac occasione usi, adhortabantur eos a
pacem, submissionem, & concordiam, u
animis ita dispositis, si quæ dubia habe-
rent, eo pacatiori consilio discuti posse
Ast Bohemi pertinaciter suis quatuor A
ticulis antea propositis inhærentes, an
omnia eos declarari postulabant. Igit
Legati Synodales, cum nimium se urge
cernerent, hosce articulos scriptos fi
consignari petunt, illosque unacum toti
rei gestæ summa ad Synodum transmi
tunt. Interea temporis Delegatorum
quatuor nomine Concilii Bohemis propo
nunt, quod, si circa tres duntaxat postre
mos articulos Synodi explanationem a
ceptare, atque ad unitatem redire ve
lent, facile circa primum etiam articulu
de Communione sub utraque specie re
amice componi posset. Postquam erg
hi Synodi expositionem circa tres reliquo
accepissent, eam in publico seniorum po
puli confessu prælegerunt. Primi artic
li declaratio in eo sita erat: delenda es
ista verba: *Quorum interest;* eoquod te
minus iste nimium generalis esset, sim
pliciter ergo dicendum *quod peccata re
tionabiliter secundum legem Dei, & sanc
rum Patrum instituta corrigerentur.* Se
cundi articuli declaratio sequentibus con
cepti

cepta erat verbis: *Ne ex verbo* libere *sumeretur occasio dispendiosæ libertatis, dicimus, quod secundum scripturæ sacræ sententiam catholice sit tenendum, quod verbum Dei a Sacerdotibus Domini, & Levitis ad hoc idoneis, & per Superiores, ad quos pertinet, approbatis, & missis, libere, non tamen passim, sed ordinate & fideliter prædicetur, salva auctoritate Pontificis, qui est Præordinator in cunctis, juxta sanctorum Patrum instituta.* Tertium vero Articulum Synodus ita correxit: *Ecclesiastici Viri bona Ecclesiæ, quorum sunt administratores, debent fideliter administrare, juxta sanctorum Patrum salubria instituta. Ipsaque bona Ecclesiæ ab aliis, quam ab his, quibus administratio canonice est commissa, usurpari sine sacrilegii reatu non possunt.* Sæcul. XV. A. C. 1433.

§. LXIII.

Communio sub utraque specie a Deputatis permissa.

Bohemi, habita deliberatione circa istas Synodi declarationes, asserebant, nolle se super prædictis suum dare responsum, nisi prius id, quod circa materiam de Communione sub duplici specie adhuc exponendum restaret, percepissent. Deputati hac Bohemorum pertinacia compulsi sequentem exhibuerunt declarationem: *Consuetudo generalis Ecclesiæ per* *In Fascic. de Voc. Boh. ad Conc. Bas. p. 315.*

Sæcul. XV. A. C. 1433.

longissima tempora hoc habuit, & habet, quod non conficientes sub specie panis tantum communicent. Quam consuetudinem ab Ecclesia & sanctis Patribus rationabiliter introductam & diutissime observatam, non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libito immutare; Sancta vero Mater Ecclesia suadentibus caussis rationabilibus, facultatem communicandi populum sub utraque specie potest concedere, & elargiri ..... Nihilominus si perseverantes in desiderio vestro hoc postulaveritis (nempe Bohemorum Oratores) *Sacrum Concilium Sacerdotibus vestris communicandi sub utraque specie populum vestrum, eos videlicet, qui in annis discretionis constituti, reverenter & devote postulaverint, auctoritatem & facultatem in Domino largitur: hoc semper observato, quod Sacerdotes sic communicantes semper dicant, quod ipsi debent firmiter credere, quod non sub specie panis caro tantum, nec sub specie vini Sanguis tantum, sed sub qualibet specie est integer totus Christus.* Verum ex hac ipsa declaratione majora adhuc enata sunt dubia.

§. LXIV.

Deputati inter Bohemos dissensionem moliuntur.

Cochl. Hist. Hussit. l. 7.

Deputati se hucusque operam perdidisse intelligentes efficaciora remedia arripere cæperunt. Igitur cum haud igno-

ignorarent, quod Nobilium, ac civium Bohemorum Ordines nonniſi armis, ac vi coacti, præſertim tunc, cum ab Imperatore, ac Imperii Principibus derelicti fuiſſent, Huſſitarum partibus acceſſiſſent; aliunde vero continuis militum, ac ruſticorum inſultibus expoſiti ſub intolerabili jugo gemere cogerentur, ac præterea palam profiterentur, ſe ſemper paratiſſimos eſſe ad pacem cum Deputatis ineundam, dummodo ipſis melioris conditionis ſpes offerretur; ideo Deputati habita omnium ratione Nobilibus ac Bohemarum urbium civibus ſuggerunt, peſſime eos rebus ſuis conſuluiſſe, quod exauctorato Cæſare Procopii jugum cervicibus ſuis impoſuiſſent, excuſſoque miti ejusdem regimine ſeſe cujusdam Presbyteri ſchiſmatici (*) tyrannidi ſubjeciſſent, cum tamen ille non aliam legem, quam effrænatam ſuam dominandi libidinem agnoſceret, & ubi avitis legibus tota Bohemorum Monarchia nonniſi quatuor Regni Statibus conſtabat, ipſe quintam erexiſſet factionem, nempe exercitum ſuum, qui armorum violentia totam ſibi ſoli vindicaret auctoritatem, ceteris penitus excluſis; ſubjunxerunt quoque, armatos hoſce viros haud contentos eſſe, ut ad ſatiandam ſuam avari-

Sæcul. XV. A. C. 1433.

(*) *Is erat Rochiſana.*

Sæcul. XV. A.C. 1433.

tiam immensa imponerent tributa, atqu ea etiam per vim extorquerent, sed ja eousque processisse, ut eorum petulanti haud aliter, quam communi jugi excu sione castigari posset, nec aliam superes viam, ut tandem perversa prævenirentu Hussitarum consilia, qui Bohemos, pos quam illos omnibus suis bonis exspolia sent, etiam penitus exterminare medit rentur.

Cunctæ hæ rationes intimo sensu Pro cerum, civiumque corda penetrabant; a tamen Nobilium crumenæ erant exhau stæ, cives vero eisdem pecunias mutua dare, haud satis sibi cautum fore exis mabant. Ergo Deputati Catholicæ fi dei in Bohemia restaurandæ negotium ob tam vile obstaculum retardari maxi mopere dolentes, Basileam epistolas gra vibus adeo verbis conceptas perscribunt, ut collectæ pro insolitis hujus regni ne cessitatibus in urbe fieri permitteren tur. Ex illis coacta fuere haud amplius, quam octodecim aureorum millia, & nihilominus hac pecuniarum summa, quamvis rerum indigentiam minime ex æquaret, totum id obtinebatur, quod alio longe majori subsidio sperari vix po tuisset; illius enim dispensatio inclyto juxta ac generoso cuidam Nobili Bohe mo demandata fuit. Hic erat Mainra dus de Neuhaus, seu *de nova domo*, Vir mili-

Naucler. ib. p. 451.

militaris, animi fortitudine, rerumque experientia clariſſimus, qui liberatoris Patriæ nomen ſibi demereri gaudebat. Sæcul. XV. A. C. 1433.

§. LXV.

Seſſio XII. Baſileenſis Synodi.

Interea temporis die decima tertia Julii, quæ erat feria ſecunda, habita eſt Seſſio ordine duodecima, in qua Patres pluribus conquerebantur de mala Eugenii fide, cum, ut inquiebant, *nil aliud prætendere videretur, niſi ut jus ſucceſſoribus ſuis faceret, non ſolum abrogandi ritum ſacrorum Conciliorum, ſed & ipſorum decreta irritandi, & abolendi.* Poſtea eidem exprobrant, quanto jam ultra ſesqui annum ſtudio deſudaſſent, ut tandem animum ejus moverent, atque ad fovendam Baſileenſem Synodum inclinarent, nunquam tamen ejus pertinaciam frangere potuiſſent. Quapropter jam in eo erant, ut adverſus ipſum definitivam condemnationis ſententiam pronunciarent, veriti, ne ulterior eorum indulgentia ipſis noxia, Eugenio autem ad perverſa ejus conſilia magis firmanda opportuna eſſet. Verum Sigismundi precibus abſterriti nil amplius attentarunt, quam quod alios adhuc ſexaginta dies eidem præfigerent, quibus elapſis, niſi contumax, ac manifeſtus prævaricator declarari vellet, mentem ſuam *Labbe Conc. to. 12. p. 508.*

Sæcul. XV. A. C. 1433

de dissolvenda vel transferenda Synodo revocaret.

§. LXVI.

Decretum citationis adversus Eugenium Papam.

Ibid. p. 509. Ergo citationis decretum promulgant, sed verbis admodum acerbis conceptum; in eo quippe Papam convitiantur velut *incorrigibilem*, *Virum scandalizantem Ecclesiam*, illumque *ab omni ipsius Papatus administratione suspensum* declarant, prohibentque, ne fideles Eugenio ullatenus ratione Papatus obediant, denique omnibus illius Prælatis præcipiunt, ut Synodum accedant.

§. LXVII.

Decretum de electionibus.

Ibid. p. 513. In eadem Sessione Synodus aliud condidit decretum, quo renovat jus electionum ab Apostolis fundatum, & a primo Concilio Nicæno in quarto & quinto Canone confirmatum. Hoc decreto sancitum est. I. *Generalis reservatio omnium Ecclesiarum, Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, Monasteriorum, ac dignitatum electivarum per Romanum Pontificem de cætero fieri non debeat reservationibus in corpore juris clausis, & his, quas in terris*

Sæcul. XV. A. C. 1433.

terris Romanæ Ecclesiæ subjectis fieri contigerit, semper exceptis, sed per electiones debite provideatur, non derogando propterea statutis, privilegiis, & consuetudinibus in dispositione juris communis remanentibus. II. *Inter alia, quæ Romanus Pontifex in sua assumptione profitebitur, juret hoc decretum inviolabiliter observare.* III. *Hi, ad quos jus pertinet eligendi, omnem curam adhibeant, ut dignam coram Deo & hominibus electionem faciant, exactamque apponant sollicitudinem, ut tales eligant, qui tanto officio valeant satisfacere, & ne in re tam gravi negligenter se gesserint, hi ad quos ejusmodi electio spectat, adveniente die in Ecclesia conveniant, magna cum devotione Missam de Spiritu Sancto audituri, contriti & confessi sacramentum Eucharistiæ reverenter suscipiant, ut eo facilius gratiam divinæ inspirationis obtinere mereantur ad dignum eligendum Pastorem. Ad locum vero electionis ingressi, jurabunt in manibus ejus, qui Capitulo præsidebit, & ipse Præsidens in manibus eum immediate sequentis, eum eligere, quem credent futurum Ecclesiæ,* vel Episcopali, vel Abbatiali, *utiliorem, nec illi vocem dare, quem verisimiliter sciverint promissione, aut ratione alicujus rei temporalis, seu prece per se aut alium interposita, pro se electionem procurare.* Hujus autem juramenti formulam Synodus præscribit. IV. *Eligant virum ætatis legitimæ, moribus gravem, literarum scientia præditum*

Conc. Labbe tom. 12. sess. XII. Conc. Basil. decret. de elect.

Sæcul. XV. A. C. 1433.

tum, in sacris ordinibus constitutum, & aliar idoneum. Quod si aliter, aut per Simoniacam pravitatem electionem fieri contigerit, electio sit ipso jure irrita & inanis, & sic simoniacum eligentes, perpetuo sint ipso facto jure eligendi privati. V. Tandem Patres adhortantur *Principes, communitates, & alios, cujuscunque gradus & dignitatis existant, ne electoribus literas scribant, aut preces porrigant pro eo, qui per se, vel per alium tales preces, seu literas procurabit, multoque minus comminationes, impressiones, at aliud faciant, quo minus libere ad electionem procedatur.*

§. LXVIII.

Epistola Eugenii ad Patres Synodi.

Eugenius hæc decreta, præsenti Sessione condita, præcipue primum, summa indignatione excepit, cumque jam antea graviter a Synodi Patribus offensus esset, quod illi paulo ante Legatos, quibus de Synodo Bononiam transferenda cum Basileensibus agere præceperat, recipere, ac audire recusassent, ideo die vigesima nona Julii Constitutionem edidit, qua omnes citationes, judicii acta, & decreta Basileæ contra se, contra Sacram Sedem, & contra Cardinales hucusque condita, ac quæcunque imposterum condenda, omnino irrita ac nulla declaravit, exceptis

ceptis duntaxat illis, ad quæ pertractanda ipſe Synodo auctoritatem dediſſet. Verum paulopoſt Pontifex nonnihil fervorem ſuum temperaſſe videbatur; quippe epiſtolam die prima Auguſti datam ad Synodum miſit, qua ſignificabat, quod intellectis cauſſis, ob quas Legati a ſe miſſi rejecti fuiſſent, tandem declararet, a ſe ad tollendam omnem ſchiſmaticis occaſionem, & ad preces Imperatoris, necnon de conſilio trium Cardinalium (qui ſoli eidem erant præſentes) Synodum a tempore ſuæ inchoationis approbari, illiusque continuationem ratam haberi, eo effectu, ut Patres hæreſibus, bellis, morumque corruptelis tandem extirpandis, aliisque abuſibus tollendis tranquille incumbere valeant, perinde ac ſi nulla translatio vel diſſolutio unquam facta fuiſſet, unde a ſe tam hanc quam illam plene ac ſine omni exceptione revocari. Inſuper pollicebatur, ſe præſentem Synodum pro viribus promoturum, omnique favore proſecuturum, dummodo Legati ſui admitterentur, ac omnia decreta adverſus ejus perſonam, auctoritatem ac libertatem condita, necnon adverſus Sacram Sedem, Cardinales, Prælatos, aliosque ſibi adhærentes in Concilio geſta abolerentur.

Sæcul. XV. A. C. 1433.

§. LXIX.

Sæcul. XV.
A. C. 1433.

§. LXIX.

Altera ejusdem Pontificis epistola.

Die decima tertia Augusti idem Papa alteram scripsit epistolam, qua iisdem Archiepiscopis, ac Præsulibus, necnon & Nicolao Abbati injunxit, præfatorum decretorum revocationem a Synodo postularent. Præterea illis facultatem concessit, vi cujus cuncta, quæ vel a semetipso, vel auctoritate sua adversus dictam Synodum, aut contra ejus membra fuissent gesta vel decreta, revocare, atque irrita declarare valerent.

§. LXX.

Sessionis XII. decretum a Papa abolitum.

Cum vero nec hisce duabus epistolis Concilii Patres moverentur, nihilque eorum, quæ feciſſent, revocari posse, aut deberi contenderent, sed palam affirmarent, Papam utpote Synodo inferiorem sese illis *pure ac simpliciter* subjicere, obstrictum esse, Eugenius in Patres concitatus de plenitudine potestatis suæ decretum in Sessione XII contra se, contra Cardinales, ceterosque conditum, nullum, irritumque pronunciavit, Constitutione hanc in rem die decima tertia Septembris edita, quam ubique promulgari curavit, ut quan-

quantum in se esset, Concilii auctoritatem reprimeret, suamque tueretur: quapropter in eadem hac Bulla declarat rationes, ob quas Concilii dissolutionem decrevisset, omnes omnino æquissimas esse, seque *de plenitudine potestatis atque auctoritatis*, quæ sibi tanquam legitimo Papæ competeret, Sessionis XII decretum penitus abolere. Sæcul. XV. A.C. 1433.

Præterea plures aliæ, Eugenii nomine divulgabantur epistolæ, pro ipsius defensione acrius conscriptæ, quas tamen ipse aut suas esse, aut jussu suo emanatas postea negavit. Spuriæ hæ literæ directæ erant ad universos Christi fideles, in quibus earum Scriptor, quiscunque demum fuerit, totam in hac causa rei gestæ seriem acuratius percurrit, necnon rationes, ob quas Eugenius Concilium Bononiam transtulisset, exponit, omnesque Basileensium accusationes confutat, diluitque criminationes ab eis Pontifici affictas. Demum constantiam, quam Synodi Patres in hoc rerum articulo testatam feciissent, palam redarguit, illamque potius in detestabilem pertinaciam, qua Ecclesiæ Catholicæ, Sedisque Apostolicæ auctoritatem opprimerent, degenerasse affirmat; ac ejusmodi temeritatem approbare, nefandum scelus fore, cui se nunquam assensurum, coram omnibus profitetur, subjungens, dissensione Papam

Sæcul. XV. A.C. 1433.

pam inter & Concilium exorta, Pontificis, non Synodi ſententiam ſequendam, atque illi, non huic legem imponendi auctoritatem competere, eoquod Papa in ipſa Concilia poteſtatem haberet, niſi forte, quæ ſtatuenda forent, Catholicam fidem ſpectarent, aut ſi, eoquod cuncta Synodi decreta negligerentur, univerſalis Eccleſiæ Status perturbari timeretur: tunc quippe tantummodo Concilii voluntatem potius attendendam. Præterea Scriptor ille aſſerere non dubitabat, Baſileenſes plurimum in eo falli, quod in ſingulis ſeſe Pontifice ſuperiores jactitarent, cum id tenere hæreticum foret. Poſtea Principes, omnesque Chriſti fideles adhortatur, ut Baſileæ congregatos a cæptis dimoverent, illosque ad recipiendos Papæ Legatos inducerent, eo fine, ut omnes ſimul unam, eamque legitimam Synodum conſtituentes, pia Patrum conſilia debitæ executioni mandare valerent. Si vero, loquitur Auctor Eugenii ore, pervicacia veſtra abrepti, Dei Eccleſiam ſcindere pergitis, ut hactenus conati eſtis, tunc vos obteſtor (nempe ſermonem ſuum ad Principes, omnesque fideles convertens) ut improbis hujus Conciliabuli conatibus pro viribus reſiſtatis, ne ſchiſma in Eccleſia oriatur. Hoc enim veſtrarum partium eſt, ut pax conſervata floreat, nec ſine Pontificis auctoritate Pſeudo-

do-Synodos haberi permittatis. Hæ tamen literæ confictæ esse creduntur. Sæcul. XV. A. C. 1433.

§. LXXI.

Epistola Imperatoris ad Papam pro continuatione Synodi.

Sigismundus Imperator, cum animos ultro citroque acrioribus iræ motibus excandescere animadverteret, ac non abs re mala Ecclesiæ pernicioſissima inde oriri pertimescеret, ardenti studio Synodum tueri decrevit. Hunc in finem plures ad Eugenium Papam literas dedit, in quibus scandala exaggerat, quæ ex dissolutione Basileensis Synodi adeo venerabilis in Ecclesiam redundarent, quantumque proprio suo honori noceret: *Speramus*, inquit Imperator in prima sua Epistola, *in clementissimo Deo nostro, quod ibidem ad provisionem hujus tam piæ, & sanctæ rei dabitur provisio salubris, & optata, quamob rem vestram Sanctitatem, cui ex summi Apostolatus officio non minus, quam nobis, res illæ incumbunt, obsecramus in Deo, quatenus ipsum sacrum Concilium vestra Sanctitas dignetur confovere, & augere, sicque providere, ut illud nec dissolvatur, nec ullatenus protrahatur: quoniam ejus turbatio indubie esset totius Reipublicæ Christianæ destructio, hæresumque auctio; ex adverso ipsius fomentum & confortatio, profecto Catholicæ fi-* *Conc. to. 12. p. 953. & seq.*

Sæcul. XV. A. C. 1433.

dei, & toti Christianismo pariet remedia adoptata.

In alia quadam Epistola ita scribit

Ibid. p. 955. *Rogamus, obsecramus, ac affectu majori, qu possumus, requirentes vestram Sanctitatem i Domino nostro JEsu Christo, cujus res ag tur, quatenus pensata totius Christianæ re gionis subversione, mox remediare digneminscribere & mandare Reverendissimo Pra denti, & sacro Concilio, ut nullatenus diffe vantur, sed in nomine Spiritus sancti, in qu congregati sunt, incepta feliciter perficiant Et si quæ vestra Sanctitas in contrariu scripserit, seu nunciaverit, illa protinus rev cet, eidemque Concilio favores, & omnes pro motiones impendat, prout necessitas summ requirit. Quod nisi celeriter hoc fiat, Eccl sia Dei in deterrimas conditiones prolapsur est, potissime in Germaniæ partibus, qu jam, pro dolor! in dubioso vacillant discri mine.*

§. LXXII.

Sessio decima tertia Basileensis Concilii.

Labbe Conc tom. 12. p. 515.

Feria sexta undecima Septembris di Sessio tertia decima celebrata est, cui interfuere septem Cardinales, & plurimi Episcopi Pontificalibus suis insignibus ornati. In illa, cum sexaginta dierum terminus Eugenio Papæ præfixus vix non exspi-

exſpiraſſet, Promotores, ut contumax de- Sæcul. XV.
claretur, poſtulant. Jamjamque ad ejus A. C. 1433.
condemnationem procedebatur, cum ecce! Spalatenſis, & Cervienſis Epiſcopi nomine Pontificis Synodum accedunt, & terminum nondum elapſum eſſe conteſtantur. Quibus tamen Julianus Cardinalis reponit, male de iis, quæ agerentur, inſtructos eſſe, ſimulque Concilii nomine ab iisdem ſciſcitatur, num de celebranda, atque continuanda Synodo Eugenii Papæ mandatum ſecum deferrent? Hi vero, cum nonniſi fidei publicæ literas exhiberent, nec de expreſſo Pontificis conſenſu teſtificarentur, re infecta dimiſſi ſunt. Ergo judicii acta contra Papam inſtruere pergunt, ſed inſperato Bavariæ Dux, & Joannes de Offenburg, quibus Sigismundus plenam agendi facultatem dederat, Imperatoris nomine hæc exponunt: Rogavit Eugenium Cæſar, ut Synodo adhæreret, eidemque ipſus intereſſet, cum vero Sigismundus decretum citationis a Synodo contra Papam promulgatum intellexiſſet, hunc cunctis viribus permovere ſtuduit, ut Concilii decretis morem gereret: Papa vero Cæſari in reſponſis dedit: neminem latere, quantum operæ hucusque pro reddenda Eccleſiæ pace impendiſſet. Pontifex itaque Synodum enixe exorat, ut hæc memori animo recoleret, eique triginta dierum inducias

Sæcul. XV. A. C. 1433.

adhuc concederet, has igitur ei indulg
ri Imperator deſiderat, ac viciſſim poſ
cetur, quod Germaniæ Principes, a
Prælatos ad Synodum convocare, atqu
aſſenſu ſuo comprobare velit, ut omn
irrita ac nulla declararentur, ſi forte P
pa interea temporis quicquam adverſ
Synodi Patres attentaturus eſſet. Er
Patres Cæſaris precibus expugnati, E
genio præfatam termini prorogationem
concedunt, ac de ea S. R. Imperii El
ctores certiores reddunt; nam & ipſi,
ſententia adverſus Papam ſuſpenderen
poſtulabant. Aliud inſuper decretu
tunc editum exſtat, quo Patres congreg
torum ſecuritati melius conſulturi, om
nia, quæ contra ſe vel eorum bona hu
usque acta aut decreta fuere, nulla e
pronunciarunt, cunctosque, quicunq
ſuis dignitatibus aut beneficiis exuti fu
rant, in integrum reſtituerunt.

§. LXXIII.

Diſſidia Eugenii cum Columnenſibus.

Naucler. gener. 48. p. 449.

Nec in Italia Eugenius Papa meliori
quam Baſileæ fortuna utebatur
quippe mox Regiminis ſui initio compe
rerat, Martinum V. Prædeceſſorem ſuum
ingentes theſauros reliquiſſe, locumque
in quo delitescerent, Poccio ſecundario
ejus Cubiculario notum eſſe; Ergo Ste-
phano

phano Columnæ negotium dat, Poccium custodiæ manciparet. Stephanus jussa exequitur, sed mandati sui limites egressus, nimia severitate, Poccium palam carceri includi, cunctaque ejus bona diripi jubet. Eugenius indignitate facti commotus justa in Stephanum ira excanduit, eique immoderatam agendi rationem acribus admodum verbis exprobravit. Hic vero correctionis impatiens, Prænestem ad Columnam Principem confugit, eumque, ut Eugenium Roma pelleret, instigat, caussatus, Papam Columnensibus infensum non modo illos assiduis exagitare injuriis, sed & cunctos Martini V. fautores opprimere velle. Columna hisce susurrationibus cedens, copias suas Romæ admovet, urbem ingreditur, atque atrocissimum in ea prælium committit, adverso licet Marte, nam & ipse, & sui confœderati repressi, atque in fugam acti sunt; nec tamen propterea belli flamma extincta est, donec Eugenius exeunte eodem anno inita pace bellicos tumultus sedasset. Sæcul. XV. A. C. 1433.

§. LXXIV.

Bellum a Mediolanensi Duce Pontifici illatum.

Paulo post Philippus Mediolanensium Dux, cum pacem cum Venetis, atque Florentinis initam, pluresque urbes inde *Antonin. tit.* 22. *c.* 10. §. 2

Sæcul. XV. A. C. 1433.

Blond. 3. Dec. 5.

sibi ereptas iniquius ferret, ab Eugenio qui ejusmodi fœdera rata habuit, vindictam sumere parat, forte suspicatus, Papam, utpote natione Venetum, magis patriæ amori cessisse, quam caussæ justitiæ observasse. Ut ut res se habeat, id explioratum habemus, Ducem arma sua Romanæ urbi intulisse, in qua cunctos cum filiis suis oppido faventes repererat. Non enim deerant, qui adversus Eugenium murmurarent, dicentes, ab eo Statum Ecclesiasticum, quem tamen sub primis Pontificatus sui auspiciis in maxima tranquillitate & optima pace compositum suscepisset, fuisse perturbatum. Conquerebantur alii, felicissimam hanc quietem atque concordiam brevi maligna Eugenii indole, ejusque ambitione eversam fuisse, inde factum, addebant alii, quod plures Cardinales ab eo recederent, & Basileam peterent. Mediolanensium Dux cunctos in ditione sua civitatum Episcopos ad Synodum ablegavit, omnesque Ecclesiæ terras, paucis exceptis, adversus Eugenium concitavit, usus auxilio Francisci Sfortiæ Generi sui, Belliducis ingenio, manuque insignis, & Nicolai Fortebracii, qui prius sub Eugenii vexillis militaverat, eumque armis suis protexerat. Ambo igitur atrox adeo bellum intulere Italiæ, ut Eugenius resistendo impar, omnibus urbibus ab ejus fide deficientibus, non sine gra-

vit

vitæ suæ discrimine Roma auffugere coactus fuerit. Dux Mediolanensis, ut Eugenium acriori adhuc injuria afficeret, in vulgus Epistolam tanquam a Basileensi Synodo scriptam sparsit, qua se a Patribus tanquam Vicarium Generalem Concilii in Italia constitutum mentiebatur. Ad quam diluendam calumniam Imperatoris Sigismundi, Regis Galliæ, & Burgundiæ Ducis Oratores suam navarunt operam, & Synodi Patres a tam indigna agendi ratione plane innoxios declararunt. Sæcul. XV. A.C. 1433. *Vid. infr.* § XCIV. *Blond. l. 3. Dec. 5.*

§. LXXV.

Lusitaniæ Regis obitus.

Die duodecima Augusti Ulyssippone fatis cessit Joannes Lusitaniæ Rex annos natus septuaginta sex, quatuor menses, novemque dies, postquam quadraginta octo annis, quatuor mensibus, & novem diebus Regni habenas moderatus fuerat. *Rex bonæ memoriæ* a suis nominatus est, eoquod rebus belli, pacisque tempore præclare gestis, æterna memoria dignus haberetur. Corpus ejus regia prorsus pompa Aliubarrotam delatum est ad monasterium, quod ab ipso in monumentum victoriæ de Castellanis partæ constructum fuit. Successit Joanni Eduardus maximus natu Filius annum ætatis suæ quadragesimum secundum agens, *Mariana l. 21. c. 6.*

Sæcul. XV. A. C. 1433.

cui numerosa proles fuit ex fœcundis Eleonoræ Arragoniæ conjugis suæ nuptiis suscepta. Primogenitus erat Alphonsus, cui etiam omnium primo Lusitani, Eduardo Patre suo adhuc superstite, nomen *Principis* indiderunt.

§. LXXVI.

Sigismundus Imperator Basileam reversus.

Cum triginta dierum induciæ Eugenio Papæ ad revocandam Synodi dissolutionem datæ exspirassent, Concilii Patres solemnem sessionem celebrare distulerunt, proxime futurum Sigismundi Imperatoris, ut Sessioni interesset, reditum præstolantes; Interea tamen die Dominica, quæ erat undecima Octobris, in Ecclesia Cathedrali Congregationem indixerunt, in qua Patres Epistolas Eugenio perperam adscriptas, quas tamen vere ab eodem Papa editas esse credebant, examini subjiciunt; jamjamque & sententiam in eum tanquam contumacem in proxima Sessione ferre parant; cum repente Imperatorem urbi proximum esse, atque ad Synodum properare nuntiatur. Illico omnes e consessu prorumpere, adventanti Imperatori obviam procedere, atque ingenti lætitia, quam ex ejus præsentia conceperant, eundem ad Eccle-

siam

siam deducere. Quapropter ad diem octavam hac Congregatione dilata, rebusque debite dispositis Patres Sessionem quartam decimam celebrare statuunt. Sæcul. XV. A.C.1433.

§. LXXVII.

Decima quarta Basileensis Synodi Sessio.

Tandem die septima Novembris habita est Sessio XIV., cui interfuit Cæsar Imperii insignibus illustris. In ea ad preces Sigismundi Eugenio Papæ rursum prorogabatur terminus ad nonagesimum diem, seu ad trimestre, ea tamen lege, ut intra hoc temporis spatium Concilio adhæreret, atque omnia, quæ adversus illud decreviisset, speciatim vero ternas illas literas mox memoratas revocaret; Præterea statutum, quod omnia ea, quæ in Synodo gesta fuere, confirmaret. Hoc si Papa facturus esset, pollicebantur Patres, se una omnes ejus pedibus advoluturos illum tanquam unicum, legitimumque Christi Vicarium venerraturos. Ut autem publicum, quod ab eo exegerant, instrumentum ab omni mala fide, fraude, & ambiguitate immune esset, tres omnino, ad quarum exemplum suam revocationem instrueret, obtulerunt formulas. *Lab. Conc. tom.* 12. *p.* 523.

Sæcul. XV.
A. C. 1433.

§. LXXVIII.

Formulæ pro revocanda Synodi dissolutione Eugenio præscriptæ.

Id. ib. p. 524. Omnes tamen istæ formulæ vix non in idem collimant; constanter enim urgetur Papa, ut quicquid per eum, vel suo nomine in præjudicium seu derogationem sacri Basileensis Concilii vel contra ejus auctoritatem factum, & attentatum fuisset, revocaret, atque nullum declararet, præcipue autem irritaret tres illas literas, quarum supra mentionem fecimus. Trinis his formulis Patres subjunxerunt aliam, quam *adhæsionis formam vocant;* vi hujus Papa se Synodo a tempore inchoationis suæ adhærere, & illius dissolutionem nullam esse profiteretur, simulque omnia, quæ in præjudicium membrorum Concilii, specialiter in Cardinales de Cypro, S. Sixti, & Firmanum decrevisset, rescinderet, eosque omnibus pristinis suis juribus restitueret. Utrum autem legitima fuerit, atque canonica citatio, Papa ipsius Concilii judicio stare teneatur, quem adhortantur, ut puram ac rectam Concilii nil nisi utilitatem Ecclesiæ respicientis mentem veramque ejus in illum charitatem agnosceret.

§. LXXIX.

Sæcul. XV. A.C. 1433.

§. LXXIX.

Papa Synodo adhærere pollicitus.

Synodus ad hæc extrema non alia ex ratione descendit, quam quia Eugenius assiduis Sigismundi suasionibus impulsus, sese Basileensibus Patribus adstipulaturum promiserat, dummodo illi omnia contra ipsum, Cardinales suos necnon adversus eos, quos nomine suo Præsidis vices acturos miserat, hucusque decreta revocarent; necdum enim quatuor Eugenii Papæ Præsides admittebantur. *Vid. supr. §. XXIII.*

§. LXXX.

Sessio decima quinta.

Hanc ob rem Patres vigesima sexta Novembris, quæ erat feria quinta, decimam quintam celebrant Sessionem, cui etiam Imperator interfuit. In illa nonnulla conduntur decreta, quibus sancitum, ut Synodi Provinciales ex antiquorum Canonum præscripto quotannis bina vice aut saltem semel in anno convocentur, atque ab ipsomet Episcopo Diœcesano, nisi legitime impeditus fuerit, celebrentur; hæc autem Concilia biduo aut triduo, prout Ecclesiarum necessitas suaserit, perdurent. Præterea statutum, quod prima die, qua ejusmodi Synodus cele- *Labbe Conc. to. 12. p. 525.*

Sæcul. XV. A. C. 1433.

celebrabitur, sermo haberetur, in quo congregati ad sectandam morum puritatem, & vitam sancto Sacerdotii statui conformem, necnon ad conservandam Ecclesiasticam disciplinam admonerentur; singulis diebus Dominicis, aliisve solemnioribus festis plebs fidei doctrinis imbueretur, ac postea perlectis synodalibus statutis, modus condigne Sacramenta ministrandi præscriberetur, & de vita, ac moribus Sacerdotum, & Clericorum solerter inquireretur, & si qui simoniaci, usurarii, concubinarii, aut aliis quibusvis criminibus obnoxii invenirentur, debita correctione cohibendi essent. Revocabant nimirum Patres avitam Ecclesiæ disciplinam auctoritate quinti Canonis primi Concilii Nicæni, & Canonis II. primæ Constantinopolitanæ Synodi introductam, quæ usque ad Concilium Generale (*) sub Adriano II. celebratum perpetuo vigebat.

§. LXXXI.

(*) *Hæc Synodus non alia est, quam Concilium Constantinopolitanum VIII, quod 5. Octobris anno DCCCLXXXIX. inchoatum legitur.*

Sæcul. XV.
A. C. 1433.

§. LXXXI.

Turcarum Legatio ad Sigismundum.

Sub idem fere tempus Amurates II. Turcarum Imperator ad Sigismundum Cæsarem solemnem Legationem decrevit, ut, postquam cum eo diu jam armis conflictatus erat, tandem perpetuæ ac firmæ pacis fœdera componeret. Sigismundus Cæsareis ornamentis præfulgens hosce Legatos in Ecclesia Basileensi exceptos ad alloquium admisit; Duodeni ex primo horum Oratorum ordine Sigismundo, nomine sui Imperatoris offerebant munera, nempe duodecim prægrandes ex auro scyphos, aureis nummis plenos, pannos auro & arte phrygia insignes, vestem auro intextam plane pretiosissimam, aliasque plures sericas, gemmis distinctas. Imperator pari, ac Regia munificentia horum liberalitatem adæquaturus, vicissim eos donis pretiosis juxta ac magnificis cumulavit: Amurates forte (ut nonnullorum opinio fert) tanto honore Sigismundum prosequebatur, vel quia ejus potentiam, postquam Romæ Imperii coronam susceperat, pertimesceret, sive demum, ut Sigismundo adeptum Imperii diadema gratularetur.

Krantz. 11, *Saxon.* 22.

Sæcul. XV.
A.C. 1433.

§. LXXXII.

Deputati Papam ad pacem Ecclesiæ hortaturi mittuntur.

Eodem tempore Synodi Patres in quadam generali Congregatione alios adhuc Oratores in Bohemiam mittere decernunt, qui jam antea ablegatis operam suam jungerent, ac Bohemorum animos quoquo modo Ecclesiæ conciliarent. Attamen huic Legationi supersedendum judicarunt, accepto nuntio, quod aliunde cæptum negotium e sententia cederet. Igitur Patres potius propitia animi dispositione, qua Eugenium Papam Synodo adhæsurum sperabant, utendum rati, Sigismundi, Regis Galliæ, & Burgundiæ Ducis Oratores ad illum direxerunt, ut universalis Ecclesiæ pacem ab eo impetrarent. Hujus rei mentionem ipse Pontifex fecit in quadam epistola ad Amadæum VIII. Sabaudiæ Ducem data, in qua significat, pacis negotium ante Legatorum istorum adventum jam tum a se cum Basileensibus Patribus fuisse concluſum, cum Venetorum Oratores ad ipsum Cæsaris literas detulissent; fatetur tamen, se nonnisi assiduis Imperatoris precibus ac suasionibus expugnatum cum Basileensibus in hanc sententiam conscessisse. Hujus concordiæ summa est,

Blond. 3. decad. 5.

In Amad. pacif. n. 7.

Syno-

Synodus omnia contra Papam, ac eidem addictos acta revocet, ejusque Præsides admittat: Eugenius vero profiteatur, Basileense Concilium esse, & hactenus legitime fuisse congregatum, ac præterea cuncta contra illud, ejusque Sectatores a se decreta pariter revocet, ac plene ejusdem statutis adhæreat. Igitur Eugenius quatuor, qui Synodo præsiderent, Cardinales selegit, ad quos Bullam Romæ decimo octavo Calendis Januarii, id est, decima quinta Decembris datam direxit, eisque nomine suo plenam agendi, cunctisque a Synodo decretis atque statutis, aut imposterum definiendis adstipulandi potestatem concessit. Sæcul. XV. A.C.1433.

§. LXXXIII.

Bulla, qua Eugenius se Synodo adhærere declarat.

Præterea in eadem Bulla Eugenius profitetur, quod, quamvis Basileense Concilium legitime inchoatum dissolverit; cum tamen *ex dicta dissolutione ortæ sint graves dissensiones, & graviores adhuc oriri possent, ad eas evitandas declaret, præfatum Concilium a tempore inchoationis suæ legitime continuatum fuisse & esse, ac prosecutionem habere debere;* & insuper cuncta ab eo decreta, atque decisa approbet, & ipsum Concilium favore prosequa- *In Append. I Conc. Basil. tom. 12. p. 42.*

Sæcul. XV. A.C. 1433.

sequatur; *Quinimo quod præfatam dissolutionem irritam prorsus & inanem ejs* perinde ac si nunquam facta fuisset, testaretur. Subjungit demum hæc verba: *Præterea quidquid per nos aut nostro nomine in præjudicium aut derogationem prædicti Concilii, seu contra ejus auctoritatem factum, & attentatum est, & quoscunque processus contra supposita hujus Concilii factos vel inchoatos irritamus, & annullamus. . . . Nos autem deinceps a novitatibus & gravaminibus seu præjudiciis inferendis ipsi sacro Concilio, vel suppositis ejus & adhærentibus eidem realiter, & cum effectu desistemus.*

Quamvis hæc Eugenii mutatio partim variis ejus adversitatibus, partim precibus ac Sigismundi consiliis adscribenda sit, nihilominus idem Pontifex in quadam Epistola Florentiis decimo tertio Calendas Martii, id est, septima decima Februarii data satis aperte testatur se *de consilio & assensu venerabilis fratris Jordani Episcopi Sabinensis, & dilectorum filiorum Antonii sancti Marcelli, Francisci Sancti Clementis, Angeloti tit. S. Marci Presbyterorum, ac Lucidi Sanctæ Mariæ in Cosmedin, & Prosperi tit. S. Georgii & Dominici tit. S. Mariæ in via lata Diaconorum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium,* in hanc sententiam concessisse.

Ex

Ex hiſce Cardinalibus duos, qui Synodo præſiderent, ſelegit, nempe Jordanum ab Urſinis, & Angelotum tit. S. Marci, quibus Nicolaum Albergatum, & Petrum Albanenſem Epiſcopum pariter Cardinales adjunxit. Cum vero hi gravibus negotiis Romæ detinerentur, eisdem Eugenius poſtera die decima ſexta Decembris Joannem Archiepiſcopum Tarentinum, Petrum Epiſcopum Paduanum, & Ludovicum Abbatem S. Juſtinæ cum pari poteſtate, quam antehac prioribus conceſſerat, ſubrogavit. Eadem quoque decima ſexta Decembris die datis ad Cardinalem Julianum literis, illum Synodi Præſidem, quo munere hucusque functus erat, de novo conſtituit, ea tamen lege, ut recens miſſi ſimul cum eodem præſiderent. Sæcul. XV. A.C.1433.

§. LXXXIV.

Papa Bullas contra Synodum emanatas revocat.

Eugenius datis tot ſinceræ ſuæ mentis, qua Synodum approbavit, teſtimoniis necdum contentus, binas inſuper illas Bullas, quibus Concilium omnino nullum ac illegitimum declaravit, expreſſe revocare voluit. Eadem occaſione uſus, tertiam quoque Bullam, quæ olim ſub ejus nomine divulgabatur, ſe penitus *Labbe Conc. to.12. p.529.*

Sæcul. XV. A.C. 1433.

nitus inscio confectam testatur. Contenentur in ea rationes, quibus ad dissolvendam Synodum inductus fuit, Patres vero Basileenses in illa acriter admodum traducuntur. *Ut autem mentis nostræ,* inquit Eugenius, *integritas, ac devotio quam ad universalem Ecclesiam, & sacrum generale Concilium Basileense gerimus, omnibus constet evidenter, duas nostras litteras pridem in Palatio Apostolico promulgatas, nam tertias, quæ dicuntur incipere DEUS NOVIT, cum a nobis aut de scitu nostro nunquam emanarint, licet superfluum videatur, quod non exstat, revocare tamen quia petitum est, & ad cautelam, si ullo unquam tempore apparerent, & aliæ quascunque, & quidquid in præjudicium sacri Concilii, aut contra ejus auctoritatem factum seu assertum est, revocamus.*

Id. ib. p. 532.

§. LXXXV.

Aliorum sententia de hac Eugenii revocatione.

Hæc Papæ agendi ratio quibusdam probata, ab aliis eidem crimini data est. Concilii Fautores inde ovantes, ac veluti Pæana canentes, hanc revocationem velut authenticum auctoritatis Concilii Basileensis argumentum venditant, ac propterea rubore ac confusione omnes illos obrui credunt, qui contra fidem Acto-

Actorum hujus Concilii, & adversus Apostolicas Eugenii literas, Basileensem Synodum Acephalam, atque Schismaticam esse perhibent. Equidem absque omni veritatis specie ejusmodi vitium huic Synodo affingi videtur; nam non modo a Martino V., & Eugenio ejus successore convocata est, verum etiam ipse Eugenius eandem confirmavit, approbavitque, quatenus data Bulla docet: *Se omnia præcedentibus Sessionibus gesta, deincepsque gerenda pro extirpatione hæresum, pace constituenda inter Principes Christianos, Ecclesiæ reformatione in capite, & in membris approbare.* Unde inferre pronum est, hanc Synodum, utpote omnibus ad legitimum Concilium requisitis dotatam, acephalam immerito dici. Sæcul. XV. A. C. 1433.

Platina Historicus, inter ceteros acrius succenset Eugenio, quod Basileense Concilium approbare non abhorruisset: *Eugenius*, inquit, *malis consiliis ductus divina, humanaque omnia perturbavit: Nam & populum Romanum ad arma excivit, & Concilio Basileensi, unde infinita mala orta sunt, auctoritatem dedit, approbatis eorum per literas Apostolicas decretis.* Cajetanus omnium primus in oratione, quam in Synodo Lateranensi dixit, Basileensi Concilio tanquam Acephalo, & schismatico ausus est obloqui, deinde isthæc Cajetani oratio Sessioni undecimæ *Platin. de Vit. Pontif. in Eugen. IV*

Sæcul. XV. A.C. 1433.

Synodi Lateranenſis ſub Leone X. inſer-
ta eſt. At vero Cardinalis Bellarminus
majori candore uſus, duntaxat aſſeruit:
Baſileenſe Concilium initio quidem fuit legi-
timum: A quo tempore Eugenium depoſuit,
& Felicem elegit, non fuit Concilium Ec-
cleſiæ, ſed conciliabulum. Hæc ipſa quo-
que ſententia communior, magisque re-
cepta videtur, hanc Synodum genera-
lem, atque œcumenicam fuiſſe usque ad
Seſſionem decimam, vel prout alii magis
veritati congrue loquuntur, usque ad vi-
geſimam ſextam, in qua de Eugenii Pon-
tificis depoſitione agere cæptum eſt. Pa-
normitanus egregio tractatu Baſileenſis
Concilii poteſtatem, ac in deponendo Eu-
genio cauſſæ juſtitiam vindicare conatur,
de his tamen alibi (*).

Bellarm. l. 3. de Eccleſ. milit. cap. 16.

Infr. lib. CVIII.

§. LXXXVI.

(*) *Hanc animadverſionem Continuator tri*
non ad verbum ex lib. 2. Hiſtor. Conc. fol. 41
Edmundi Richerii Auctoris proſcripti mutua-
vit, ex quo, quanti ſit ponderis, facile colligen-
dum. Ob quæ motiva optimus Pontifex ad
tantam animi puſillanimitatem deſcenderit, u
decreta Synodi Baſileenſis (quamvis ſemper ſub
hac reſtrictione, quoad ea, quæ ad hæc tria
capita, ſc. extirpationem hæreſum, pacem Prin-
cipum, Eccleſiæ reformationem ſpectant) appro-
baverit, melius ex plurimis aliis Auctoribus,
præcipue Turrecremata, qui Synodo adfuit, di-
ſcere potuiſſet.

Sæcul. XV.
A.C.1434.

§. LXXXVI.

Decima ſexta Concilii Baſileenſis Seſſio.

Feria ſexta die quinta Februarii in loco conſueto celebrata eſt Seſſio XVI, cui Imperator Sigismundus habitu Imperiali indutus, ac nonaginta Prælati mitris albis ornati interfuere. Perſolutis de more precibus, Eugenii Pontificis literæ de approbatione Concilii, & revocatione diſſolutionis ab eo decretæ recitantur. Perlatæ fuerant ab Archiepiſcopo Tarentino & Epiſcopo Cervienſi, quibus perlectis ac examini ſubjectis Synodus declarat, quod Pontifex per illas omnino monitis, citationibus, ac poſtulationibus Synodi ſatisfecerit, juxta tenorem eorum, quæ in Seſſione decima quarta, necnon in Formula eidem inſerta habentur. Eædem epiſtolæ, poſtquam approbatæ fuerant, in acta Synodi relatæ ſunt. Nihilominus Joannes Turrecremata, qui huic Concilio interfuit, ac poſtea Cardinalium Collegio adſcriptus eſt, ex hiſce literis nihil omnino, quod Baſileenſibus ſuffragaretur, elici poſſe propugnat, docetque, Papam nullatenus approbaſſe omnia ea, quæ Synodus decreviſſet, nec ſe obſtrinxiſſe ad com-

Labb. Conc. to.12. p.528.

Turrecrem. lib.2. de Eccleſ. cap.100.

Sæcul. XV. A.C. 1434.

probanda illa, quæ Basileenses præter auctoritatem cuivis Synodo communem sibi arrogare vellent. Verum ut hæc Cardinalis sententia minus firma esse cognoscatur, consuli poterit P. Natalis Alexander in sua Dissertatione VIII. ad Concilium Basileense (*).

P. Alex. part. 3. Sæc. XV. & XVI. Hist. Eccles. p. 565

§. LXXXVII.

Congregatio, in qua Pontificis Legati ad Concilium admittuntur.

Literis Papæ in hac Sessione a Synodo approbatis, die vigesima quarta Aprilis coacta est generalis Congregatio, in qua Eugenii Pontificis Legati suis quisque nominibus Synodali Collegio adscripti fuere. Hi erant Nicolaus Cardinalis S. Crucis, Joannes Archiepiscopus Tarentinus; Petrus Episcopus Paduanus; & Ludovicus Abbas S. Justinæ. Postmodum jurato promittere cogebantur, se Synodi honorem toto studio promoturos, ejusque decreta integra fide servaturos ac speciatim illud in quarta & quinta Concilii Sessione conditum, quo declaratur

(*) *Paucis multa in hanc rem dixit P. Gotti in sua Theologia tom. 1. tract. 1. Isag. q. 3. §. 5., aliique Doctores quam plurimi, qui de hujus Concilii auctoritate disserunt.*

claratur quod Synodus legitime congregata Eccleſiam univerſalem repræſentet, poteſtatem immediate a Chriſto Domino habeat, & ipſemet Pontifex eidem in his, quæ ad fidem, extirpationem ſchismatis, & ad generalem reformationem Eccleſiæ pertinent, obedire teneatur. Eodem Sacramento ſpondere jubebantur, quod nec ſe ſingulorum vota revelare, nec inſciis Deputatis a loco Concilii recedere, & demum in omnibus ſanum ac ſalubre conſilium, prout Deus, & ſua cuique conſcientia dictaverit, dare velint. Singuli proprio ſuo nomine omnia iſta jurata fide ſpoponderunt. Ceterum Patres cunctis hiſce cautelis uſi ſunt, quod Papæ retractationem nonniſi fictam eſſe timerent, & Eugenium mere ad diſſolutionem clam adornandam Legatos ſuos ad Synodum miſiſſe ſuſpicarentur, prout etiam comprobavit eventus.

Sæcul. XV. A.C.1434.

Vide infra lib. CVII. §. LIV. & ſeq.

§. LXXXVIII.

Seſſio decima ſeptima Concilii Baſileenſis.

Hoc juramento in Congregatione illa edito quatuor Papæ Legati ad decimam ſeptimam Concilii Seſſionem, altera die Lunæ vigeſima ſexta Aprilis celebratam admiſſi fuerunt. Intererat ipſe Imperator dignitatis ſuæ inſignibus præfulgens

Sæcul. XV
A. C. 1434

fulgens, præter plures ac centum Prælatos, mitris ac ornamentis Pontificalibus decoratos. Legati isti unacum ipso Cardinale Juliano, qui prius præerat in hac Sessione, eodem functi sunt Præsidum officio.

§. LXXXIX.

Jusjurandum Legatis injunctum.

Labb. Conc. to. 12. p. 539. & 542.

Patres Basileenses securitati suæ firmius consulturi, plura condiderunt Decreta, verebantur enim, ne Oratores Eugenii, si cum libera, ac independenti auctoritate Concilii Præsides forent, propositum emendandæ Ecclesiæ in membris suis valido conatu impedirent (*), quapropter ante omnia declararunt, a se præfatos Oratores in Præsides duntaxat ea lege admitti, ut dependentem a Concilio auctoritatem, nec ullam jurisdictionem coactivam exerceant, salvaque custodiant

(*) *Hanc rationem Continuator ex suo Richerio rursus descripsit, reipsa autem Basileenses per Præsidum auctoritatem suæ dominandi libidini, ambitioni, & concepto adversus Eugenium odio frænum injici timebant, qui tamen experta Pontificis indulgentia potius mutuis consiliis paci, ac concordiæ Ecclesiæ insudare debuissent.*

custodiant statuta antehac observata, vi quorum nihil Synodali auctoritate, ac in pleno Concilio decisum censeatur, nisi prius a quatuor Synodi Deputatis discussum fuisset; ut vero supremæ Concilii auctoritati, quam ex Pontificiorum Oratorum præsentia minime infirmatam fuisse prætendunt, plenius adhuc robur adjicerent, decernunt, quod omnia acta hujus Synodi juxta antiquam consuetudinem, quam in primis octo generalibus Conciliis observatam, impræsentiarum resuscitare intendunt, sub nomine ac sigillo ipsius Concilii expediantur. Sæcul. XV. A.C. 1434.

§. XC.

Legatorum authoritas variis limitibus circumscripta.

Præterea ex eadem Sessione intelligimus, Patres Basileenses sua decreta libero Pontificis Legatorum, ac præsidum judicio, ac sententiæ subjicere noluisse; nam statutum legimus, quod, si Præsides decreta a quatuor Concilii Deputationibus facta, *synodice* comprobare detrectaverint, concludendi ac pronuntiandi jus ad antiquiorem Episcopum, qui in ordine sedendi Præsidibus proximior esset, devolvatur. Ad id movebantur ex eo, quod crederent, Concilii generalis decreta ab ipsa duntaxat Synodo suam

Sæcul. XV. A. C. 1434.

auctoritatem derivare; jus vero Concilii præsidendi, ac sententiam ferendi, quod Pontificiis Legatis competit, mere honorarium esse, & Primatui Papæ, cujus Personam repræsentant, debitum, vi hujus tamen adeo nullam in Concilium jurisdictionem, aut potestatem ab eo acquiri, ut potius Synodus generalis, si Papa de decreto ab illa canonice constituta suam sententiam pronuntiare, ac concludere renuat, eo reclamante Præsidem sibi eligere valeat; ac denique ejusmodi decretum præfato modo concluſum obliget, & plenum suum robur obtineat. Hujus sententiæ vestigium in Synodo Chalcedonensi reperiri videtur.

Nam in dicto Concilio sub annum quadringentesimum quinquagesimum primum celebrato prælegebatur Canon XXVIII, quo Patriarchæ Constantinopolitano privilegium ipsi per tertium Canonem primi Concilii Constantinopolitani concessum asserebatur, vi cujus præfatus Patriarcha secundas honoris partes obtineret, id est, primus post Romanum Pontificem, locaretur, proin *Pontiæ Thraciæ & Asiæ Metropolitani soli, & prædictarum Diœcesium, quæ sunt inter Barbaros, Episcopi a Sede Constantinopolitanæ Ecclesiæ ordinentur, convenientibus de more factis electionibus, & ad ipsum relatis.* Reclamabant vehementer Leonis Papæ Legati contra hunc

hunc Canonem, partim, quod ipsis absentibus conditus esset, partim, ut inquiebant illi, quia Episcopi subscribere coacti sunt. Cum vero hi uno ore clamassent: se motu ac voluntate propria canoni adstipulatos, ac neminem vi compulsum fuisse, Canon iste, quamvis S. Leonis Legati sese opposuissent, in eodem Concilio trina vice relectus, & applaudentibus singulis Patribus, actis Synodalibus insertus fuit. Quamvis ergo Papa inter quoscunque Conciliis assistentes eminentiori polleat auctoritate, quia per se vel per suos Legatos eidem præest, decreta promulgat, & explicat, eorumque executionem omnibus imperat, perperam tamen inde deducitur, quod Oecumenici Concilii potestas usque adeo a Pontificis auctoritate dependeat, ut Synodi decreta pleno jure immutare, aut rescindere valeat, prout Pater Alexander loco superius citato luculenter ostendit, dicens: *Quocirca Nicolaus de Cusa scribit: In Conciliis universalibus concurrit in primo gradu Auctoritas ipsius Papæ per consensum cum aliis omnibus ipsum Concilium celebrantibus. Vigor nihilominus definitionis non est ab ipso Primo omnium Pontifice, sed ex communi omnium, & ipsius, & aliorum consensu dependet; ut colligitur ex Epistola S. Leonis ad Synodi Chalcedonensis Patres, dum ait: ut & fraterna universitas, & omnium fidelium*

Sæcul. XV. A. C. 1434.

P. Alex. l. c.

Nicol. de Cusa lib. 3. de Conc. Cath. c. 4.

Sæcul. XV. A.C.1434.

lium corda cognoſcant, me non ſolum p
Fratres, qui vicem meam executi ſunt, ſ
etiam per approbationem Geſtorum Syno
lium propriam vobiscum uniiſſe ſententia
&c. (*)

§. XC

(*) Continuator Hiſtorici ſphæram eg
diens, Theologum agit, in reflexionis ſuæ
gumentum canonem 28 Concilii Chalcedonen
evocans, quem tamen necquidem in pluri
hujus Synodi manuſcriptis Codicibus, tum gr
cis, tum latinis, neque in Collationibus Dio
ſii & Iſidori exſtare, ex notis Binii diſcere p
tuiſſet, utpote quem Anatolii fraude, & circu
ventione Epiſcopis propoſitum, ab eisque ſu
ſcriptum Beatus Leo Papa rejecit in epiſt
62 ad Maximum, Epiſt. 51. ad Anatolium,
in aliis locis. Epiſtolæ autem 61 ad Epiſcop
Synodi Calced. ex qua illa verba: *Ut & fr*
terna &c. decerpſit, eadem fidelitate, qua
Alexander, in fine addere quoque potuiſſet
quentia: *in ſola videlicet fidei cauſſa, quod ſa*
dicendum eſt, nec omittere debuiſſet iſta verb
Admoneo, ut Jura Eccleſiarum, ſicut in Sy
nodo Nicæna, & ab illis 318 *Patribus divin*
tus iuſpiratis ſunt ordinata, permaneant. Iter
ex allati Concilii Calcedonenſis actione V. hau
rire potuiſſet, quod vigor decretorum Syn
dalium ab ipſo Pontifice deſcendat, nam quam
vis Patres fidei profeſſionem, quam concepe
rant, permutare obluctarentur, tamen impe
rio

§. XCI.

Sessio XVIII.

Sæcul. XV. A. C. 1434.

Sessio decima octava instituta est Sabbato vigesima sexta die Junii absente Imperatore Sigismundo, qui absoluta Sessione XVII Basilea abscesserat. Patres Synodi de novo, ac quinta jam vice decretra quartæ ac V. Sessionis Concilii Constantiensis repetunt, rati, quod omnes & singulos de Conciliorum auctoritate certiores reddere, e re sua vel maxime esset. In hac eadem Sessione Joannes Patriarcha Antiochenus tractatum a se currente hoc anno compositum obtulit Synodo, quo evincere conabatur, Concilii pote

Labbe Conc. tom. 12. p. 540.

rio & auctoritate S. Leonis, Legatis suis concessa, correcta clausula aliam edere coacti sunt, denique ex frequentissimis Chalcedonensium Patrum acclamationibus: *Sicut Leo, ita credimus*, facile inferre potuisset, quod Patres suas definitiones ad doctrinam & decisionem Leonis Papæ tanquam ad lydium lapidem, non autem ad Synodi placitum examinaverint. Contradicendi vertigine titubare credimus illum, qui relictis authenticis, universaliter approbatis documentis, ex male consutis laciniis, apocryphis ac controversis factis, opinionis suæ argumenta depromit. Vide P. Leytam in suo clypeo fol. 22. & 88, & innumeros alios.

Sæcul. XV. A. C. 1434.

poteſtatem Pontifice ſuperiorem eſſe, a propterea Eugenium non potuiſſe Syn dum hanc diſſolvere absque ejusdem co ſenſu, ſed magis illum ei obedire, ac ſub ditum eſſe debere. Exſtat tractatus i ad calcem actorum Concilii Baſileenſis appendice prima.

Seſſio ſequens usque ad menſem S ptembrem protracta eſt, interea tam plures actæ fuerunt Congregationes, in ea, quam decima ſexta Junii celebr tam novimus, Conſtitutio Caroli IV. I peratoris contra violatores immunitatu Eccleſiæ aucta, & latius explicata, pr mulgatur, atque ad Abbates monaſteri rum S. Bavonis, Gandavenſis, Camer cenſis, ac Sancti Petri Lovanienſis, E cleſiarum Tornacenſis, Leodienſis, & Tr jectenſis dirigitur. Die tertia Julii par ter auctoritate Synodali Eugenii Conſt tutio Romæ die vigeſima ſexta Maji an no ſuperiori data de veneratione Corp ris Chriſti, & indulgentiis ejus feſtivita conceſſis publicata eſt, ac ubique obſerva juſſa. Conſuli poteſt D. Bailletus de fe ſtis mobilibus, qui in hanc rem diſcurrit.

Conc. Append. to. 12. p. 844.

§. XCII.

Epiſtola Eugenii Papæ ad Synodum.

Præterea die vigeſima nona Junii ejus-

dem

dem anni Eugenius Papa datis ad Basileenſes Patres literis teſtatum fecit, ſe doloris ſenſum ob præteritas injurias conceptum penitus depoſuiſſe, ac lubenti, lætoque animo omnia ea, quæ circa celebrationem, ac Synodi continuationem indulſiſſet, confirmare, nil enim ſibi ſolemnius, quam *ipſos amare ut Filios, obſervare ut fratres, & in Benedictionibus dulcedinis unacum illis præcipua charitate conſtringi*, de cetero etiam de ipſis confido, quod pro ipſius Apoſtolicæ Sedis reverentia ſeſe fideles ac devotos erga eam gererent, Hujus confidentiæ ſignum ſe perſpexiſſe dicit, ex eo, quod Præſidentes ſuos affectu & opere ipſis conjunctos benigne receperint; Hinc enim tam ſeipſum, quam Sedem Apoſtolicam ſummo ſolatio affici teſtatur in graviſſimis illis anguſtiis, atque afflictionibus, quibus ipſe non ita pridem Romæ preſſus, & quarum cauſſa urbem deſerere coactus fuiſſet. Hæc ille in ſua Epiſtola Florentiis ad Synodum data. Quales vero fuerint Romanæ iſtæ turbæ, quæ Papam fugere compulerant, percipiamus.

Sæcul. XV. A. C. 1434.

Labbe Conc. append. tom. 12 p 949. & ſeqq.

§. XCIII.

Papa Romanorum ſeditionem evaſurus Florentiam auffugit.

Philippus Mediolanenſium Dux de Pontifi-

Sæcul. XV. A. C. 1434.

tifice vindictam sumpturus, eoquod a ipso ad pacem rebus suis valde adve sam cum venetis ineundam quodamm do compulsus fuisset, bellum in eu movit, & immisso valido exercitu Fra cisco Sfortia, & Nicolao Fortebracio D cibus, Campaniam Romanam prædati nibus vastavit, ipsum quoque Eugeniu si opportunitas tulisset, capturus. Veru Pontifex medias inter adversantis fort næ, quibus jamjam absorberi videbatu procellas tranquillum induens animu nequaquam Philippi copiis sese oppos Romani hac Pontificis ignavia commo ac jam antehac a Columnensium facti ne, imo ab ipsomet Mediolanensium D ce instigati, adversus Eugenium sedit nem movere, illumque capere decrevu Ante omnia ejus Magistratus expellu eorumque loco septem alios eligunt. F nesta hæc rerum novitas vehemen Pontificem terruit; unde propriæ sa saluti consulturus, Monachi habitum i dutus clam fuga discrimini sese subdux Romanis illum magno numero insequen tibus, ægre admodum in navicula Tibe ris oram attingere poterat; vix appulsu conscensa apud ostiam triremi, primo P sas, inde Florentiam delatus est, ubi om ni honorum genere exceptus in pervigil Sancti Joannis Baptistæ adventavit ea demque tempore ad Synodum epistolam cujus

cujus mox meminimus, scripsit. Romani interim Palatium Pontificis diripiunt, Franciscum Condulmerium ipsius Nepotem, Cardinalem Venetum, & S. Romanæ Ecclesiæ Camerarium in vincula conjiciunt, castrumque S. Angeli obsidione cingunt. Quod tamen cum frustra quinque mensium spatio oppugnassent, tandem in obsequium Pontificis reversi, Magistratus a Papa creatos pristinis honoribus restituunt, ac denique pacem & concordiam utrinque revehunt. Fortebraccius a quodam gregario milite trucidatus occubuit, Sfortia vero Ecclesiæ Romanæ vexillifer, ac Piceni seu Anconæ Marchio non nisi ad dies vitæ declaratus est. Sæcul. XV. A. C. 1434.

§. XCIV.

Duo Cardinales a Synodo ad Papam ablegati.

Basileenses Patres de tam sinistris Eugenii fatis, & de indignis adeo vexationibus edocti, ad eum Cardinales S. Crucis, & S. Petri ad vincula legatos destinant, qui die sexta mensis Augusti Basilea abierunt. His negotium datum, ut pro viribus bellorum dissidia componerent, Provincias, & civitates ad Eugenii Papæ, & Romanæ Ecclesiæ, a cujus fide defecerant, obsequium revocarent, simulque falsum illum rumorem dissipa- *Sigonius in vita Nicol. Card. c. 14.*

Sæcul. XV. A. C. 1434.

rent, quo Mediolanenſium Dux Synodum ſibi adverſus Eugenium favere undique divulgabat. Legati Florentiam delati quantum adverſam Pontificis vicem dolerent, teſtificantur, eidemque omne, quod in ipſis eſſet, ad res ſuas in priſtinum ſtatum reducendas auxilium pollicentur: aliunde enim Cardinales iſti maximi apud Italos auctoritate pollebant, præcipue Cardinalis Sanctæ Crucis, cujus probitas plurimum ibidem ſuſpiciebatur. Non deſunt Auctorum nonnulli, qui conjiciunt, Synodi Patres ſtudioſe hunc Cardinalem ſub ſpecioſo legationis obtentu ſe amandaſſe, eoquod illum valde ſibi in iis quæ contra Sedis Apoſtolicæ auctoritatem moliebantur, adverſari intelligerent.

§. XCV.

Seſſio decima nona Baſileenſis Synodi.

Labbe Conc. to. 12. p. 541.

Interea temporis, cum Papa Eugenius Florentiæ verſaretur, ſeptima die Septembris, quæ erat feria tertia, habita eſt Seſſio decima nona, in qua complura maximi momenti negotia pertractata fuere, veluti unio Græcorum cum Latinis, Bohemorum reconciliatio, & Judæorum converſio. Priusquam vero de ſingulis iſtis differere ordiamur, ut perfectam de unione Græcorum notitiam aſſe-

quæ-

quamur, rem ex altioribus nonnihil principiis deducere aggredimur, sequentes vestigia Augustini Patricii Senensis Canonici, qui totum negotium memoriæ proditum reliquit, & ingenti solertia, sinceriſſimo veritatis studio, necnon perspicuo ac fluido sermone descripsit. Sæcul. XV. A.C. 1434.

§. XCVI.

Tractatus Synodi cum Græcis.

Itaque præfatus Auctor testatur, jam-jam a Martino V Papa agi cæptum de unione Græcorum, ac mutuo utrinque consensu stabilitum, ut Imperator, & Patriarcha Constantinopolitanus cum Patriarcha Armenorum, Imperatore Trapezuntino, aliisque Prælatis ac Ecclesiæ Orientalis Principum Legatis ad generale Concilium intra Italiæ fines celebrandum venirent, Martino autem e vivis sublato, ejusmodi tractatum ab Eugenio ejus successore instauratum esse: Inde Pontificatus ejus initio Græcorum Legatos Romam veniſſe, ac post multas disceptationes tandem inter eos conventum, ut a Sede Apostolica Legati, unacum certo Doctorum numero in Orientem mitterentur, qui Orientales ad Concilium Constantinopolim vocarent, ibique Apostolicæ Sedis nomine de unione tractarent. Interea vero Græcos mentem mutasse, post- *Conc. gener. tom. 12. p. 1527.*

Sæcul. XV. A. C. 1434.

quam a Basileensibus admonerentur, u potius Legatos suos Basileam decern rent, idque Græcos etiam feciſſe, Joann Palæologo tum temporis ſummam Impe rii apud Græcos moderante.

§. XCVII.

Græcorum Legati ad Synodum miſſi.

Ceterum Eugenius Papa, cum adhu dum Basileense Concilium diſſolve meditaretur, Legatum ſuum, qui de unio ne Eccleſiæ ageret, Conſtantinopoli quantocius mittere Græcis pollicitus e Verum Basileenſes Patres, qui unice qua vis Pontificis conſilia evertere conaba tur, Eugenium præveniunt, & primi n mine Concilii ad eandem urbem ſuos de cernunt Oratores, Imperatorem cum Pa triarcha ad unionis negotium cum ipſi pertractandum invitaturos, eoquod ip in legitima Synodo congregati totam Ec cleſiam Occidentalem repræſentaren quam tamen prærogativam Legati Pon tificis Conſtantinopoli præſeferre nequi rent; inſuper Græcis ſuggerunt, ſe ſolos plurimorum Principum, & præcipue Im peratoris Sigismundi potentia ac patroci nio ſuffultos eſſe, proin longe amplius ſibi auxilium ab ipſis ſperandum, quam ab

Euge-

Eugenio Papa, cujus res peſſimo loco ſi- Sæcul. XV.
tæ eſſent (*). A. C. 1434.

Imperator Palæologus hiſce Baſileenſium rationibus expugnatus, ſolemnem Legationem ad Synodum decernit. Horum præcipui erant Demetrius Palæologus, Imperatori Sanguine junctus, Protoveſtiarius, Iſidorus Abbas monaſterii S. Demetrii, unacum Joanne Dyſypato, id eſt, bis Conſule, & Imperialis Aulæ miniſtro. Oratores iſti diverſos cum Synodi delegatis congreſſus habebant, ac primo quidem conſultationem de loco, quo utriusque Eccleſiæ Synodus celebranda eſſet, diuturna tenuit contentio Græcis itentidem Conſtantinopoli, Baſileenſibus vero delegatis Baſileæ Synodum celebrari petentibus. Demum primo æſtu ultro citroque deferveſcente prout quandoque pro bono pacis evenire expedit, de ſequentibus articulis mutuo conveniunt.

§. XCVIII.

Pactionis capita cum Græcis.

I. Concilium celebretur in Occidente
II. Legati ſincere nihil non agan

(*) *Egregium ſane Baſileenſium arrogantiæ, ambitionisque exemplum.*

Secul. XV. A.C. 1434

ut Imperatori & Patriarchæ persuadeant, Synodum Basileæ celebrandam esse, ubi jam Ecclesia Occidentalis congregata subsisteret; alioquin seligatur Ancona, vel alia urbs maritima, Bononia, Mediolanum, aut alia civitas intra Italiam, vel Sabaudiam sita, (Pedemontium indicare voluisse videntur, nam Græci Alpes transire constanter renuebant) si vero extra Italiam quædam præplaceret civitas, foret Buda in Hungaria, aut Vienna in Austria. III. Basileenses post unum mensem a concluſa loci designatione accedant ad urbem ab eis electam; quam peturus quoque esset ipsemet Imperator, una cum Patriarchis, Metropolitanis, Episcopis, ac eorum, qui commode venire non possent, Deputatis. IV. Ipsa Synodus ministret sumptus pro itinere, mora, & reditu Imperatori, Patriarchis, eorumque sequacibus necessarios usque ad numerum septingentarum Personarum. V. Basileenses mittant octo millia ducatorum pro cogenda Constantinopoli congregatione totius Cleri Græci, in qua Delegatos ad Synodum mittendos eligere oporteret. Item decem millia ducatorum unacum trecentorum armatorum manu, ac nonnullarum triremium præsidio subministrent ad defensionem urbis in absentia Imperatoris, cui, necnon Patriarchis, atque Græcorum Episcopis ubique iidem exhi-

exhibeantur honores, qui ante ſchiſma eis fuiſſent delati, ſalvis tamen privilegiis, & juribus ſummi Pontificis, Romanæ Eccleſiæ, atque Romanorum Imperatoris. Sæcul. XV. A. C. 1434.

§. XCIX.

Græcorum Legati ad Synodum admiſſi; eorum pacta confirmata.

Hæc ita utrinque conventa Concilium ſolemni ritu approbavit confirmavitque in Seſſione decima nona die ſeptima Septembris celebrata, in qua Græcorum Oratores cum ingenti honore excepti, Domini ſui Imperatoris mandatum obtulerunt, quo Monarcha iſte omnia, & ſingula utrinque concludenda ſe rata habiturum ſpopondit, pariter exhibuerunt Joſephi Patriarchæ Literas, in quibus ob ſincerum Baſileenſium Patrum deſiderium, atque utriusque Eccleſiæ unionis ac pacis ſtudium ſumma animi lætitia ſe affectum teſtatur. Græci, ut articulis mox inter ſe concluſis majus robur accederet, eosdem a ſummo Pontifice confirmari poſtulant. Ergo Patres Simonem Freiron Canonicum Aurelianenſem ad Eugenium ablegant, rogantes, ut & ipſe Synodi confirmationem ſua quoque auctoritate roborare dignaretur. Auguſtinus Patritius narrat, Eugenium, eoquod *Labbe Conc. to. 12. p. 541. tom. 13. in actis Patric.*

Sæcul. XV. A. C. 1434.

Patres inconsulto Pontifice cuncta ista pertractare attentassent, non parum commotum, ne tamen Basileensem Synodum turbaret, conventa confirmasse, quamvis priorem sententiam de mittendis suis Constantinopolim Legatis magis commodam, utilioremque judicasset.

§. C.

Decretum Synodi de Judæis.

Labbe Conc. to. 12. p. 547.

Præterea in eadem decima nona Sessione decretum est, ut ad Judæorum, & Infidelium conversionem efficacius procurandam, illi omnino ad audiendam Veri Dei prædicationem compellerentur; atque, ut tam salutare consilium eo promptiorem fortiretur effectum, Synodus omnes locorum Ordinarios adhortatur, ut quosdam in S. Literis probe eruditos mitterent ad terras, in quibus Judæi, aut alii infideles degunt; ac ne tanti muneris idonei deficerent Ministri, exacte Constitutionem observari præcipit, quæ in Concilio Viennensi de necessitate Orientales linquas docendi condita fuit; quapropter duos linquarum Hebraicæ, Arabicæ, Græcæ & Chaldææ Professores in Academiis institui decernit. Innovata quoque sunt priora omnia decreta de conversione eorumdem Judæorum edita, quibus Christiani ab illorum consortio abstinere

nere jubentur, librosque Ecclesiasticos, ca- Sæcul. XV.
lices, Cruces, aut alia Ecclesiæ ornamen- A. C. 1434.
ta eisdem vendere, aut pignori dare prohibentur. Sancitum insuper, quod Judæi habitum, per quem a Christianis palam discerni valerent, deferre, ac quantum fieri posset, in ædibus separatis habitare cogantur: Si qui vero fidem Catholicam amplecti cuperent, bona etiam ex fœnore acquisita retinere valerent, dummodo de illis, quibus de jure restitutio fieri deberet, haud amplius constet. Demum Synodus impense hortatur Christianos atque Catholicos, ut Judæorum errores detestantibus liberali manu opitularentur, nullatenus vero mortuos Judæorum ritu sepelirent. Verbo, Patres nihil omnino intermiserunt, quod ad instructionem, & sublevandam Neophytorum inopiam conducere posset, simulque hoc decretum, ne quisquam ejus ignorantiam obtenderet, semel in anno per singulas Ecclesias promulgari præceperunt.

§. CI.

Bohemorum res.

In Bohemia Mainardus Baro de Neuhaus *Cochl. hist.*
Patriam suam sub duro Procopii Rasi *Hussit. l. 8.*
jugo gementem liberare, ac gravissimis inde pullulantibus malis eripere vehementer cupiebat; hinc clandestinis arti-

Sæcul. XV. A. C. 1434.

bus vires suas augere constituit; tandem conceptum animi sui propositum Synodi Delegatis aperuit, qui & promptum eidem auxilium promisere. Ergo Mainardus hac spe fretus, opus aggreditur; nihilominus, cum complures Bohemiæ proceres nobilitate sibi superiores nosset, horum invidiam amoliturus, summæ rerum præesse renuit. Inter cæteros tamen genere clarissimus eminebat quidam, nomine Wisenburg (*) veteris admodum prosapiæ, sed tenuis valde fortunæ vir, quem Mainardus per plures annos liberali manu adjuvit, ac propterea ad quævis obsequia pronum habuit. Hunc igitur Mainardus selegit, gentisque Ducem declaravit, & quamvis præter solam promptam ac fidelissimam obsequendi voluntatem nulla bellandi virtute præstaret, nihilominus eidem Belliducis (Capitaneum vocare) nomen asseruit, ipse vero imperii auctoritatem penes se retinuit.

Vid. supr. §. 64.

Naucler. gener. 48. *p.* 452.

§. CII.

Dissidia inter Pragæ novæ & veteris Præfectos.

Omnibus hisce provide adeo dispositis May

(*) *Æneas Sylvius, & alii vocant illum Wisenburg.*

Maynardus primo civitatem Pilsenam ad excutiendum Hussitarum imperium induxit. His cognitis Thaboritæ & Orphani illico ad arma convolant, urbem recuperaturi (*). Procopius magnus cum alio quodam Procopio (quem parvum nominabant) junctis copiis urbem cingit. Ast ambo obsidionem, quam arctissime urgebant, solvere coguntur, exortis Rochisanam inter & Lupum dissidiis, quorum primus Thaboritarum Dux antiquæ Pragæ imperabat, alter vero Orphanorum Præfectus illi ejusdem urbis parti, quæ nova Praga appellatur, præerat. Horum jurgia ex mutua æmulatione progenita, brevi tam ampla sumpserunt incrementa, ut munimentis utrinque erectis una pars Pragensis urbis alteram oppugnare cœperit. Sæcul. XV. A. C. 1434.

§. CIII.

Utraque Praga a Catholicis capta.

Comperto hoc tumultu, Mainardus ea occasione opportune usurus, collecta militum manu Pragam veterem invadit, Thaboritas jam antea ab Orphanis multum

(*) *Idem observat, hanc urbem nunquam in Hæreticorum manus pervenisse, nec a fide defeciſſe.*

Sæcul. XV. A.C. 1434.

tum attritos ingenti clade afficit urbemque victricibus armis expugnat. Ambo Procopii funesto hoc nuntio conterriti confestim Pilsenæ urbis obsidionem solvunt, dum vero Maynardum eodem tempore novam quoque Pragam vi occupasse intelligunt, rebus suis ultimum excidium imminere cognoscunt. Nihilominus extrema tentare statuunt, ut Pragam novam, priusquam ejus munimenta a Catholicis repararentur, recuperare possent. Deferebantur quidem eisdem concordiæ leges, ast respondent illi, se absque nominis sui ignominia pacem inire haud posse, nisi prius a Catholicis Praga restitueretur, & præsidiarii milites unacum commeatu in Pilsenam urbem non ita pridem invecto abducerentur.

§. CIV.

Bohemorum clades, & utriusque Procopii cædes.

Naucl. gen. 48. 453. *In append* 1. *Conc. Basil. art.* 108. *& seq. tom.* 2. *Conc. Labb.*

Utraque hæc conditio tam insolens, tamque indigna videbatur Catholicis, ulterioris moræ impatientes confestim cum Hussitis congredi postularent. Maynardus suorum ardore utendum ratus Hussitarum copias in castris suis fossa & aggere cinctas aggreditur, eorum munitiones vi occupat, totumque exercitum terrore turbatum fugat. Quartam jam omni-

omnino horam ea pugna tenuit, in qua Procopius major tanto furore dimicabat, ut non una vice nil propius esse videretur, quam ut hostium impetus Catholicis palmam e manibus extorqueret; Tandem vero ille hasta in incertum vibrata transfossus periit; ubi Hussitarum copiæ Ducis sui casu conterritæ animum desponderunt. Pari fato alter Procopius, quem parvum appellabant, capite in duas partes dissecto occubuit, quo sublato Coapcho, qui secundum a Procopio imperii locum tenebat, cum residua Equitatus parte Colnitium sese recepit. Reportata est inclyta hæc victoria die Dominica infra Octavam Festi Corporis Domini, & cum in prospero hoc belli eventu omnium utilitas verteretur, de illo protinus Synodi Patres, Sigismundus, ceterique fideles edocti fuere. Sæcul. XV. A.C.1434.

Mainardus hujus victoriæ auspiciis fretus, fugientes insequi parum sollicitus totus in hostilium castrorum expugnationem incubuit, omnesque, quotquot Christianorum gladios effugerant, Victoris arbitrio se dedere compulit. Post hæc victrices copiæ conveniunt, de captivorum sorte deliberaturæ, cumque plurimorum sententia eo abiret, ut data vitæ venia ad suos redire permitterentur, Mainardus in præsenti rerum articulo intempestivam esse clementiam ostendit, eoquod potissi-

Sæcul XV. A.C.1434.

potissima devictorum pars in Hussitarum campis nata, in armis enutrita, nec aliam quam bellandi artem edocta, omnem ætatem in castris transegisset pessimam ergo ejusmodi gentem omnino delendam esse; apertissimum quippe Bohemiæ Regno imminere periculum, si tot homines rei militaris periti obtenta vitæ venia dimitterentur, nec unquam publicæ tranquilitati cautum fore, quamdiu intra regni fines tutum concederetur receptaculum plusquam viginti millibus armatorum, furtis, rapinis, & cædibus assuetorum, timendum quoque, ne, si conjuncti vivere permittantur, sibi Ducem adoptarent, bellumque redintegrarent. Si vero in pagos & oppida distribuerentur, cives & colonos hæresis labe inficerent eorumque mores corrumperent. Vicit Mainardi sententia, & Catholici ejusdem rationibus moti, Hussitarum pedestres copias funditus delendas esse consentiunt; hanc vero sententiam exequendi negotium reliquerunt Mainardo, quod etiam singulari sagacitate perfecit.

§. CV.

Mainardi artificium in Hussitis penitus exscindendis.

Haud ignorabat Mainardus, inter devictorum copias numerari quamplurimos

mos, qui sola militandi libidine incensi, aut necessitate coacti, Hussitarum signa secuti fuissent; Ad hos igitur utpote innocentes a communi reorum excidio servandos, simulque consilium suum celandum, Mainardus qua arte usus fuerit, percipiamus. Voce præconis in ea castrorum parte, ubi Hussitarum pedites inclusi detinebantur, promulgari jubet: nondum belli finem esse, fugisse Coapchonem, Colnitium cum tota Equitum cohorte intrasse, atque ibidem exercitum restaurare velle. Itaque ad præoccupandas illius machinationes unicum, idque maxime necessarium supereſſe medium, ut rupta omni mora armata manu cingeretur: ad hoc autem consilium fortiter aggrediendum, ac feliciter exequendum, illorum quoque requiri operam, qui in bello sub Ducis Zischæ imperio præclara fortitudinis suæ specimina edidissent: Supremos Regni Ordines, ut luculento comprobarent argumento, quanti eos haberent, decrevisse, singulis eorum ex publico ærario stipendium dare. Ne vero sub tam nobili ac genuina Martis sobole spurii (qui vulgo *milites subdititii* vocantur) irreperent, illi omnes in proxima sese horrea recipiant, rudes vero, bellandique minus peritos sua rura laresque repetere cogant. Sæcul. XV. A.C. 1434.

§. CIV.

Sæcul. XV. A.C. 1434.

§. CVI.

Huſſitæ una omnes in horreis combuſti.

Huſſitæ milites nimium creduli operam ſuam ad debellandum Coapchonem ſtudioſe delectam fuiſſe arbitrabantur. Aſt Mainardus longe alia fovebat conſilia. Cum enim Huſſitæ, militibus ignavis atque imperitis a ſua cohorte abeſſe juſſis, ſibi deſignata ingrederentur horrea atque in eis ingenti annonæ, & vini copia ex compoſito illata liberaliùs ſe reficerent, necnon alto, gravique ſomno oppreſſi jacerent, ſub mediæ noctis auſpiciis Catholicorum militum cohortes, ne quisquam fuga dilaberetur, veritæ horrea circumcingunt, & omni ex parte ignem admovent. Cumque maceriæ potiſſimum ex ligno, & ſtramine conſtructæ eſſent, flamma brevi temporis mora omnia in cineres redegit. Hic fuit interitus copiarum, quæ a Ziſcha conſcriptæ ac bellicis artibus inſtructæ, integro vicennio opulentiſſimas quasque Septentrionis Provincias fæde depopulatæ ſunt. Milites iſti fere omnes proceritate corporis, ac inſolito virium robore præſtantes erant, ad laborem ac aeris injurias tam topere indurati, ut nihil firmam corporis conſtitutionem vincere poſſe videretur, cute

cute adeo dura, ut hæc ferrum quasi lorica repulsura crederetur, aspectu tetro, atque horribili, nam præterquam quod in vultu adustioris essent coloris, incedebant etiam impexo crine, Barba incompte, ac ad horrorem usque promissa, membris hispidis, & Belluarum exuviis induti. Sæcul. XV. A.C.1434.

Sigismundus Imperator, qui tunc Ulmæ degebat, mox de his certior factus, & ipse confestim ad Synodum totam rei seriem perscribit, atque Oratores suos in Bohemiam legat, a quibus in Regem, utpote legitimus Wenceslai Fratris sui hæres proclamaretur. Cumque eodem tempore Delegati, quos Synodus in Bohemiam miserat, omni expectatione citius ab Hussitici militis metu liberati essent, ac proin ingens obstaculum, quod Bohemorum cum Ecclesia Catholica reconciliationem morabatur, submotum cernerent, invicto studio huic negotio insudarunt, & paucas intra septimanas illud cum communi Basileensium Patrum applausu ad optatum finem perduxerunt.

§. CVII.

Deputati a Synodo ad Conventum Ratisbonensem missi.

Igitur Sigismundus Ratisbonam petit, ubi Bohemi eum magno numero con- *Æn. Sylv. Hist. Boh. c. 51.*

Sæcul. XV. A.C. 1434

veniunt, Regemque ſuum ſalutant: Coapcho tamen & Rochiſana unacum Bohemis eo ire recuſantes, ſeorſim venire conſtituebant, de rebus ſuis ſpeciatim acturi. Synodus quoque Legatos, quos in Bohemiam ablegaverat, illuc miſit. Imperator ea edoctus, quæ in unionis negotio hucusque communi omnium ſuffragio decreviſſent, tam Bohemis quam Synodi Legatis haud obſcura gaudii ſui ſigna exhibuit, Bohemos vehementer hortatus, ut concordiæ pacta jurejurando firmata conſtanti fide exequerentur. Refert Spondanus ex manuſcriptis Collegii Navarrici actis, plures Bohemos qui unionis articulis non ita pridem cum ceterorum conſenſu ſtabilitis accederent renuebant, coram ipſo Imperatore cum Synodi Deputatis fervidas de communione ſub utraque ſpecie contentiones ſuſcitaſſe; Hi enim Viri pertinaciſſimi omnino contendebant, compellendos eſſe etiam Catholicos Bohemos, ut & ipſi Euchariſtiam, quantumvis eam non peterent, ſub duplici tamen ſpecie recipere tenerentur, quod tam a Legatis, quam ab ipſo quoque Imperatore fuit eis omnino negatum; imo nequidem eis permiſſum, una cum Catholicis Eccleſiam ingredi & quidam ex ipſis, qui tunc Ratisbonæ e vivis deceſſit, ſepultura Eccleſiaſtica privatus eſt.

Krantz 11. *Wendel.*32. *Cochl. hiſt. Huſſit. l.* 8.

§. CVIII.

Sæcul. XV. A C. 1433.

§. CVIII.

Imperatoris quærimoniæ adversus Synodum.

Eorumdem Actorum fide discimus, Imperatorem coram Legatis adversus Synodum graviter conquestum esse, eo quod illa variis modis auctoritatem ejus spernere non dubitasset; inter ceteras Cæsaris querelas præcipuæ erant, quod, cum ipse in Italia ageret, Synodi Patres ad Ducem Mediolanensem scripsissent pro recuperatione Patrimonii Ecclesiæ, & non ad ipsummet Imperatorem, cum tamen Imperatores, non autem Duces Mediolanenses Ecclesiam bonis istis dotassent, suæque libertati restituissent, ac præterea querebatur, quod, cum esset ipse Basileæ, decrevisset Synodus mittere Cardinalem Cyprium, aliosque ad Papam, & quidem cuncta ista inconsulto Imperatore; Exprobrabat etiam, quod Basileenses plura negotia, causasque ad Synodi forum minime spectantes, tractare præsumerent in præjudicium Imperii, additque, se, cum suæ auctoritati debitam observantiam tribuere neglexissent, propterea recessisse a Concilio: patrocinium tamen suum Patribus ulterius impensurum, imo se ipsum proxime venturum, si Patres reformationi, ceterisque negotiis, quorum causa con-

Sæcul. XV. A. C. 1434

gregati essent, sedulo incumbere vellent. Exstant adhuc aliæ duæ epistolæ die vigesima octava Julii ad Synodum datæ, quibus Sigismundus, qui tum Ulmæ agebat, graviter conquerebatur, quod Basileenses in caussa, quæ inter Saxoniæ Duces circa hunc Ducatum, ejus jura atque onera agitabatur, alienam usurpassent jurisdictionem; Ab altero enim horum Ducum lis ista ad Synodi tribunal deferebatur: Sigismundus vero eam Imperii forum spectare contendebat, quapropter in præfatis literis palam declarat, se contra Patrum sententiam, nisi causam penitus a se amoverent, publice reclamaturum.

§. CIX.

Erici Regis epistola ad Synodum.

Die quinta Julii Ericus Daniæ, Sueciæ, & Norvegiæ Rex pro tuenda regula Ordinis S. Salvatoris a S. Birgitta instituti ad Synodum perscripsit; cumque ea de re itidem Archiepiscopi, ac præfatorum Regnorum Episcopi literas dedissent, eædem in quadam particulari Congregatione anno sequenti die vigesima sexta Martii habita recitabantur.

§. CX.

Sæcul. XV. A.C.1434.

§. CX.

Tumultus in Sueciæ Regno.

Sub idem tempus Erici regna graviſſimis agitabantur tumultibus, præcipue vero Suecia, quam inhumana Præfectorum avaritia immodicis ſubſidiis ac vectigalibus dire divexabat, conſentiente tamen ipſo Rege, qui bellorum, quæ diu in Germania geſſit, ingentes ſumptus ac damna ejusmodi exactionibus reparare conabatur, neglectis Nobilium ac populi precibus. Concitavit oppreſſio hæc animos, atque ad communem ferme ſeditionem accendit, cujus Princeps erat quidam Nobilis non adeo inclyto genere oriundus, Engelbertus nomine, qui tamen rem adeo feliciter geſſit, ut totam pene Sueciam, pulſis Danis, qui rerum ſummæ præerant, libertati reſtitueret. Nihilominus hic idem biennio poſt trucidatus occubuit. *Krantz. 8. Dan. 18. & ſeq.*

§. CXI.

Amadæus VIII. Sabaudiæ Dux Eremita.

Eodem anno Amadæus VIII. Sabaudiæ Dux ſanctioris vitæ ſtudio Eremitam induit. Hic fluxam hujus ſæculi pompam abjecturus, Ducatus ſui Regimen *Amad. Pacif. num. 8.*

Sæcul. XV. A.C. 1434. Ludovico, & Philippo filiis ſuis ceſſit eisque ſex Proceres ætate graves, rerumque experientia claros a conſiliis dedit. Ipſe vero talari penula e panno rudiori indutus, lato cingulo, ac baculo retorto multisque nodis aſpero, promiſſa barba, & capillis intonſis, ac impexis, ſeptima Novembris die in locum Ripalliæ, qui Prioratus erat, prope lacum Lemanum ſeceſſit, ibidemque Ordinem militarem S. Mauritii erexit. Dux iſte, Amadæo VII. Patre ſuo Anno Chriſti milleſimo trecenteſimo nonageſimo primo e vivis erepto, nonniſi octavum agebat annum, ſoluto vero minoris ætatis impedimento, tanta probitatis ac prudentiæ fama imperii ſui ſummam moderabatur, ut merito glorioſum *Pacifici* nomen adeptus eſſet. Sabaudiam in Ducatum Anno milleſimo quadringenteſimo decimo ſexto erigi curavit. Ceterum Princeps erat animi celſitudine clarus, juſtitiæ vindex, qui, cum vicinorum ſuorum regna bellorum flammæ vix non abſumerent, in ditionibus ſuis amicæ pacis proſperitatem aſſidue coluit, quapropter ſui ævi Salomon audiebat, & non raro a pluribus, maximisque Principibus in rebus arduis arbiter ſelectus eſt.

§. XCII.

Sæcul. XV.
A.C. 1434.

§. XCII.

Jagellonis Regis Poloniæ obitus.

Fatis ceſſit Wladislaus Jagello Poloniæ Rex anno ætatis ſuæ octogeſimo, regni vero quadrageſimo nono. Fuit Dei cultu ac Religionis ſtudio celebris, erga pauperes tanta liberalitate inſignis, ut ad prodigalitatis exceſſum degeneraſſe videretur; hinc ejus largitatem aliquando Martinus V. Papa paterna objurgatione cohibuit. Fertur tota vita vini abſtemius nonniſi frigidam potaſſe, ac dies jejunii ſolo pane, & quibusdam oleribus tranſegiſſe. Nec tamen ſuis caruit nævis, quos ipſi Sbigneus Epiſcopus Cracovienſis exprobravit. Ceterum ſucceſſor Jagelloni datus eſt Wladislaus Filius natu major, ſuperatis quorumdam Regnum ambientium machinationibus, qui ſub obtentu minoris ejus ætatis ſeſe oppoſuerant. Die vigeſima quinta Julii S. Jacobo ſacra coronatus eſt ab Archiepiſcopo Gneſnenſi, cumque illius Optimates negotia, regnique ſtatus rite componere omni ſtudio laborarent, eorum curis optatus reſpondit ſucceſſus.

Michov. l. 4. c. 48.
Cromer. l. 20.

Sæcul. XV. A. C. 1434.

§. XCIII.

Mors Ludovici Andegavensis, & Joannæ Neapolis Reginæ.

Obiit itidem hoc anno die decimo quinto Novembris in Calabria apud Cosentiam, nullis omnino post se relictis prolibus, Ludovicus Andegavensis, filius adoptivus Joannæ Siciliæ ac Neapolis Reginæ, cujus fata ingens omnium subditorum luctus excepit; eoquod totum Regnum magnam de ejus prudentia, & fortitudine spem concepisset; ipsa quoque Regina sero nimis præclaras hujus Ducis dotes agnoscens, summam ingratitudinem, qua illi mortem accersiverat, fusis lacrimis damnavit. Cujus propterea corpus nequaquam extra regnum deferri permisit, ac Nobiles de Andegavia ægre admodum ab illa impetrare poterant, ut illis cor ejus secum Andegavum transferre liceret, ad Majorum suorum sepulchra deponendum. Ipsa vero Regina haud diu Ludovico superstes vixit, nam teste Mezerajo, tribus post mensibus eandem viam ingressa, regni sui hæredem nuncupavit Renatum Ludovici Fratrem, quem tunc Philippus Burgundiæ Dux captivum tenuit. Harum rerum vicissitudines in spem haud exiguam Alphonsum Arragonum Regem erigebant.

Vid. infr. §. CXXVI.

gebant, ac Regno Neapolis potiundi, nec- Sæcul. XV.
non priſtinæ adoptionis jura reſuſcitan- A. C. 1434.
di conſiliis favebant: Ceterum Joannæ mors primarium ſtipitis Andegavenſis ſtirpem ſuccidit, ex qua plures alii prodiere ſurculi, qui Hungariæ, ac Poloniæ regna adminiſtraverant, & in quibus generis hujus poſteritas per bina propemodum ſæcula claruit.

§. CXIV.

Epiſtola Joannis Comneni ad Papam.

Priusquam hujus anni curriculum ab- *Labbe Conc. to. 12. p. 1011*
ſolvimus, recenſenda eſt Epiſtola die decima octava Octobris a Joanne Comneno Trapezuntino Imperatore ad Eugenium data, in qua de vexationibus ac calamitatibus Pontifici illatis ſummopere dolet. Imperatorem hac Epiſtola ad binas Pontificis literas, quarum una Florentiis, altera Romæ ſcripta fuit, reſpondiſſe conjicimus. *In collect. Conc. Baſil. art. 119.*

§. CXV.

Eugenius Papa a Jordano de Brice vindicatus.

Sub idem tempus Jordanus de Brice Jurisconſultus, Conſiſtorii Advocatus, & ſupremus Provinciæ Judex, ſollicitan-

Sæcul. XV. A.C. 1434.

te Cardinale de Fuxo, pro asserenda E genii IV. electione apologiam edidit, cujus illam vindicare statuit a calumni quibus Cardinalis Dominicus Capran ca, nomine a loco Ecclesiæ quam reg bat, mutuato, Firmanus dictus Ponti cem petiit, ac Eugenii electionem adsum mum Pontificatus apicem nullam, v saltem dubiam esse contendit, eoquod ipse cum ceteris Cardinalibus huic electi ni interesse permissus non fuisset.

§. CXVI.

Dominicus Capranica Cardinalis.

Addit. ad Ciacon. in Martin. V.

Die vigesima quarta Maji Anno sup millesimum quadringentesimo vig simo quarto a Martino V. Pontifice C dinalis creatus est, unacum aliis tribu nempe Ilerdensi Episcopo, Prospero C lumna, & Juliano Cæsarino; verum illius nominatio nonnisi post obitum Martini V. id est, elapso integro sexennio promulg batur, nec ipse antea ullis dignitatis sua insignibus uti permittebatur. Capran ca comperto Martini Pontificis obitu R mæ appropinquans, quosdam sibi amico præmisit, petituros, ut sibi quoque Con clave cum ceteris ingredi liceret, cum jus sibi ac titulum tribueret nominatio suæ diploma a Cardinalibus subscriptum vi cujus Cardinales in secreto Patrum Sena-

Comment. Pii II. lib. I.

Antonin. tit. 22. c. 16. in fin.

Senatu pronuntiati, si Martinum, antequam eorum nominatio publicata fuisset, mori contingeret, illico post ejus mortem promulgandi ad Conclave vocarentur. Verum licet Purpuratorum Collegium huic decreto subscripsisset, illudque observare jurasset, potior tamen eorum pars gravate admodum Capranicam ad Conclave admittebat, quinimo iidem ipsi, quibus postulati sui æquitas satis probata erat, eidem auctores fuere, ut in præsentibus rerum circumstantiis juri suo supersederet, eo facilius alio tempore, quæ peteret, obtenturus. Cessit Capranica horum consilio, quieta mente futuram novi Pontificis electionem præstolaturus. Vix Eugenium ad suprema Ecclesiæ gubernacula ceterorum Cardinalium suffragio vocatum intellexerat, cum quantocius ad illum quosdam sibi familiares misit, tantum honoris gradum eidem gratulaturus, simulque petiturus, ut sibi cum solitis Cardinalitiæ dignitatis insignibus, quibus a Martino V., decoratus fuisset, Romam ingredi liceret. Verum Neo-electus Pontifex, quorumdam Cardinalium Martino Papæ infensorum instigationibus faciliores accommodabat aures; tantumque abfuit, ut Capranicam votis damnaret, quin econtra illum custodiæ dari meditaretur, cunctosque tam Patrimonii, quam beneficii sui fructus,

Sæcul. XV. A.C. 1434.

Dupin. in Biblioth. Script. XV. Sæcul. tom. XII. in 4to.

Baluz. Misc. l. 3. p. 272. & seq.

Sæcul. XV. A C. 1434.

ctus, atque proventus occupari jubere Hinc Dominicus fuga ſibi conſulere, integro bimeſtri & amplius latebras qu rere compellitur. Interea tamen n deerant, qui Eugenio inſinuarent, qu ſi Capranica enormis adeo criminis re ac tanta pœna dignus foret, potius præſcripto juris conveniendus eſſet. H permotus Pontifex quosdam Cardin les, qui accuſationis capita cognoſcere deſtinavit; Ergo Capranica coram il in judicium vocatur, hic vero compare renuens, ad Baſileenſem Synodum a pellat, & ipſus præſens totam rei ſu mam non minus facundo, quam diſer cto ſermone adeo feliciter exponit, Viri ſinceritas, & juſtitia cauſſæ om bus conſtaret. Quapropter Synodus eu legitimum Cardinalem eſſe declaravit, que galero, ac ceteris dignitatis ſuæ orn mentis uti conceſſit. Hanc Conci ſententiam Capranicæ inimici ægre a modum tulerunt. Aſt cum vires ſu reſiſtendo impares eſſe probe cognoſc rent, tandem & ipſi ceſſerunt; Leg tamen Eugenii, honori Pontificis Dom ni ſui quadantenus conſulturi, Capra cam, ut purpuram nonniſi e manibus P pæ aſſumeret, rogarunt, eique, ut illa ab Eugenio reciperet, Florentias ire pe ſuaſerunt, illum omni honorum gene ibidem excipiendum ſpondentes. C

pranic

pranica eorum verbis fidem habuit, & non multo post Florentias petiit, ubi sane non modo præclaris benevolentiæ signis ab Eugenio exceptus, sed etiam Cardinalitio galero auctus est. Sæcul. XV. A.C.1433.

Nonnulli illo tempore, quo Capranica Basileæ cum Patribus Synodi agebat, electionem Eugenii IV. impugnare, eamque nullam, aut saltem dubiam proclamare attentarunt, veri speciem emendicantes ex repulsa, qua Cardinales Capranicam in conclave admittere recusarunt. Quapropter Cardinalis de Fuxo impense Eugenio Pontifici addictus, negotium dedit Jordano de Brize Jurisconsulto, ut hujus Papæ electionem ab obtrectantium calumniis vindicaret, quod etiam præstitit, & ejus lucubratio quasi quamdam exhibet consultationem, quam Canonistarum more datis responsis dilucidat, & tria hæc puncta diffuso satis calamo firmare conatur. I. Decretum Martini V., quo quatuor Cardinales, ac inter eos Capranica secreto nominabantur, nullum, scandalosum pessimi exempli, ac Ecclesiæ pernicioſum esse probatur. II. Pariter irritus est nec obligat consensus Cardinalium, quo præfato decreto adstipulati sunt. III. Quantumvis hoc decretum validum diceretur, nec tamen inde valori electionis Eugenii IV. derogatur, multo minus illa propterea irrita est, quod

Capra-

Sæcul. XV. A.C. 1434. Capranica excluſus fuerit. Hæc Jordani Brizei apologia die decima tertia Auguſti Anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo trigeſimo tertio Aquis ſextiis in Provincia in lucem prodiit.

§. CXVII.

Conventio Synodi cum Græcis continuata.

Sub idem tempus ſtrenue inſudatum est perficiendo Græcorum unionis negotio. Attamen ſynodales Legati, ubi Conſtantinopolim veniunt, non ſine ſpore Patriarcham ultramarini itineris moleſtias ſubire minus propenſum intelligunt, ac paulo poſt Delegati, quos Græci ad Eugenium Papam miſerant, in Orientem revertuntur, comitante eos Chriſtophero de Corona, alias Garatono, qui quidem pactis in Baſileenſi Synodo conventis ſpecietenus adſtipulari, re tamen ipſa ex ſecreti mandati præſcripto illis adverſari jubebatur. Hinc arcana ſua executurus juſſa, Synodi Baſileenſis Patres nec ſibi invicem, nec Pontifici concordes eſſe divulgabat; Nihilominus Imperator cum ipſis Concilii deputatis quædam capitula erigere ſtatuit, quibus etiam Patriarcham, ut accederet, induxit. Nominabantur quoque Viri, quibus, ut hæc pacta perficerent, injunctum, quin-

mo

mo ipsum etiam Concilium in hanc rem condidit decretum, quod in Orientem misit: Ast dum Græci in eo sequentia legerent verba: *Synodi Patres abolita nova Bohemorum hæresi, antiquam quoque Græcorum hæresin extirpare cupientes &c.* (*) Vox ista adeo vehementer Orientalium offendit aures, ut, nisi prius hæc verba corrigerentur, nil ultra sibi proponi permitterent. Quapropter synodales delegati novum decretum condi pollicentur, ac de illius forma deliberant. Præterea postularunt Græci, ut summus Pontifex huic Concilio non modo per Legatos, sed per se ipsum interesset, securitatis vero literas integra fide concederet, scriptoque promitteret, quod Græci Synodi expensis, sive unio sequatur, sive non, in patriam reducerentur. Posthæc horum synodalium Deputatorum unus Basileam mittitur, qui ad Synodum Decreti ab eis emendati tenorem deferret, & græcorum postulata ratihaberi peteret.

Sæcul. XV. A.C. 1435.

§. CXVIII.

(*) In appendice Conc. Basil. p. 176. edit. Colon. hæc verba ita leguntur: *Quamobrem hujus sanctæ Synodi ab initio suæ congregationis præcipua cura fuit, recens illud Bohemorum, antiquumque Græcorum dissidium prorsus extinguere.*

Sæcul. XV. A.C. 1435.

§. CXVIII.

Sessio vigesima Basileensis Synodi.

Labbe Conc. to. 12. p. 549.

Cunctis istis interea in Oriente agitati Patres serio reformandæ Ecclesiæ i capite & membris Basileæ incumbu atque ideo die Sabbati vigesima tertia j nuarii hoc anno Sessionem vigesim tertiam celebrantes, potissima sua studi ad eliminandos, qui hucusque in Ecc siam irrepserant, nonnullos abusus in pendunt, atque ea de re quatuor decr ta condunt.

§. CXIX.

Decretum primum contra concub narios.

Patres primo suo decreto adversus p blicos concubinarios statuunt, I. *Qu cunque per duos menses post publicationem hujus Constitutionis in Ecclesiis cathedr libus factam, fuerit publicus concubinari a perceptione fructuum suorum benefici rum trium mensium spatio sit suspensus, qu suus Superior* (non sibi suoque privato usui applicandos) *in fabricam vel aliam videntem Ecclesiarum utilitatem convert* II. *Si a suo Superiore Concubinam dimi tere monitus, eam non dimiserit, jubet ha sancta Synodus, ut ipsum suis omnibus be*

nefici

Sæcul. XV. A.C.1435.

neficiis omnino privet, & usquequo cum eis per suos Superiores post ipsarum concubinarum dimissionem, manifestamque vitæ emendationem fuerit dispensatum, ad susceptionem quorumcunque locorum ac beneficiorum sint inhabiles. III. *Si post dispensationem recidivo vomitu ad hujusmodi publicum concubinatum redierint, sine spe alicujus dispensationis ad prædicta prorsus inhabiles existant.* Postea vero Synodus declarat, quod Concubinarii *publici non solummodo intelligendi sint illi, quorum concubinatus per sententiam, aut confessionem in jure factam, seu per rei evidentiam, quæ nulla tergiversatione celari possit, notorius est, sed etiam qui mulierem de incontinentia suspectam, & infamatam tenet, & per suum Superiorem monitus ipsam cum effectu non dimittit,* Præterea præcipiunt Patres, ut præsens decretum tanquam inviolabilis norma ad omnes Christiani Orbis Provincias mitteretur. *Si vero hi, ad quos talium correctio pertinet, eos in Conciliis Provincialibus, aut synodalibus punire neglexerint, ipsimet per suspensionem vel alia condigna pœna severiter castigentur.* Ut autem tanto malo efficaciori provideatur remedio, Synodus adhortatur Episcopos, *ut ipsas concubinas aut mulieres suspectas omnibus modis curent a suis subditis, etiam per brachii sæcularis auxilium (si opus fuerit) penitus arcere, qui etiam ex*

Sæcul. XV. A. C. 1435.

tali concubinatu procreatos filios apud Patres suos cohabitare non permittant.

Cum vero criminis licentia latius serperet, eoquod quidam Clerici, etiam Jurisdictione Ecclesiastica præditi non modo concubinarios coercere negligerent, sed etiam pecuniarios ab eis quæstus percipere non erubescerent, illosque in tanta fæditate sordescere permitterent, ideo ad tollendos hosce abusus Synodus ejusmodi Clericis sub pœna excommunicationis, ac *maledictionis æternæ præcipit, ne deinceps sub pacto, compositione, aut spe alicujus quæstus talia quovis modo tolerent, aut dissimulent.*

§. CXX.

Decretum II. de excommunicatis.

Labb. Conc. to. 12. p. 551.

Alterum Decretum, ut conscientiis timoratis, atque anxiis consuleretur, declarat, quinam excommunicati vitandi, & a quorum communione in Sacramentorum usu abstinendum. Ipsius Decreti tenorem exhibemus: *Ad vitandum scandala, & multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis statuit, quod nemo deinceps a communione alicujus in sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscunque divinis vel extra, prætextu cujuscunque sententiæ aut censuræ Ecclesiasticæ ab homine, vel a jure generaliter pro-*

promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, niſi cenſura hujusmodi fuerit in vel contra Perſonam a judice publicata vel denuntiata ſpecialiter aut expreſſe: Per hoc tamen, ſubjungit Synodus, *hujusmodi excommunicatos, ſuſpenſos ſeu interdictos non intendimus in aliquo relevare, nec eis quomodolibet ſuffragari.*

Sæcul. XV. A.C.1435.

§. CXXI.

Decretum III. de interdictis.

Et quoniam ex indiſcreta interdictorum, aliarumque cenſurarum promulgatione plurima evenerunt ſcandala, ad illa impoſterum cavenda Patres in hoc tertio Decreto ſanxerunt, quod *nulla civitas Eccleſiaſtico ſupponi poſſit interdicto, niſi ex culpa talis civitatis ſeu Rectorum illius, quæ tamen propter culpam cujuscunque alterius privatæ perſonæ interdici nequaquam poſſit auctoritate quacunque ordinaria vel delegata, niſi talis Perſona prius fuerit excommunicata, ac denuntiata publice in Eccleſia, ac rectores civitatis auctoritate Judicis requiſiti, hujusmodi excommunicatum infra biduum inde non ejecerint*; ſi vero ejusmodi Perſona re ipſa fuerit ejecta, aut ad debite ſatisfaciendum compulſa, mox divina transacto dicto biduo reſumantur.

Sæcul. XV. A.C. 1435.

§. CXXII.

Decretum IV. de Appellantibus.

Tandem Synodus in quarto Decreto frivolas appellationes, unice ad protelandam litem institutas exulare jubet, statuens, quod ante decisivam, ac propri judicis definitivam sententiam ad alium appellare non liceat; si vero ante definitivam quisquam appellaverit, *ultra condemnationem expensarum, damnorum, & interesse, in quindecim florenis auri de camera parti appellatæ per appellationis judicem condemnetur.* Hæc sunt, quæ in hac Sessione salubriter statuta fuere.

§. CXXIII.

Novi tractatus cum Bohemis.

Spond. ad an. 1435. n. 2.

Synodus hortatu Imperatoris Legatos in Bohemiam decreverat, qui si fieri posset, integræ Bohemorum conversioni operam navarent. Hi igitur Deputati tandem Bohemiam ingressi, Mense Junio ac Julio Brunæ præsente Imperatore sæpius conveniunt; Rochisana etiam ceterorum Bohemorum nomine articulis in instrumento, quod *compactata* vocabant, contentis stare pollicetur. Cum vero eorum nonnulli deessent articuli, quos oppido necessarios judicabant, hos quo-

que

que Bohemi concordiæ libello inferere, ac Basileam mittere decernunt. Nihilominus ob leviſſimam, quæ repente exorta eſt, difficultatem totum unionis negotium abruptum fuit. Petebant enim Synodales delegati hæc verba adjici: *Bona Eccleſiæ absque ſacrilegii reatu ab aliis uſurpari non poſſe*, Bohemi econtra acriter obluctabantur, ne per hanc clauſulam ſe ſacrilegos fuiſſe, confiteri viderentur. Ad tollendum hoc dubium, viſum eſt Imperatori, ut quidam ex Legatis Basileam redirent ad explorandam Concilii mentem, reliquis interim Viennæ in Auſtria expectantibus, ne Bohemorum converſionis negotium omnino derelictum, a vulgo crederetur. Ergo Polemarus mittitur, cumque redux hanc clauſulam Bohemis exoſam, a Synodo deletam fuiſſe retuliſſet, apud Albam regalem Hungariæ urbem menſe Septembri denuo conventum eſt; ſed rebus coram ipſo Imperatore magna contentione ultro citroque agitatis, tota reſidua anni parte optata animorum conjunctio incaſſum deſiderabatur; tandem vero ineunte Januario ſequentis anni ex communi ferme omnium ſententia novus conventus Igla- *Vid. infra lib. CVII.* viæ celebrandus decernebatur, in quo totum negotium plene abſolutum fuit.

Sæcul. XV. A. C. 1435.

Sæcul. XV.
A.C. 1435.

§. CXXIV.

Renatus Andegavenſis a Joanna Neapolis Regina hæres nuncupatus.

Die ſecunda Februarii currentis anni obiit Joanna Neapolis & Siciliæ Regina, quinquaginta quinque annos nata, multis ærumnis oppreſſa, variis fortunæ ludibriis jactata, ac licentioſæ vitæ nævis obnoxia, in quorum expiationem ſine ulla pompa, ignobili ſepultura in Eccleſia B. Virginis Annunciatæ terræ mandari voluit. Nulla vero poſt ſe prole relicta, Renatum Andegaviæ Ducem Hæredem teſtamento ſcripſit, conſtitutis interim ſexdecim Proceribus, qui, donec Burgundiæ Dux Renatum libertati reſtituiſſet, regnum adminiſtrarent. Eugenius autem Papa comperto Reginæ obitu, miſit confeſtim Neapolim, qui Proceres, populumque prohiberent; ne alium ſibi conſtituerent Regem, quam cui ipſa utpote Feudi Dominus coronam conceſſiſſet, ſimulque eis ſignificarent, quantocius a Papa Joannem Patriarcham Alexandrinum fore mittendum, ex quo plenius animi ſui ſenſus percipere poſſent. Sed reſponſum eſt a Neapolitanis, nolle ſe alium Regem agnoſcere, quam Renatum, quem miſſis illico ad Burgundiæ Ducem Legatis, liberum dimitti petierunt.

Summont. l. 4. in fine.

§. CXXV.

§. CXXV.

Sæcul. XV. A. C. 1435.

Renatus a Burgundiæ Duce dimissus.

Verum hi Legati actum agebant, ipso Renato eorum obsequium prævenien- *Blond. l. 3. dec. 6. & 7. Marian. l. 21. c. 9. & 10. Surita l. 14. c. 24.*
te; cum enim jam antea libertatem suam oblato lytro redimere sollicitus Burgundiæ Duci exposuisset, se faciliori negotio promissam auri summam pro redemptione sua, si liber esset, exsoluturum, præstito jurejurando a Burgundo dimissus est. Nihilominus Renatus summo, quo poterat, honore Neapolitanos Legatos excepit, verum probe gnarus erat, quod non aliter quam armorum vi sibi ad Neapolis Thronum aditus pararetur, aliunde vero, nisi prius Burgundiæ Duci datam fidem liberasset, nullatenus bellum ordiri posset, hinc Legati haud amplius efficere poterant, quam quod ejus conjugem Isabellam, magni animi raræque prudentiæ feminam interim Neapolim deducere permitterentur. Hæc ipsa erat illa, cui Sigismundus Imperator in Concilio Basileensi Ducatum Lotharingiæ adjudicaverat, a cujus jure eam Antonius Valdemontii Comes, Caroli Ducis Lotharingiæ frater ac Isabellæ Pater dejicere nitebatur. Neapolitani illam veluti Reginam suam unacum duobus ejus Filiis Ludovico & Joanne die decima octava

Sæcul. XV. A.C. 1435. Octobris magnifica prorsus pompa exce-perunt.

§. CXXVI.

Alphonsus a Genuensibus captus.

Conc. Basil. Append. 1. art. 96. to. 12. Alphonsus Arragoniæ Rex interea tem-poris in Sicilia degens, in omnem regni Neapolitani occupandi occasionem intentum gerebat animum; & quidem sub primis belli auspiciis propitia utebatur fortuna; nam, qui eidem secreto fa-vebant, Capuam ex insidiis occupatam in manus ejus tradunt. Postquam vero cum Joanne Navarræ Rege, Henrico magno Ordinis S. Jacobi Magistro, & Petro In-fante horum fratre Cajetam obsidione ag-grederetur, Genuenses in urbis hujus au-xilium accurrentes, Alphonsum ad præ-lium provocant, dimicant, & victoriam reportant, Arragoniæ Rege capto, cete-ris fuga salutem quærentibus. Pugnatum est die quinto Augusti decem hora-rum spatio navali certamine, in quo Bla-sius Alleretus Genuensium classis Præfe-ctus, cum Alphonsi copiis tam militum, quam navium numero longe impar esset, rara miræ fortitudinis, ac invicti animi sui specimina dedit.

§. CXXVII.

Sæcul. XV.
A. C. 1435.

§. CXXVII.

Alphonsus a Duce Mediolanensi dimissus.

Alphonsus captus ad Ducem Mediolanensem adducitur, sed paulopost ab eodem unacum ceteris Principibus pari fato obnoxiis, ampliſſimis etiam muneribus auctus libertati redditus est. Verum Mediolanensis Dux intempestiva hac munificentia sua Genuæ imperium amisit; Genuenses enim, quod eos ad auxilia Arragonensibus & Catalonis eorum hostibus ferenda compelleret, Ducis jugum excutiunt, & occiso gubernatore sese in libertatem asserunt, præcipuo hujus facinoris auctore Francisco Spinola, qui nuperrime ob strenue defensam contra Alphonsum Cajetæ urbem magnam nominis sui famam sibi conciliabat.

§. CXXVIII.

Ducis Mediolanensis consilia de Pontifice capiendo.

Dux Mediolanensis, cum Eugenium Papam plena Florentiis liberate frui, ægerrime ferret, eundem captum abstrahere aggreditur, moxque emissarios suos destinat, Bartholomæum Novariensem Episcopum, & Nicolaum Piccininum exercitus sui Ducem, qui Pontificem,

Sæcul. XV. A. C. 1435.

dum extra Florentiæ muros ad loc amœniora ambulatum iret, ex insidi caperent. Verum conjuratione detect Episcopus Novariensis vitæ gratiam, qu indignus omnino fuerat, nonnisi precib Cardinalis S. Crucis ægre admodum ob tinuit, postquam criminis sui reatum pu blice confessus, in pleno Patrum consi Papæ clementiam exorabat, quem post ra die præfatus Cardinalis iter in Gallia arripiens, ad Ducem Mediolanensem di xit. In hoc rerum discrimine Sfortia Pon tificis, Veneti autem & Florentini Duci Mediolanensis partes adversus Piccini num tuebantur, donec conciliatore Nico lao Marchione de Ferraria pax conclu esset ineunte mense Augusto, priusquam Dux certior fieret victoriæ de Arragoniis partæ, quam, si resciviſſet, vix un quam ad pacem animum appuliſſet.

Blond. 3. dec. 6.

§. CXXIX.

Pax opera Pontificis & Synodi a Burgundo inita.

Tandem bellorum flammæ, quæ tam diu furore maximo Galliam devastabant, feliciter extinctæ sunt, opera summi Pontificis, & Concilii, quorum precibus Burgundiæ Dux multum ab inveterato remiserat odio, tot Regni calamitatibus tandem commotus. Burgundus prima

prima hujus concordiæ fundamenta jam anno Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimo tertio jecerat, Amadæo Sabaudiæ Duce præprimis operam navante, ut Burgundum inter & Carolum VII Galliarum Regem pro Ducatu Burgundiæ, & Nivernenſi comitatu ex una parte, ex altera vero pro Borbonienſi, Lugdunenſi, Belloiovienſi, & Forenſi Provinciis induciæ decernerentur. Hæc ipſa pacis exordia habito apud Nivernates colloquio inter Carolum Borbonium & Burgundiæ Ducem, qui ſibi hujus Sororem deſponſaverat, majora cæperunt incrementa; ambo enim Principes compoſitis primum domi rebus ſuis, ad tractanda quoque publica regni negotia animum adjiciunt, & Atrebati conventum agere conſtituunt, de mediis deliberaturi, quibus ſolidam denique pacem inter utrumque Galliæ & Angliæ Regem, necnon inter Carolum VII & Burgundiæ Ducem procurarent. Quocirca hanc in rem epiſtolas ad Synodum Baſileenſem expediunt, quarum prima a Burgundo die Sabbati vigeſima ſexta Martii, altera vero a Rege Galliarum pariter die Sabbati vigeſima tertia Aprilis data eſt, atque in utraque a Synodo aliquos Cardinales & Prælatos decerni poſtulant, quorum opera facilius res confici poſſet, ac Franciæ Rex a Concilio nominatim Cardinales Cyprium, & S. Pe-

Sæcul. XV. A.C. 1435.

In Append. I. Conc. Baſil. tom. 12. art 48. & 85.

Sæcul. XV. A. C. 1435.

S. Petri ad vincula, ab Eugenio autem Pontifice Cardinales S. Crucis & Atrebatenſem efflagitavit. Dux vero Burgundiæ nullum ſpeciatim poſtulavit.

§. CXXX.

Conventus Atrebatenſis pro pace inter Reges Galliæ & Angliæ, ac Ducem Burgundiæ.

His e ſententia compoſitis, Atrebat conventus agitur, numero, ac congregatorum dignitate in tota Gallia omnibus retro ſæculis longe celeberrimus. Intererant totius Chriſtiani orbis Principum Legati, Papa quoque & Synodus, ſuo quisque nomine Oratorem ablegabat, atque inſuper hoſpitiorum metatoribus injunctum, ut pro decem millibus equorum opportuna loca ſeligerent: A ſummo Pontifice cum munere Legati miſſus aderat Nicolaus Albergatus Cardinalis S. Crucis, qui jam olim huic pacis negotio totis viribus inſudabat. A Synodo mittebatur Hugo Cardinalis Cyprius, quorum uterque magno præterea Epiſcoporum, atque Theologorum ſtipabatur comitatu. Regis Franciæ vices ſubiere Borbonii Dux, Comes Richemundus Franciæ Conneſtabilis, Comes Vindocinenſis, & Archiepiſcopus Rhemenſis Cancellarius Regni. Nomine Regis Angliæ Legatos agebant Cardi-

Cardinalis Wiceſtrenſis, ſeu Viconienſis, Archiepiſcopus Eboracenſis, ac nonnulli Comites. Dux ipſe Burgundiæ, cujus Dominio urbs dicta parebat, unacum Duce Gueldriæ, pluribusque Comitibus, & Cameracenſi, Atrebatenſi, ac Leodienſi Epiſcopis interfuerat; necnon Legati Sigismundi Imperatoris, Regumque Cypri, Luſitaniæ, Siciliæ, Hiſpaniæ, Navarræ, Poloniæ, Daniæ, Ducumque Britanniæ & Mediolani, ac ditionum Philippi Burgundi, necnon Univerſitatis Pariſienſis, atque urbium præcipuarum Oratores. Solemni huic Conventui die ſexta Auguſti datum eſt initium. Sæcul. XV. A. C. 1435.

§. CXXXI.

Atrebatenſis pacis Conditiones.

Præprimis pactum erat, ne Burgundiæ Dux, excluſis Anglis, pacem iniret, dummodo hi æquis conditionibus ſtare non recuſarent. Hugo Metenſis Archidiaconus Baſileam redux in quadam Congregatione Generali die decima quinta Novembris celebrata in Synodo perorans retulit, oblatis pluribus hinc inde Regum conditionibus, tandem utrinque conventum eſſe, ut Anglus ſibi ſervaret Dominium in Aquitanniam totumque Normanniæ Ducatum, juramento tamen fidelitatis prius præſtito ſecundum formam a Regiis *Monſtrelet. 2. vol.*

Lega-

Sæcul. XV. A. C. 1435.

Legatis traditam: Franci autem retinere id totum, quod possedissent in Regno, a vero lege, ut civitates atque ditiones quæ in alterutrius regione sitæ essent, a tollendam imperii confusionem invicem commutarentur. Ex eadem hac Metensis Archidiaconi relatione discimus, a Legatis Concilii instanter admonitos fuisse Anglos, ut oblatas Caroli Regis conditiones, utpote æquissimas acceptare non dubitarent: ab his vero de prætensis suis juribus nihil omnino remissum: hinc factum ut Dux Burgundiæ ab Anglis deficeret, & postquam a Cardinale S. Crucis auctoritate Sedis Apostolicæ ab omni juramentorum ac conventionum cum Anglis initarum vinculo solutus fuisset, seorsim concordiæ suæ leges conscriberet. Equidem Cardinalis Cyprius, eoquod Synodi Legatus esset, præ Cardinale S. Crucis Ducem absolvendi jus sibi arrogabat, sed petiti hujus nulla habita est ratio. Jam præcipuos hujus concordiæ articulos summatim percipiamus.

§. CXXXII.

Articuli hujus concordiæ.

Rex præprimis per suos Legatos negabat, quod se volente, aut sciente Burgundiæ Ducis Pater fuerit occisus, testabatur vero, quod semper hanc cædem sum-

Sæcul. XV. A. C. 1435.

ſummopere deteſtatus ſit. Quinimo Rex omnes, quotquot hujus ſceleris auctores Dux Filius ejus ſibi nominaret, perſequetur, digna pœna plectendos: Si vero hos comprehendendi copia deſit, eosdem toto ſuo regno ſine ſpe veniæ proſcribet, nec unquam eis gratiam concedet. Inſuper ſpondet, ſe pro anima occiſi Ducis, Domini de Novalia, & ceterorum omnium, qui occaſione harum turbarum interfecti fuiſſent, Monterigoli in loco, in quo dicti Ducis corpus ſepultum jacet, Sacellum ædificaturum, ſupra pontem in loco occiſionis Crucem erecturum, & tandem in vicinia conditurum monaſterium pro duodecim Carthuſianis, in quorum Eccleſia prope Divionem anniverſaria ſolemnia *de requiem* quot annis celebrarentur. Rex quoque ſe obſtrinxit, quod *ſummam quinquaginta millium veterum ſcutorum, ſexaginta quatuor pro marcha, & viginti quatuor carato* ſoluturus ſit in compenſationem mobilium, ac rerum, quæ Joanni Duci, dum per inſidias necaretur, ablata fuere. Inſuper conceſſit, ut Dux ejus Filius per omnes vitæ ſuæ dies liber eſſet ab omni tributo Regi ob terras a corona Galliæ receptas pendendo, eidemque fidem dedit, quod, ſi occaſione hujus tractatus Angli Ducem aggrederentur, non modo ei tunc ſuccurreret, ſed etiam jam nunc omnibus fœderibus cum Ducis

Labbe Conc: to. 12. app. I. ad Conc. Baſil. art. 6. & 7. p. 805.

Sæcul. XV. A. C. 1435.

Ducis hostibus sancitis renuntiare, neque cum Anglis, sine Ducis interventu pacem unquam inire vellet. Ditiones vero, quas Dux in Galliis possidebat, Carolus VII Galliarum Rex eidem reliquit, ut eas tam ipse quam ejus hæredes sive masculi sive fœminæ possiderent, nimirum, Comitatum Matisconensem, & Antissiodorensem, Toparchiam S. Gengulphi, Balliviatum S. Laurentii, Castellanam Satrapiam de Bar ad Sequanam; Præterea in pignoris obligationem pro summa quadringentorum millium aureorum bina solutione numerandorum eidem concessit beneficiar Peronæ, Raugæ, & Mondidierii castell necnon urbes ad Somonam fluvium sitas S. Quintinum, Corbiam, Ambianum, Abbatisvillam, plures alias, præter Pontivere sem Comitatum, qui cis & ultra præfatum flumen protenditur. Præter hæc Comitatum Bononiensem Duci ejusque Filiis attribuit possidendum, ita ut ex illo, cum dictisque prædictis terris omnia & singula jura, vectigalia, tributa, & gabellas cum omnibus reditibus, qui ex cauffis justitiæ regalium, vel aliunde proveniunt, percipere valeant. In eodem pacis tractatu conventum, quod Burgundiones imposterum non adstringerentur crucem S. Andreæ deponere, etiamsi in ipso Regis exercitu stipendia mererentur. Porro si hæc pacta ab alterutro infringi contingeret,

Oliver. March. l. 1. c. 8.

geret, alterutrius Principis ſubditi a fidei ſacramento abſoluti cenſeantur, junctisque viribus eum, qui pacem violavit, adoriantur. Concludebant denique hunc in modum: *Ex parte Regis fiant obligationes & ſubmiſſiones tangentes intentionem præſentis tractatus in manibus Papæ & Concilii ſub pœnis excommunicationis, aggravationis, reaggravationis, interdicti in terris ſuis, & dominiis, & alias ulteriores, ad quas cenſuræ Eccleſiaſticæ ſe potuerint extendere, item & cum hoc faciet Rex, tradet ſigilla Principum, & Dominorum ſui ſanguinis, & Regni Procerum, & aliorum nobilium Eccleſiaſticorum, & villarum.* Hæc pacta die vigeſima prima Septembris, jurejurando in manibus Cardinalium S. Crucis, & Cyprii, Papæ & Synodi Legatorum præſtito ſanciebantur. Ut autem hæc ipſa pacis ac concordiæ fœdera eo firmius conſtarent, adjecta fuere futuri conjugii vincula Catharinæ Regis Filiæ cum Carolo Filio Ducis Burgundiæ, Caroloregii Comite, ea tamen lege, ut Rex Filiæ ſuæ centum aureorum millia in dotem daret. Cum vero nobile hoc Sponſorum par teneræ admodum eſſet ætatis, primum elapſo quadriennio Catharina ad conjugale thorum Burgundiæ Duci tradita eſt.

Sæcul. XV. A. C. 1435.

Joan. Chart. Hiſt. Caroli VII. ad hunc ann.

§. CXXXIII.

Sæcul. XV. A. C. 1435.

§. CXXXIII.

Angli ob prædictam pacem Duci graviter indignati.

Polydor. l. 23.

Promulgata ubique pax universis Francis summum gaudium attulit, ringentibus econtra ultra modum Anglis, qui ideirco non sine stomacho Burgundiæ Ducis Legatos, probris ac contumeliis onerato remiserunt, perjurum ac fœdifragum eorum Dominum criminantes, eoquod concordiæ cum Carolo VII. initæ subscribendo, fœdera cum ipsis antehac icta perfide violasset. Unde cunctos Burgundi subditos mercaturæ, aut aliorum negotiorum caussa in Anglia existentes, tota insula expulerunt.

§. CXXXIV.

Ducis Bedfordiæ & Reginæ Caroli VII Matris obitus.

Sub idem tempus maximo rei Anglicæ detrimento, mortuus est Dux Bedfordiæ Regis Angliæ patruus, & Franciæ administrator: Eo enim sublato non nisi Viri feroces, stolidi, atque a sana agendi ratione ac prudentiæ legibus alieni infausto prorsus fato rerum summam gerebant. Interea vero Galli admotis scalis Deppæ mœnia transcendunt, urbemque occupant. Magnanima Victorum comi-

tas

tas, qua sibi incolas ubique devinciebant, brevi in horum animis pristinum in Gallos affectum resuscitabat; quocirca illi exiguo temporis intervallo omnes Caletensis agri urbes prospero Marte recuperabant. Sæcul. XV. A. C. 1435.

Itidem fatis functa est ultima die Septembris hoc anno Lutetiæ Parisiorum in Palatio S. Pauli Isabella de Bavaria, Regina, & Caroli VII. Mater, quæ Marito suo orbata atque ab omnibus regni curis semota ad magnam dejecta est inopiam; insuper haud immerito Gallis omnibus invisa, atque ab ipsismet Anglis despectui habita, adeo, ut illi defunctæ cadaver, ne funebris pompæ sumptus sustinerent, in quadam parva scapha nonnisi sub quatuor Personarum comitatu ad Ecclesiam S. Dionysii transferri curarent. Nonnullorum testimonio discimus, Isabellam ex immodico tædio, ac animi ægritudine exspirasse, eoquod Angli ipsa præsente, Carolum Regem ejus Filium ex illicito concubitu ab illa susceptum fuisse, acerbo admodum sarcasmo effutire attentassent, sunt tamen, qui referunt, eam nimio, quod ex nuncio fœderis Gallos inter & Burgundum initi hausserat, gaudio perfusam fatis cessisse.

Sæcul. XV.
A. C. 1435.

§. CXXXV.

Sessio XXI. Basileensis Concilii.

Ceterum Basileensis Synodus die nona Junii Sessionem vigesimam primam celebrat, in qua Patres morum correctioni assiduo studio incumbentes, ut Concilii Constantiensis menti exacte inhærerent, necnon juxta salubria ejusdem Synodi præscripta corruptelis obviarent, statuunt, ne in Curia Romana pro electionibus, provisionibus, collatione, institutione aut investitura imposterum aliquid solveretur, aut exigeretur, nec ultra quicquam peteretur ratione sigilli, annatarum, servitiorum &c. de quocunque beneficio. Ad pleniorem vero horum notitiam in memoriam revocare oportet, quæ superius in Sessionem quadragesimam Concilii Constantiensis adduximus, ubi octodecim articulos a Patribus præscriptos memoravimus, quorum executio tum ad revocandam saniorem doctrinam, tum ad restaurandam totius Ecclesiæ disciplinam futuro Pontifici demandabatur.

Vid. l. CIV. §. LXX.

§. CXXXVI.

Decretum Synodale contra Annatas.

Labbe Conc. tom. 12. p. 552.

Sacrosancta generalis Synodus Basileensis in Spiritu sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, in nomine Spiri-

Spiritus ſancti ſtatuit, quod tam in Curia Romana, quam alibi pro, ſeu in confirmatione electionum, admiſſionum, poſtulationum, præſentationum, proviſione, collatione, diſpoſitione, electione, poſtulatione, præſentatione, etiam a laicis facienda, inſtitutione, inſtallatione & inveſtitura, de Eccleſiis etiam Cathedralibus, & Metropolitanis, monaſteriis, dignitatibus, beneficiis, officiisque eccleſiaſticis quibuscunque, necnon Ordinibus ſacris, & Benedictione ac pallio de cætero nihil penitus ante vel poſt exigatur ratione literarum bullæ ſigilli, annatarum communium, & minutorum ſervitiorum, primorum fructuum, deportuum (*) aut ſub quocunque alio titulo, colore, vel nomine, prætextu cujusvis conſuetudinis, privilegii vel ſtatuti, aut alia quavis cauſſa vel occaſione, directe vel indirecte, ſolum Scriptoribus, Abbreviatoribus, & regiſtratoribus Literarum, ſeu minutarum, pro ipſorum labore competenti ſalario ſolvendo. Huic autem ſacro Canoni, ſi quis exigendo, dando, vel promittendo contraire præſumpſerit, pœnam incurrat adverſus Simoniacos inflictam, & in ipſis dignitatibus ac beneficiis taliter obtentis, nullum jus ac titulum acquirat. Obligationes quoque, promiſſiones, Sæcul. XV. A. C. 1435.

(*) *Indicatur jus illud, quod Galli DEPORT vocant, quod idem eſt, ac jus caduci ex ſacerdotali prædio. vid. cap. ſuſcepti Extrav. de elect.*

Sæcul. XV. A. C. 1435.

& cenſuræ ac mandata, & quicquid in præjudicium decreti hujus fieri continget, nullas obtinere vires, atque irrita cenſeantur. Et ſi (quod abſit) Romanus Pontifex, qui præ cæteris univerſalium Conciliorum exequi, & cuſtodire Canones debet, adverſus hanc Sanctionem aliquid faciendo, Eccleſiam ſcandalizet, generali Concilio deferatur. Ceteri vero pro modo culpæ juxta canonicas Sanctiones per ſuos Superiores digna ultione puniantur. Hoc decretum eo tempore, quo Concilium, etiam fatentibus ipſis adverſariis, Generale ac legitimum cenſebatur, conditum fuiſſe conſtat.

§. CXXXVII.

Legati Pontificis huic Decreto obſtrepunt.

Decreti hujus de Annatis promulgationi pro viribus ſeſe opponebant Eugenii Pontificis Legati, nempe Archiepiſcopus Tarentinus, & Patavinus Epiſcopus, graviter conqueſti, illud Pontifice inconſulto & ſpreto Cardinalium, aliorumque, quorum intereſſet, judicio conſectum; quocirca publice conteſtabantur, hoc decretum iniquum prorſus, atque Eccleſiæ Romanæ præjudicioſum eſſe, cum Annatæ, & minuta, ut vocant Servitia, absque ulla Cleri, vel cujusquam Synodi Generalis oppoſitione, diuturno admodum

dum tempore ſummis Pontificibus per- Sæcul.XV.
ſolutæ fuiſſent, earumque abrogatio Pon- A. C. 1435.
tificem, ejusque curiam ad turpiſſimam inopiam deprimeret, ſimulque arma, quibus Hæreticorum inſolentias frangeret, ex ejus manibus extorqueret. Nihilominus Synodus inſuperhabitis his rationibus decretum publicavit, quod ab omnibus Concilii Patribus unanimi voto acceptatum, a Juliano Cardinale Synodi Præſide confirmatum fuit (*).

§. CXXXVIII.

(*) *Facile ii, qui Baſileenſis Concilii acta ſine partium ſtudio pervolvunt, deprehendere valent, Baſileenſes prætenſum reformandæ Eccleſiæ Zelum potiſſimum in deprimenda ſummi Pontificis auctoritate conſtituiſſe; iisdem quoque ſtimulis Continuator noſter videtur agitatus, dum ſollicite adeo etiam minima, quæ ejusmodi depreſſionem ſapiunt, recenſet, & additis ſuis reflexionibus extollit. Optandum tamen, ut, qui in ceteris adeo fideliter Spondanum Galliæ Epiſcopum ſecutus eſt, tanquam ſeverum veritatis aſſertorem, quæ de Baſileenſium intentione ſcripta reliquit, ſilentio non præteriiſſet; Lectori haud ingratum fore arbitramur, ſi digniſſimi hujus Præſulis verba huic Libro inſeramus:* Quod tamen (*ſcilicet Decretum de Annatis*) Baſileenſes hoc tempore non aliquo pietatis, aut juſtitiæ Zelo, quo alias res commodius tractari potuiſſet, conſtituiſſe,

Sæcul. XV. A. C. 1435.

§. CXXXVIII.

Hoc Decretum ad Papam missum.

Append. I. Conc. Basil. to. 12. Conc. Labbe.

Ergo Decretum hoc ad Papam Eugenium Florentiis agentem, suisque calamitatibus misere pressum transmittitur. Ablegat Synodus Joannem de Bachenstein SS. Canonum Doctorem, qui illius nomine Pontificem rogaret, ut præsens decretum ratum haberet, atque executioni daret. Hic itaque Eugenio exponit Annatas nonnisi ex caussa cujusdam expeditionis in terram sanctam introductas indeque earum originem repetendam: nunc autem cessante caussa, exactionem quo-

---

stituisse, sed sola mente Pontificem ad ea, quæ vellent, cogendi, & Sedis Apostolicæ auctoritatem deprimendi Pontificii vel ex eo constare querebantur, quod id tunc maxime urgendum suscepissent, cum viderent Eugenium Roma exactum, Patrimonio omni Ecclesiæ ubique ab hostibus spoliatum, tantumque non ostiatim mendicantem. Qui & non alia conditione subventuros se ei pollicebantur, quam si prius decreta Synodi approbasset, & se ei submisisset. Quid vero non boassent, si in sui tali necessitate subsidium novum aliquod onus Ecclesiis imposuisset, ut sæpe ab aliis factum est absque tot tumultuosis clamitationibus? Sane si verum

quoque earum ceſſare. Addebat, dictas Annatas hucusque exactas in alios uſus fuiſſe converſas, quam in quos indictæ fuiſſent. Poſtmodum recenſebat mala, quæ inde in Eccleſiam redundarunt, nempe, plures Prælatos, ob non ſolutas Annatas, cenſuris Eccleſiaſticis innodatos obiiſſe, & ſepultura Eccleſiaſtica privatos, alios etiam libros, calices, reliquiarum thecas, & Eccleſiarum ornamenta vendere coactos fuiſſe. Concludebat denique, Synodum omnino procuraturam ut honeſtiori modo, quam per Annatas ſummi Pontificis ac Cardinalium neceſſitatibus provideretur. Satis verboſæ Bachenſteinii orationi Eugenius paucis repoſuit: *Quia materiæ grandes ſunt, & diſcuſſione*

Sæcul. XV. A. C. 1435.

rum loqui liceat, quis convenientior unquam modus excogitari potuit, quo regna, & Provinciæ, ipſæque Eccleſiæ minus graventur, & aptius communi omnium Chriſtianorum Patri pro debito ſubveniatur, quam per Annatas, ſive primorum fructuum ſolutionem. *Spond. ad an.* 1435. *n.* 14. *& an.* 1399. *n.* 1. *& 2. vid. Fernand. Cordubenſ. & Antonius Galleſinus de Annatis, & Natalis Alexand. ad ſæculum XV & XVI. Diſſert.* 9. *ac noviſſime P. Gregorius Zallwein tom.* 3. *Princip. Juris Eccleſ. quæſt.* 2. *cap.* 1. §. 7. *qui cum omnibus ferme Catholicis Scriptoribus Annatarum exactionem a Simoniæ labe vindicant.*

Sæcul. XV. A.C. 1435

cussione ac declaratione indigent, Nos mu- cum S.R.E. Cardinalibus, per nostros sa- cro Concilio respondere decrevimus.

§. CXXXIX.

Responsio Pontificis ad Decretum.

Labbe Conc. gener. to. 12. p. 865. & seq.

Nec promisso defuit Pontifex; per Legatos enim suos Synodi Patribus re- sponsum dedit, ac rationum suarum mo- menta expositit, declarans, obstupuisse ve- vehementer, quod decreto tam insolen- ac Romanæ Ecclesiæ noxio Annat- prohibere præsumpsissent, „ quarum u- „ men usus, inquiebat, multis retro sæcu- „ lis a Sanctis Patribus stabilitus, atq- „ ab omnibus perpetua Religione firma- „ tus esset„ nihilominus tamen paratu- se esse, earum abrogationi consentire dummodo Sedis Apostolicæ necessitat- bus a Synodo satis provideretur, ac de- creti executio suspenderetur. Ad vind- candas annatas earumque necessitatem demonstrandam, sequentem protulit ra- tionem, omnino decet, inquiebat, S.R. Ecclesiam proventibus abundare jura priscorum Pontificum exempla, qui Be- to Athanasio, SS. Joanni Chrysostomo, & Thomæ Cantuariensi ex reditibus sui subvenerunt, imo S. Gregorius ipsis quo- que pauperibus Jerolymitanis eleemosy- nas transmisit.

§. CXL

§. CXL.

Sæcul. XV. A. C. 1435.

Pontificis responsum a Juliano Cardinale confutatum.

Ad hæc Julianus Synodi Præses respondit in hanc sententiam: Romani Pontifices tot tamque præclara pietatis opera ex Annatarum proventibus neutiquam perfecerunt. Fateor equidem unacum Eugenii Oratoribus, oportere Sedem Apostolicam divitiis, & potentia instructam esse: Aft nihilominus palam affirmo, *in illa, uti & in aliis Episcopalibus sedibus desiderari magis copiam, abundantiamque virtutum & meritorum, quam opum, aut divitiarum.* Nec Synodus hoc decreto quicquam intendit, *per quod Sedes Apostolica jacturam seu diminutionem aliquam auctoritatis ac facultatis pati posset.* Præterea Concilium damnavit Annatas, eoquod *nemo inficietur multos in exactione earum solitos fieri abusus, & hinc multos scandalum passos. Nihilque novitatis per hoc decretum in Ecclesia introductum est*, sed unice statutum, *ut beneficia & Ordines Ecclesiastici gratis conferrentur* & Simonia eliminaretur, quam ipsemet Christus Dominus, Apostoli, summi Pontifices, sancti Doctores, sacrique Canones detestati sunt. Per ipsum hoc Decretum non interdicitur, *quin pro vitæ sustentatione, aliisque Ecclesiæ necessitatibus, summus Pontifex, aliarumque Eccle-*

Sæcul. XV. A. C. 1435.

Ecclesiarum Episcopi charitativum subsidium indicere, decimam, seu aliam quotam impo-nere, aut aliquorum beneficiorum proventus ad tempus reservare possint; nec unquam au-huc auditum, quod Synodus nolit Sedis Apo-stolicæ dignam, & competentem facere pro-visionem; imo hoc per suos Oratores jam pri-dem pollicita est, si tamen Papa observa-tiæ decretorum Synodalium rationem habu-rit. Tandem subjungit: *Nec alii sanc-Episcopi præclara charitatis & pietatis opera de emolumentis sigillorum explere consueverant.* Hæc decerpsimus ex re-sponsione, quam Synodi Præses fecit a-Oratores Eugenii in Congregatione de-tertia Novembris ejusdem anni celebrat-Verum huic Basileensis Synodi Decre-to per Concordata postmodum erecta de-rogatum est, vimque illius nostra adhu-ætate infringunt Normanniæ Episcop-jure *deportus* utentes, quo nomine ve-niunt unius anni reditus ex vacantibus Parochialibus Beneficiis percipiendi, d-a successore Parocho persolvendi. Hu-jus fuit introductum eo tempore, quo Ro-mani Pontifices Avenione sedem fixe-runt, qui Annatas ab Episcopis & Abbe-tibus obtentu belli sacri contra Infideles exegerunt. Præter Normannos adhu-alii Episcopi in Galliis dictum jus *depor-tus* adoptarunt, ita ut hodiedum consue-tudinis vim obtineat.

§. CXLI

§. CXLI.

Sæcul. XV. A. C. 1435.

Decretum ſecundum de pacificis poſſeſſoribus.

In eadem ſeſſione vigeſima prima adhuc aliud conditum legimus decretum, quo ſtatuitur, *quod quicunque non violentus, ſed habens coloratum titulum, pacifice beneficium triennio proximo hactenus poſſedit, non poſſit a quoquam moleſtari.* Triennalis hæc poſſeſſio tantum operatur, ut poſſeſſor nequidem in petitorio ulla amplius moleſtia affici queat, & in hoc ipſo Decreto *de pacificis poſſeſſoribus* fundatur legitima Beneficiorum præſcriptio, quæ originem ſuam a Concilio Baſileenſi repetens, in Pragmaticam Sanctionem, necnon in Concordata tranſiit, & inde Regula Cancellariæ trigeſima ſexta *de triennali præſcriptione* erecta fuit. Ut autem ejusmodi poſſeſſio præfatis potiatur effectibus, in titulo colorato fundata ſit, neceſſe eſt, ſcilicet ut ab eo ſit conceſſa, cui concedendi poteſtas competit, nullo interveniente manifeſto vitio. Præterea poſſeſſio ab eadem perſona continuata eſſe debet (Prædeceſſoris enim poſſeſſio nihil ei ſuffragatur) ſimulque pacifica, ita ut per nullum actum juridicum, nec per litis conteſtationem interrumpatur, niſi forte alter in proſequendo jure ſuo a nimia poſſidentis potentia impeditus

Labbe Conc. to. 12. p. 552.

Sæcul. XV. A.C. 1435.

ditus sit. Ampliori adhuc exami
præsens decretum subjiciemus, dum de
Sanctione Pragmatica differendi copi
dabitur.

§. CXLII.

Decretum tertium de divino Officio.

Labbe Conc. to. 12. p. 553. & seq.

Tandem Synodus suæ sollicitudinis, a
nimique ad singula intenti specim
editura, in hac eadem Sessione plura con
didit decreta, quæ ritus Ecclesiæ spect
bant.

Primum respicit publicam divini offi
cii recitationem, ubi constituit, ut *laudes divinæ horis debitis, signis congrua pulsa tione præmissis, tractim & cum pausa de centi, præsertim in medio cujuslibet versicu Psalmorum, debitam faciendo inter solemn ac feriale officium differentiam, reverente ab omnibus persolvantur.* Præterea de crevit, ut *Horas canonicas dicturi cum te nica talari ac superpelliciis seu cappis, juxta temporum diversitatem Ecclesias ingrediun tur, & cum in choro fuerint, gravitatem ser vent, non insimul, aut cum aliis confabu lantes seu colloquentes, aut literas, vel scri pturas alias legentes, item, cum dicitur,* Gloria Patri &c. *omnes consurgant, cum que nominatur glorioſum nomen JESUS, omnes caput inclinent. Nemo ibidem, dum Horæ in communi publice cantantur, legat vel dicat privatim officium.*

In

In sequenti Decreto Synodus ordinat, quod ille, *qui in matutinis ante finem Psalmi:* Venite exultemus &c. *in aliis Horis ante finem primi Psalmi, in Missa ante ultimum* Kyrie eleison, *usque in finem divino officio non interfuerit, pro illa hora absens censeatur,* & distributionum emolumentis careat, *nisi forte necessitate cogente, ac petita & obtenta a Præside chori licentia discedere oporteat, salvis Ecclesiarum consuetudinibus, si quæ forte circa hoc arctiores existant. Pro cujus executione deputetur aliquis onus habens notandi personas singulas statuto tempore non convenientes, juramento adstrictus agere fideliter, & nulli parcere.* Sæcul. XV. A.C. 1435.

Tertio decreto sancitur, quod, *quicunque Beneficiatus divinorum tempore per Ecclesiam deambulando, aut cum aliis colloquendo, vagari visus fuerit, totius diei præsentiam ipso facto amittat. Qui si semel correctus, non desiterit, per mensem distributionibus careat, vel graviori, si pertinacia exegerit, pœnæ subjaceat. Regulares, qui circa prædicta excesserint, gravi superioris arbitrio castigentur.*

In quarto decreto hæc præscribunt Patres: *Ut cuncta in domo Dei ordinate procedant, & quilibet sciat, quid sibi agendum imminet, statuatur tabella aliqua, continuo pendens in choro, in qua quid per unumquemque ex Canonicis, vel aliis Beneficiatis*

Sæcul. XV. A.C. 1435.

ficiati, in singulis horis per hebdomadem [illegible] *gendum, cantandumve sit, scribatur. Qui autem, secundum quod ibi descriptum fuerit, facere per se, vel alium neglexerit, pro qualibet hora distributiones unius diei amittat.*

Quintum decretum quarumdam Ecclesiarum abusum damnat, *in quibus Symbolum fidei nostræ:* Credo &c. *non complete usque ad finem cantatur, aut Præfatio seu Oratio Dominica omittitur.* Præterea Synodus prohibet, in Ecclesiis cantilenas profanas cantari, ac Missas privatas sine Ministris celebrari. Arguit quoque omnes illos, qui Missam tam submissa voce dicunt, ut ab adstantibus percipi non queant. Denique statuit, *ut qui in hoc transgressor inventus fuerit, a suo Superiore debite castigetur.*

In sexto decreto Patres alium reprobant abusum, *divino cultui manifeste derogantem; quo nonnulli Ecclesiarum Canonici contrahentes debita, sic se creditoribus obligant, ut nisi statuto tempore satisfaciant, a divinis cessetur officiis.* Igitur Synodus ejusmodi obligationem juramento etiam firmatam prorsus irritam declarat, jubetque, *ut qui talem illicitum contractum fecerint, trium mensium fructus ipsi Ecclesiæ applicandos, ipso facto amittant. Et quamdiu divina non resumpserint, nullos ex ipsa Ecclesia proventus percipiant.*

Septimo

Septimo decreto prohibetur, *ne tempore Missæ majoris, præsertim solemnibus diebus capitula, seu actus capitulares* per Canonicos celebrentur, nisi forte urgens, & evidens ingrueret necessitas. Is vero, qui ad talem horam capitulum indixerit, a distributionibus quotidianis per hebdomadam sit privatus. Sæcul. XV. A.C.1435.

In ultimo tandem Decreto Patres damnant spectacula, certis anni festivitatibus in Ecclesiis fieri solita, ubi nonnulli pueri mitra, baculo, ac vestibus Pontificalibus more Episcoporum induti, Episcopalia munia exercebant, alii vero Regum & Ducum personas gerebant, *quod*, verba sunt Concilii, *festum fatuorum seu innocentum nuncupatur.* In hoc Decreto *Ordinariis locorum, Ecclesiarum Decanis & Rectoribus præcipitur sub pœna suspensionis omnium proventuum ecclesiasticorum trium mensium spatio, ne larvales & theatrales jocos, choreas, & tripudia marium, ac mulierum fieri permittant.* Agit quoque de mercatibus ac negotiationibus in Ecclesia & cæmetrio hucusque institutis, quas nequaquam ultra permitti, sed transgressores per censuras Ecclesiasticas coerceri præcipit.

§. CXLIII.

Sæcul. XV.
A. C. 1435.

§. CXLIII.

Sabaudiæ Dux de Synodo conquestus

Die prima Maji ejusdem anni Amadæus Sabaudiæ Dux ex Ripalienſis eremi ſuæ latebris Epiſtolam ad Synodum perſcripſit, in qua non tanquam Eremicola, ſed ut Princeps ſupremus, atque ut accerrimus injuriarum vindex in querelas contra Baſileenſes erupit, eo quod Lauſanenſem Epiſcopatum Ludovico de Palude adjudicaſſent, neglecto Joanne Pereingino, pro quo tamen, ut hæc Eccleſia ei conferretur, juſtitia et meritorum ſuffragia pugnarent, prout Dux ſibi videri inquiebat. Præterea exprobabat Synodo, quod ejus Miniſtri in Procuratorem, qui Ducis ſui nomine a Synodali judicum ſententia ad Eugenium Papam appellaſſet, adeo fuiſſent invecti, ut ille ægre admodum eorum convicia, carceremque, cui eum tradere minitati fuiſſent, effugiſſet. Baſileenſes Amadæi indignationem mitigaturi, die decima ſexta Septembris in quadam Congregatione ſtatuerunt, ut Dux datis literis certior fieret, paratum eſſe Concilium tam ei, quam aliis quibuscunque, qui de geſtis Patrum conquererentur, juſtitiam adminiſtrare. Sicque unda tempeſtive affuit

affusa recentes incendii flammas extinxit (*). Sæcul. XV. A. C. 1435.

§. CXLIV.

Græci hinc ab Eugenio, illinc a Concilio sollicitati.

Nihil interea in promovendo cum Græcis unionis negotio intermissum est. Postquam enim horum Oratores apud Synodi Patres commisso sibi officio defuncti erant, ut supra meminimus, Eugenius ad accelerandam eorum unionem Christophorum Garetonum, quem ab Epistolis habuit, Constantinopolim misit. Verum is non sine magna admiratione comperit, quod Græci mutata animi sententia Synodum Constantinopoli celebrari toto studio contenderent; cum id tamen promissis mutuo initis adversaretur. Igitur Garetonus totam rei seriem ad Synodum perscribit. Nonnulli hanc animi mutabilitatem non tam a spontaneo Græcorum impulsu, quam Pontificis hortatu ortam suspicabantur; cum enim Basileenses tam amplam sibi auctoritatem arrogarent, id ægerrime ferebat Eugenius. Nihilominus Synodi Patres rem edocti

(*) Spondanus ad hunc annum num. 16. subjungit: *Satius fuisset, non inconsulte agere, quam objecta excusare.*

Sæcul. XV. A.C. 1435.

edocti, rursum Delegatos Constantinop
lim mittunt Joannem de Ragusio Ordin
Prædicatorum, Henricum Menger D
cretorum Doctorem Canonicum Co
stantiensem, & Simonem Freiron Aur
lianensem Canonicum, Theologiæ Ba
calaureum, qui Græcis persuaderent,
pactis Basileæ conventis starent, eo p
tissimum nomine, quod perfecta unio,
psis quoque fatentibus Græcis, sper
haud posset, nisi Concilium œcumenic
ex utraque Ecclesia Occidentali, & O
rientali congregaretur: Constantinopolit
na autem Synodus nunquam vere u
versalis censeri posset, etiamsi enim i
teresset Legatus Sedis Apostolicæ, r
quaquam tamen illum Ecclesiam Oc
dentalem repræsentaturum, ac proin n
lum inde fructum secuturum: Basilea
autem opportunissimam esse urbem
Generale Concilium celebrandum, cu
ejus regio esset salubri cœli temperie
mæna, pacifica, civitasque omnino liber

Concil. Basil App. I. art. 37. 38. 39. pag. 851. & seq.

§. CXLV.

Græcorum consensus de Synodo in Occidente celebranda.

Propositis hisce Deputatorum Synod
lium rationibus demum conclusu
est, Synodum in Occidente celebrand
ad quam Græcorum Imperator & Pa
tria

triarcha cum Græcæ Ecclesiæ Prælatis atque Proceribus accessuri essent; ne vero confluentes, ac præcipue Patriarcha infirmæ valetudinis, ac provectæ ætatis Vir, necnon Romanus Pontifex, qui & ipse adesse deberet, incommodis succumberent, ea addita est lex, ut quædam ex maritimis Italiæ urbibus eligeretur, ex qua etiam emergentibus Constantinopolitanæ urbis necessitatibus facilius provideri posset. Sæcul. XV. A.C. 1435.

§. CXLVI.

Sessio XXII. Basileensis Synodi.

Celebrata est die Sabbati decima quinta Octobris Sessio ordine vigesima secunda, ubi condemnatio cujusdam libri, quem Augustinus de Roma Nazarenus Archiepiscopus Ordinis FF. Eremitarum S. Augustini vulgaverat, totam Patrum operam sibi vendicavit. Hujus libri Auctor Anno salutis millesimo quadringentesimo decimo nono supremus Ordinis sui Magister electus, atque anno quadringentesimo trigesimo primo supra millesimum Cesenæ Episcopus, tandem in Neapolis Regno Nazarenus Archipræsul renunciatus est. Is tractatum de Christo & Ecclesia composuit, in tres partes dissectum, in quarum prima differuit de unitate Christi, & ejus Ecclesia, seu *Labbe Conc. to. 12. p. 555.*

Sæcul. XV. A.C. 1435.

de Christo integro. In secunda, de Christo tanquam capite, & de inclyto ejus Principatu. Tertiam inscripsit de charitate Christi erga electos, ejusque infinito amore. In hac sua lucubratione naturam humanam cum divinitate tam arcto inter se nexu conjunctam fuisse docet, ut quædam proferret, in quibus soli Divinitati propria humanæ etiam natura attribuisse videretur.

§. CXLVII.

Augustini de Roma propositiones.

I. *Christus quotidie peccat, & ex quo fuit Christus, quotidie peccavit.* Quod equidem non de ipsa Christi Domini Persona intellexit, sed de ejus membris, quæ cum Christo Capite, unum Christum esse asseruit.

II. *Non omnes fideles justificati, sunt membra Christi, sed soli electi, finaliter in perpetuum regnaturi cum Christo.*

Collect. Conc. tom. 12. p. 556.

III. *Secundum ineffabilem præscientiam Dei sumuntur membra Christi, ex quibus constat Ecclesia, quæ tamen non constat, nisi ex eis, qui secundum propositum electionis vocati sunt.*

IV. *Non sufficit Christo uniri vinculo charitatis, ut aliqui efficiantur membra Christi, sed requiritur alia unio.*

V. *Huma-*

V. *Humana natura in Christo, vere est Christus: Natura humana in Christo est persona Christi: Ratio suppositalis determinans humanam naturam in Christo, non realiter distinguitur ab ipsa natura determinata.* Sæcul. XV. A. C. 1435.

VI. *Natura humana assumpta a Verbo ex unione personali, est veraciter Deus naturalis & proprius.*

VII. *Christus secundum voluntatem creatam, tantum diligit naturam humanam unitam personæ Verbi, quantum diligit naturam divinam.*

VIII. *Sicut duæ Personæ in divinis sunt æqualiter diligibiles, ita duæ naturæ in Christo, humana & divina, sunt æqualiter diligibiles propter personam communem.*

IX. *Anima Christi videt Deum tam clare & intense, quantum clare, & intense Deus videt seipsum.*

§. CXLVIII.

Hæ propositiones a Basileensi Synodo damnatæ.

Omnes hasce propositiones, pluresque alias ex eadem radice pullulantes, atque in prædicto libro contentas Synodus tanquam erroneas in fide damnat, unacum ipso libro, ex quo decerptæ erant, necnon cum omnibus tractatibus, quos *Trithem. & Bellarm. de script. Eccleſiaſt.*

Sæcul. XV. A.C. 1435.

Auctor in operis sui defensionem con- scripsit. Nec tamen propterea Patrum personæ Auctoris præjudicare intende- bant, quoniam, etsi debite a Synodo vo- catus non comparuisset, æquas tamen absentiæ suæ causas allegavit, suamque doctrinam, cunctosque libros suos judicio Ecclesiæ submisit. Hic anno a Christo nato supra millesimum quadringentesimo quadragesimo tertio, seu ex aliorum opinione, Anno millesimo quadringentesi- mo quadragesimo quinto ex hac vita migravit, præclaris virtutum signis de- coratus.

Conc. Basil. append. 1. art. 16. tom. 12. 2. conc. p. 824.

§. CXLIX.

Decretum Synodi adversus Venetos.

Bonfin. 3. decad. 3.

Hoc item anno prope ad finem vergen- te die vigesima secunda Decembris Basileenses generalem instituerunt con- gregationem, in qua Synodus sententiam protulit contra Venetos, qui omnes ter- ras Ludovico Duci Patriarchæ Aquile- jensi ablatas restituere jubebantur, eo- rum Duci, Consiliariis, Nobilibus, & Pro- curatoribus indicta excommunicationis pœna, atque interdicti populo infli- gendi. Ergo Synodus præcipiebat Ve- netis, ut urbem, arcem, terras, prædia, cunctaque alia bona, quæ ab Aquilejensi Ecclesia occupaverant, redderent; Pa- triar-

triarcham ſuæ Sedi tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus reſtituerent, eumque in pacificam poſſeſſionem reducerent, ſpe facta, eos, ſi hæc præſtitiſſent, in Eccleſiæ ſinum recipiendos, & delictorum ſuorum veniam promerituros. Venetos huic Synodali decreto tardius morem geſſiſſe, nec Ludovicum Ducem ante mortem ſuam, quæ non multo poſt acciderat, ad Eccleſiam ſuam rediiſſe, conjicere pronum eſt. Suffectus eſt eidem Vitalis, ſeu ut alii volunt, Vitellius, qui licet Patriarchæ Alexandrini titulo inſignitus, nihilominus ob odium in Venetos Pontifici æque ac Concilio conſtanter obluctabatur. Sæcul. XV. A. C. 1435.

§. CL.

Comitia Francofordienſia pro reformatione Imperii.

Die ſexta Decembris Sancto Nicolao ſacra Sigismundus Imperator coacto Francofordiæ Principum conventu de reformatione Imperii agere cæpit, eum in finem, ut quilibet cognita muneris, ſtatusque ſui ratione atque officio, eidem fidelius ſatisfacere ſtuderet. Aſt Cæſar nil niſi monita dare poterat; ceterum media, quibus eorum executionem urgere poſſet, ab illorum dependebant arbitrio, qui, cum ipſimet prima Imperii

Sæcul. XV. A C. 1435. subsellia occuparent, Sigismundi justis obtemperare cunctabantur. Hæc reformatio forsitan magis expedita fuisset, si Carolus IV. Sigismundi Pater (etsi non raro de Imperii corruptelis, ac sinistris Principum, & supremorum Magistratuum consiliis quereretur) imperii bona in Electores non distraxisset, eo consilio, ut illi post ejus fata regnum in Wenceslaum filium suum natu majorem transferrent, licet hujus dignitatis prorsus indignus, Imperii splendorem potius obfuscare, quam illius onera sustinere posset. In hoc conventu sexdecim proponebantur articuli, futuræ reformationis capita, quorum observatio imminentem Imperii ruinam averteret. Quoniam vero Principum, qui convenerant, numerus oppido exiguus fuerat, Imperator animo constituit, conventum ad duodecimam Martii diem anni sequentis in eadem urbe, vel Ratisbonæ indicere.

§. CLI.

Prælium in Lithuania Livoniensibus funestum.

Hoc eodem Anno millesimo quadringentesimo trigesimo quinto Suitrigello, & Sigismundus, quorum prior Ladislai Jagellonis Regis, alter Ducis Vitoldi frater erat, de Ducatu Lithuaniæ con-

contendebant, & cruento admodum prælio in Lithuania Autumni tempore dimicabant. Partes Sigismundi præcipue adjuvabant Poloni; Suitrigello autem cum Equitibus Livoniæ fœdus iniit, atque in aciem descendit: Sed Marte perquam infausto: nam prælio victus, ægerrime cum exiguo admodum Russorum numero, funestæ cladis reliquiis, fuga elapsus est, cæsis omnibus suis Equitibus, ipsoque Livoniensium Magistro, & Georgio Novogardiæ Principe desideratis. Parta Victoria duo millia (*) equorum Sigismundo Victori in prædam cesserunt; Dux Massoviæ, qui sub Sigismundi signis militaverat, in arena cecidit; & Supremus Equitum Magister, comperta fratrum suorum cæde, creatum a se Magistrum cum ducentis Equitibus in Livoniam misit, sed qui superfuere ex Livonia fratres, hosce recipere noluerunt, nisi prius Maresçallus de Puteo *, quem ipsi Magistrum elegerant, confirmaretur.

Sæcul. XV. A.C. 1435.

* de Puys

§. CLII.

Turcæ ab Hungaris devicti.

Sub idem tempus Albertus Austriæ Dux, qui Sigismundi Imperatoris soceri sui copiis

Krantz. c. 36

(*) *Aliorum Historicorum fide, viginti millia equorum numerabantur.*

Sæcul. XV. A. C. 1435.

copiis præerat, Turcas ex Hungaria feliciter propulsavit. Hæc victoria a Christianis reportata merito militis unius gregarii fortitudini in acceptis referenda: hic enim, cum jamjam abjectis militaribus signis, Christianos Turcarum armis ultra resistendo impares, fugam meditari conspiceret, arrepta securi sua tam valido impetu in obvios sibi Turcas irruit, ut eorum plurimos trucidaret, & per occisorum cadavera sequentibus se Hungaris viam sterneret, qui signa prius deposita denuo levarunt, & hostiles copias insecuti octodecim Turcarum millia interfecerunt, plurimosque eorum captivos secum abstraxerunt. Sigismundus percepto tam prospero prælii successu militem, qui tam invicta fortitudine Christianorum exercitum periculo subduxerat, ad se vocavit, ac Equestri nobilitate decoravit, additis etiam prædiis, & possessionibus, quibus dignitatem tueretur.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER CVII.

EUGENIUS IV. PAPA.
SIGISMUNDUS OCCIDENT. JOANN. VII. PALÆOLOGUS ORIENT. IMPERATORES.

§. I.

Neapolitani Regni inveſtitura Alphonſo ab Eugenio denegata.

Sæcul. XV. A.C. 1436.

Confirmaverat equidem Eugenius Papa Renatum Andegavenſem in jure, quo Regni Neapolitani hæres nuncupabatur. Attamen Alphonſus Arragonum Rex immoderata ejusdem regni potiun-

Sæcul. XV. A.C. 1436.

potiundi cupiditate agitatus, Duce Burgundo Renatum adhuc captivum detinente, opportunam nactus est occasionem, qua libere regnum invaderet, atque a potissima Neapolitanorum parte Rex proclamaretur. Cum vero hoc solium recens obtentum infirmis admodum niteretur fulcris, & aliunde Renati Andegavensis Fautores vehementer sese opponerent, Alphonsus Eugenii Papæ gratiam aucupaturus, se eidem adversus inimicos suos auxilio futurum promittit, atque ab Eugenio, quamvis id genus obsequii respuente, nihilominus Regni Neapolitani investituram postulat, qua denegata Rex, quæ precibus obtinere non poterat, minis extorquere molitur, illis tamen nequaquam constantem Eugenii animum flectere poterat; Hic enim Renati Andegavensis jura tueri sollicitus, ægerrime ferebat, hunc insuperhabita inhibitione ab Alphonso opprimi, & malis ejus artibus a regno excludi, cujus tamen legitimus hæres a Joanna Regina nuncupatus esset. Etenim, licet Alphonsus, ut obtendebat, ab eadem Regina adoptatus fuisset, nihilominus hæc adoptio justissimis ex caussis, & juxta legis præscriptum revocata fuit, nec ipse, quam allegabat Martini Pontificis confirmationem proferre, nec illa in Ecclesiæ Romanæ tabulariis reperiri, imo nec ullus,

Surita hist. Arragon. l. 14.

ullus, qui de ea teſtimonium redderet, teſtis produci poterat. Pontifex his rationibus motus ad iteratas Alphonſi querelas reſpondit, ſiquid juris ad regnum ſe habere exiſtimaret, depoſitis armis, belloque dirempto illud coram Sede Apoſtolica proſequeretur. Sæcul. XV. A.C.1436.

§. II.

Alphonſus favorem Concilii aucupatus.

Alphonſus hoc reſponſo vehementius commotus, publice Pontificem redarguit, merita, quæ Sedi Apoſtolicæ præſtitiſſet, exaggerans; quamvis, ſi quæ eidem contulit, potiſſime proprium commodum reſpexiſſet, nec ita pridem Terracinam, quæ urbs ditionis Eccleſiaſticæ pars erat, a ſe occupatam reſtituere renuiſſet. Itaque ut acerbius adhuc Papam vexaret, Baſileenſi Synodo adhærere decrevit; quem in finem datis literis Patres hortatus eſt, ut cuipiam negotium darent, qui Romam, & reliquas Romanæ Eccleſiæ ditiones invaderet, ſe quoque eidem validam opem præſtiturum, ut ambo junctis viribus hæc bona ſacræ Sedi vel Eccleſiæ denuo aſſererent. Aſt ſpecioſo ſub hoc obtentu re ipſa Eccleſiæ ſtatum ſibimetipſi vendicare meditabatur. Poſtea iteratis ad Papam literis *Surita hiſt. Arrag. l. 14.*

Sæcul. XV. A.C. 1436.

ris eundem inducere satagebat, ne fili in Regno Neapolis adipiscendo obsisteret sed potius decretis Basileensis Synodi ad hæreret; alioquin se Deum judicem Cardinales omnes, universamque Eccle siam testaturum, nemini alteri, præte quam Eugenio imputandum, si gravio exinde mala imposterum Ecclesiæ im minerent, utpote quæ nonnisi ex Pont ficis pervicacia orirentur. Extat insu per alia Alphonsi epistola ad Synodum Cajetæ die octava Martii scripta, qu summis laudibus extollit Patrum studi quæ ad fidem Catholicam amplificar dam, & hæreticorum reductionem pro movendam hucusque indefesso conatu impendissent: se quoque nihil non actu rum spondet, ut eis pro viribus succur rere, ac quodammodo laborum, quos pr utilitate Ecclesiæ susceperunt, particeps fieri posset, *Legationem nostram*, inquie bat, *omni auctoritate insignem ad sacratis simum cœtum vestrum mittere decrevimus ut si totius diei pondus & æstus non por tavimus, saltem bonam magnamque ejus par tem sustineamus . . . omnes reverendos & venerabiles Prælatos, plurimosque sacrarum literarum interpretes ac doctores hortamur & in quantum in nobis est, compellimus, ut pro tam pio negotio facilius consummando brevi ad vos proficiscantur.* Eam ob caus sam in Hispanias quoque Insularum Majo ricarum

Append. I. Conc. Basil. tom. 12. art. 101. p. 994.

ricarum Rectorem misit, qui Episcopos & Prælatos Basileam ire recusantes, omnibus bonis exueret. Sæcul. XV. A.C. 1436.

§. III.

Sessio vigesima tertia Basileensis Synodi.

Celebrata est die vigesima quinta Martii Basileensis Concilii Sessio vigesima tertia, in qua Patres articulos de reformatione, qui in Sessione quadragesima Synodi Constantiensis quasi perfunctorie attingebantur, jam serio studio pertractabant. Itaque decernebant. I. *Quotiescunque Sedem Apostolicam vacare contigerit, Cardinales omnes decima die, postquam vacaverit, in capellam aliquam prope conclave conveniant; Inde præcedente Cruce, bini cum devotione cantando, VENI CREATOR SPIRITUS incedentes, locum conclavis ingrediantur: quo nonnisi duos Clericos quilibet introducat, quorum unus sit Notarius.* Quibus peractis fores Conclavis claudantur, ac quodcunque aliud commercium Cardinalibus interdicatur, ut solitudinis quiete ad recipiendam Spiritus Sancti unctionem, qui ejusmodi electiones semper dirigere debet, aptiores efficiantur. Quod idem jam sub Alexandro III. in Concilio Lateranensi III. sapientissime statutum legimus. In præ- *Lab. Conc. tom. 12. p. 557.*

Sæcul. XV. A.C. 1436.

senti decreto additur: quod Cardinales *antequam scrutinium inchoent, antepositis sanctis Evangeliis jurent, eum eligere in Pontificem, quem credent universali Ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus utilem, & tantæ dignitati idoneum.*

§. IV.

De Professione Fidei a Papa emittenda.

Labb, ibid. pag. 558.

II. Synodus statuit, quod electus in Papam illico professionem fidei emittat juxta formam in Sessione XXXII Concilii Constantiensis præscriptam: *Ego N. electus in Papam, omnipotenti Deo, cujus Ecclesiam suo præsidio regendam suscipio, & beato Apostolorum Principi cui de & ore confiteor, & profiteor, quod, quamdiu in hac fragili vita constitutus fuero, me firmiter credere, & tenere fidem Catholicam, secundum traditionem Apostolorum, generalium Conciliorum, & aliorum sanctorum Patrum, maxime autem Sanctorum octo Conciliorum universalium, videlicet primi Nicæni, secundi Constantinopolitani, tertii Ephesini, primi & quarti Chalcedonensis, quinti & sexti item Constantinopolitani, septimi Nicæni, octavi quoque Constantinopolitani, necnon Lateranensis, Lugdunensis, Viennensis, Constantiensis & Basileensis generalium etiam Conciliorum, & illam sanctam*

usque ad unum apicem immutilatam ſervare & usque ad animam & ſanguinem defendere & prædicare. . . . Juro etiam proſequi celebrationem Conciliorum generalium, & confirmationem electionum, juxta decreta ſacri Baſileenſis Concilii.

Ne vero lapſu temporis hæc tam ſalubris inſtitutio de memoria ſummi Pontificis elabatur, decretum fuit, *ut ſingulis annis die, quo anniverſarium electionis vel coronationis ſuæ celebratur, intra Miſſarum ſolemnia primus Cardinalis publice, & alta voce coram ſummo Pontifice eam relegat,* eumque admoneat, ut ad promiſſa diligenter attendere, & prædicta omnia pro honore Dei & ſalute animæ ſuæ, necnon utilitate univerſalis Eccleſiæ omni virium contentione obſervare curet. Idem hoc decretum prolixo admodum ſermone reliqua Pontificiæ dignitatis officia proſequitur, v. g, *Ne ſummus Pontifex ſanguinis trahi videatur affectu magis quam judicio rationis, ne ullum de cetero conſanguineum, vel affinem usque ad tertium gradum incluſive, Ducem, Marchionem, Comitem, vicarium, gubernatorem civitatis, caſtri, fortalitii aut loci Romanæ Eccleſiæ faciat, nec ſuper his jurisdictionem, ſeu poteſtatem aliquam habere permittat, ut, ſcandalis obvietur, quæ (experientia teſte) ſæpe ſecuta ſunt.*

Sæcul. XV. A.C. 1436.

§. V.

Numerus Cardinalium a Synodo ſtabilitus.

Labb. Conc. to. 12. p. 562.

Synodus primum Articulum de Cardinalibus a Concilio Conſtantienſi præſcriptum executioni dare conſtituit: quapropter Purpuratorum numerum ad viginti quatuor tantum reſtringit, ne eorum numerus (verba ſunt ipſius Concilii) *gravis ſit Eccleſiæ, nec ſuperflua numeroſitate vileſcat.* Præterea ſanxit, *quod his omnibus Chriſtianitatis regionibus aſſumatur; ut notitia rerum in Eccleſia emergentium facilius haberi, & ſuper his maturius deliberari poſſit.* Dein præſcribit, quos *ſint Viri in ſcientia, moribusque ac rerum experientia excellentes, inter eos quoque aliqui poſſint eſſe, Filii, fratres, aut Nepotes Regum, ſeu magnorum Principum.* Nimium quoque erga ſanguine junctos affectum exulare omnino vult, decernens, *ut non fiant Cardinales Nepotes Romani Pontificis, aut alterius Cardinalis viventis.* Præter hos excludit illegitime natos, corpore vitiatos, aut alicujus criminis vel infamiæ nota reſperſos. Item ſtatuit, ut prædicto Cardinalium numero etiam de Græcis, quamprimum Romanæ Eccleſiæ uniti fuerint, inſignes aliqui Vi-

Viri adjici possint; Non tamen, inquit, Cardinalium tam Latinorum, quam Græcorum electio fiat per solam Pontificis nominationem, vel quamcunque aliam secretam instigationem, sed per viam scrutinii, *ut majorem partem Cardinalium per subscriptionem manus propriæ collegialiter consensisse constet* (*). Demum eodem decreto præscribitur ætas in eligendis requisita, bona, quæ ab Ecclesia percipere possent, & munia, quibus defungi deberent. Statuit ergo Synodus, ut recens eligendi non minores sint triginta annis; hac enim ætate judicii maturitatem, ac sani consilii copiam in eis præsumebat. Quoad bona vero sancitum, ut *de reditibus seu proventibus terrarum Romanæ Ecclesiæ medietas ad Cardinales pertineat.* Præcipuas tandem eorum functiones his verbis complectitur: *gravia & ardua negotia* nonnisi, *de ipsorum consilio, & directione fiant;* omnes literæ Apostolicæ 'ac Pontificum Bullæ eorum sigillo muniantur; demum credant se esse, ut

Sæcul. XV. A. C. 1436.

(*) Decretum Basileense Pontificis nominationem non excludit, sic enim habet: *Non fiat Cardinalium electio solum per auricularia vota, sed illi solum assumi possunt, in quos facto vero scrutinio ac publicato, majorem partem &c.*

Sæcul. XV. A.C. 1436

ut reipsa sunt, Pontificum consiliarios, ac collaterales in auxilium administrandæ ac regendæ Ecclesiæ vocatos.

§. VI.

De Electionibus, & reservationibus.

Labb. Conc. to. 12. p. 566.

Ultimo tandem Synodus præscribit ri- tum electionum, ac præcipit, ut omnino liberæ sint juxta anteriorem sessionis decimæ dispositionem; omnesque gratias expectativas, mandata, aliasque consimiles beneficiorum reservationes, quas Pontifices Romani antea in sui compendium facere consueverant, penitus abrogat, ac irritas declarat. Ex ejusmodi enim beneficiorum reservationibus nonnunquam funestæ Ecclesiis infligebantur calamitates; nam vota concaptandæ mortis nascebantur; quoniam illi ipsi, in quorum gratiam ejusmodi reservationes fiebant, tædio affecti, quod possessor beneficiorum diutius, quam expectassent, vitam protraheret, plerumque de illo tollendo cogitabant, aut saltem ejus mortem secreto exoptabant. Quibus id insuper accedebat incommodi, quod raro aliquod vacare posset beneficium, nam Pontifices ante possessoris mortem de successore providebant (*).

Expi-

(*) *Hasce nævias Continuator noster dem*

Equidem, inquit Abbas Fleurius, *Concilio Lateranensi III. anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo nono, beneficiorum non vacantium proviſiones inhibentur, quum ſint veluti diſpoſitiones de hæreditate viventium, & alienæ mortis captationes. Sed, proſequitur, Curia Romana, Papam ſupra Canones eſſe præcepit, & beneficia nondum vacantia conferendi duo modi ſunt excogitati exſpectativus, ſcilicet, & reſervativus.* Utrumque autem Baſileenſe Concilium in hoc loco damnat. Sæcul. XV. A.C. 1436. *Inſtitut. Juris Eccleſiaſt. part. 2. cap. 15. §. 4.*

Expectativa, inquit idem Auctor, *eſt certa ſpes præbendæ, v. gr. in certa Eccleſia Cathedrali, quandocunque vacaverit, obtinendæ a Papa Clerico facta. Quod quibus gradibus invaluerit, oſtendit Thomaſſinus. Principio Papa Clericos, Roma venientes, vel meritis graves ſolum commendavit Prælatis: quibus quum gratificarentur Prælati ſemel atque iterum, quadam religione inſita; commendationes frequentabantur, & nonnunquam ſusquedeque habebantur.* *Idem ibid.*

Unde

---

ex ſuo Edmundo Richerio deſcripſit, mirum tamen tantæ eruditionis virum ignorare potuiſſe, ſummos Pontifices tot ac rigidis admodum legibus, ejusmodi voto cruento providiſſe, & quis demum legislator peccandi licentiæ, etiam ex bonis occaſionem mutuanti plene obviare paterit?

Sæcul. XV. A. C. 1436.

Unde preces abierunt in mandata; monitoriis enim (sic primas literas adpellabant) jungebantur præceptoriæ, *quas excipiebant* executoriales, *quibus delegato judici imperatum, ut collatorem ordinarium vi adigeret ad conferendam homini Roma missso præbendam a Papa concessam, aut illo tergiversante ipse conferret: quæ coactio sæpe in excommunicationem desiit.* Hic usus a sæculo XII invaluit.

Reservatio proprie loquendo est declaratio Pontificis, qua profitetur, se huic vel illi Ecclesiæ provisurum, si quando vacaverit, simulque capitulo electionem, vel collatori collationem interdicit. A reformationibus specialibus facilis transitus fuit ad generales, ut Joannes XXII ineunte sæculo XIV primam Cancellariæ suæ regulam scriberet omnium per Christianum Orbem Cathedralium reservationem.

Obicem his posuere Concilia Pisanum, Constantiense, & Basileense, ubi permissi duntaxat exspectantiis, reservationes generales, ac speciales prohibitæ fuere. Hoc jus migravit in Pragmaticam, & inde in concordatum, quibus nomine reservationum omnes collationes anticipatæ intelliguntur: donec Concilium Tridentinum omnes una ex Ecclesia proscriberet. . . . . Consilium Basileense exceperat reservationes In CORPORE JURIS expressas, quas usus restrinxit AD VACANTIAM IN CURIA, quod jam

jam Innocentii III temporibus observatum le- Sæcul. XV.
gimus. Papa igitur beneficia, quorum ti- A. C. 1436.
tulares vel in Curia, vel duorum dierum iti-
nere a Curia decedunt, solus confert. Hucusque Fleurius.

§. VII.

Sessio vigesima quarta Basileensis Synodi.

Sessione XXIV habita die Sabbati decimo octavo Calendas Maji, id est, decima quarta Aprilis, confirmatæ sunt promissiones, quæ ab Oratoribus Synodi Imperatori Græcorum, & Patriarchæ Constantinopolitano factæ fuerunt, eademque occasione approbata sunt capitula Synodales inter, & Græcorum delegatos concluſa. Quibus peractis promulgabantur securitatis literæ a Synodo Græcis ad Concilium generale accessuris concessæ. Tandem etiam publicata est indulgentia, seu remissio omnium pœnarum semel in vita, & in mortis articulo iis indulta, qui ad promovendum sanctissimum opus unionis inter utramque Ecclesiam subsidio aliquo concurrerent. Ex Actis Augustini Patricii discimus, huic Sessioni decem duntaxat Episcopos, & Abbates tredecim interfuisse, atque huic indulgentiarum decreto acriter restitisse Eugenii Papæ Legatos San-

Labbe Conc. to. 12. p. 567.

Act. Patric. Conc. gener. tom. 13. p. 1541.

Sæcul. XV
A. C. 1436.

ctæ Crucis, & S. Petri ad vincula Cardinales.

§. VIII.

Legati Pontificis indulgentiarum Decreto obluctantes.

Iidem enim in quadam Congregatione Generali die undecima Maji celebrata hoc decretum neutiquam tolerandum esse demonstrant, I. quia ejusmodi indulgentias nonnisi quæstus ac lucri causſa indictas esse suspicio foret. II. *Quia nisi suspenderentur, Regnum Cypri & Insula Rhodi terrarum Christianorum fortissima propugnacula, ex hoc & scandalum, & gravem jacturam paterentur;* & si semel publicatis ejusmodi indulgentiis quocunque fato Græcos ad Synodum non venire contingeret, horum absentiæ causſa omnino Pontifici & Synodo imputaretur. Prius itaque quam concederentur indulgentiæ, certum debere esse adventum Græcorum. Pariter nomine Eugenii Papæ hi duo Legati a Basileensibus instanter postularunt, ut pro futuro Concilio locum juxta conventionis sancitæ leges mature designarent. Ad hæc promittebant Patribus, Eugenium, si cum illo de loco Concilii convenire vellent, sexaginta aureorum millia pro Imperatoris suorumque itinere necessaria suppeditaturum. Graviter de-

qu

que querebantur adversus Decretum de electionibus, confirmationibus, & Annatis, quod pari modo, ac decretum de indulgentiis abolendum inquiebant, eoquod de utroque justa Pontificis indignatio provocata esset. Sæcul. XV. A. C. 1436.

§. IX.

Responsum Synodi ad Eugenii querelas.

Hisce Legatorum Eugenii querimoniis respondebant Patres, sua decreta juste sancita esse, ac se in omnibus modo idoneo, atque in ejusmodi rebus usitato processisse; de eligendo autem loco Synodum opportuno tempore provisuram, atque interim invicto labore unionis negotium promoturam.

Imperator Græcorum, postquam ea, quæ in hac Congregatione actitata, atque concluſa fuerant, Constantinopoli acceperat, Patriarchis, atque Ecclesiarum Orientalium Metropolitis necessarias demandatæ facultatis literas expediri jussit, illis consignandas, qui horum nomine ad Occidentalem Synodum mittendi forent. Basileenses quoque haud segnius, quæ Græcis promiserant, implere studebant, hancque in rem cum Nicolao de Montano agebant, qui constituto triginta millium octingentorum ducatorum pretio qua-

Sæcul. XV. A. C. 1436.

quatuor triremes, & trecentos balliſta-rios ſe ſuffecturum recepit; tale enim præſidium Synodus ad cuſtodiam urbis Conſtantinopolitanæ Græcis ſpoponderat.

§. X.

Congregationes de ſeligendo loco Concilii in cauſſa unionis celebrandi.

Agibatur adhuc de Concilii Oecumenici loco, ad quem Græci convenirent; in hoc enim ſolo negotii cardo vertebatur, & hac ſuper re pluribus in Congregationibus totam, quæ ſuperfuit, anni partem multum deliberatum, nihil concluſum eſt. Prælati duntaxat, quorum ſuffragia plusquam duas tertias æquabant, Baſileam pro celebrando Concilio nominabant, ea tamen lege, ut ſi Græci hanc urbem recuſarent, ad id ſaltem permoverentur, ut Avenionem, vel in Sabaudiam ſe conferrent, quam ipſimet has inter urbes propoſuiſſent: Aſt hoc negotium nonniſi anno ſequenti deciſum videbimus.

§. XI.

Alphonſus a Vitelleſcho Italia pulſus.

Interim Alphonſus Arragoniæ Rex nihil omittens eorum, quibus poſſet rebus

Euge

Eugenii extremum exitium afferre, urbem etiam Romanam copiis ſuis cinctam vix non armis ſubegiſſet, niſi Vitelleſcus, Florentiæ Archiepiſcopus, & Patriarcha Alexandrinus, Vir bellicæ rei experientia ac gloria, etſi præter ſtatus ſui conditionem, præclariſſimus, Alphonſi arma, adſpirante fortuna repuliſſet, qui omnium opinione poſt tot, quas reportavit victorias, potuiſſet facile Alphonſum toto Neapolis Regno pellere, ſi in conſervanda ſuorum amicitia ſtudioſior, atque in condonandis inimicorum injuriis tardior fuiſſet. Geminum vero hoc Vitelleſchi vitium Renatum Andegavenſem a Regno prohibuit, quod ei Eugenius, ſi ſibi liberum fuiſſet, brevi totum aſſeruiſſet: Ceterum Romani ob plæclara in eorum patriam hac occaſione geſta facinora, gratum oſtenſuri animum, Vitelleſco equeſtrem ſtatuam in Capitolio erexerunt, ac denique Eugenius Pontifex anno ſequenti, ſimultate cum Baſileenſibus jam inchoata, eundem in præmium meritorum, cum ejus victoriis integer pene Eccleſiæ ſtatus recuperatus fuiſſet, Cardinalem creavit.

Sæcul. XV. A. C. 1436.

Blond. 3. decad. 7.

§. XII.

Seminarium Clericorum ab Eugenio Florentiæ inſtitutum.

Igitur Eugenius Bononia Vitelleſci armis

Sæcul. XV. A. C. 1436.

mis recuperata, eo se contulit, inde rebus suis faciliori negotio consulturus. Florentiæ instituit Scholam Clericorum, qui sub quodam Rectore in cantu Ecclesiastico, & latino idiomate imbuerentur. Assumebantur autem nonnisi Juvenes bonis moribus præditi ex legitimis natalibus orti, decimum aut decimum quintum ætatis annum agentes, qui ibidem permanerent, donec sacro Presbyteratus ordine initiati essent. Incumbebat Episcopo eisdem ad sustentationem necessaria suppeditandi sollicitudo. Haud absimile Collegium Petrus Burdigalensis Archiepiscopus instituit in commodum duodecim pauperum, qui per decennium literis erudirentur, eo fine, ut postea ad Sacerdotium promoti Ecclesiis inservirent. Pia hæc, ac saluberrima instituta ansam præbuisse videtur Concilii Tridentini Patribus, ut evoluto centum & amplius annorum curriculo in qualibet Diœcesi ejusmodi Seminaria erigi præscriberent.

§. XIII.

Iglaviæ Conventus pro concordia Bohemorum.

Hoc eodem anno concordiam cum Bohemis in Conventu Iglaviæ Olmucensis Diœcesis civitate indicto stabili-

tam

tam reperimus. Intererant ipse Sigismundus Imperator unacum Alberto Austriæ Duce ejus genero, necnon iidem Concilii Basileensis Deputati, Philibertus Constantiæ in Normannia Episcopus, & Joannes Polemar, aliique eorum socii: Bohemi jam antea illos quadraginta quinque sectæ suæ articulos ad quatuor duntaxat restrinxerant: Nunc vero tribus adhuc neglectis, uni soli de communione sub utraque specie acriter institerunt. Sæcul. XV. A. C. 1436.

§. XIV.

Communio sub utraque specie Bohemis permissa.

Verum circa hunc quoque articulum concordia restituta est sequenti decreto: *Bohemis ac Moravis Ecclesiasticam unitatem, pacemque complectentibus, sequeque in ceteris omnibus præterquam in usu communionis utriusque speciei, universalis Ecclesiæ fidei ac ritibus conformantibus sub duplici specie panis scilicet ac vini his, qui consuevissent, divinæ Eucharistiæ communicare licebit, donec generale Concilium congregatum diffiniet, & quod utilitati fidelium, salutique congruat, lege in perpetuum valitura constituet. Quo facto, si perseveraverint Bohemi in ejusmodi communionis desiderio, idque missa legatione petierint, sacer conventus Bohemiæ ac Moraviæ sacerdotibus communi-* *Patrit. acta tom. Conc. p. 1541.*

Sæcul. XV. A. C. 1436.

municandi sub utraque specie personas sibi subjectas & in annis discretionis constitutas, & quæ id reverenter postulaverint, libertatem impartietur: ea conditione adjecta, ut inter communicandum plebem publice instruant, non sub specie panis carnem Christi tantum, nec sub specie vini solum sanguinem, sed sub qualibet specie totum & integrum contineri Christum, id est, ejus animam, divinitatem, humanitatem, carnem & sanguinem æque sub una, ac sub altera specie contineri. Porro hanc Bohemorum concordiam Ecclesia potissimum Philiberto de Moniay Episcopo Constantiensi, & Joanni Polemaro Protonotario in acceptis referre debet. Nec Rochisana toto suo fraudum nexu ac cavillationum apparatu hanc pacem quoquo modo labefactare poterat, licet nodum in scirpo quærere conatus fuerit, eo duntaxat fine, ut tam apud orthodoxos, quam vel maxime apud suos magnum sibi nomen pareret.

§. XV.

Unio Bohemorum ab Imperatore confirmata.

Cum Imperator & Albertus Austriæ Dux ejus Gener in Bohemiam redirent, plurimam juxta ac clarissimam Bohemorum Nobilium copiam Ratisbonæ sibi obviam habuere, quos Imperator liberaliter

raliter susceptit, & quæ de Religione nuper conventa fuerant, rata habuit, postquam ipsi fidem suam novo sacramento Cæsari obstrinxissent. Coapcho, & Joannes Rochisana Bohemarum turbarum incentores sibi timentes, eoquod sua nomina pactorum articulis haud inserta noviſſent, & ipsi Ratisbonam veniunt, Cæsaris pedibus advolvendi. Sigismundus, cui unice pax cordi erat, non vulgaribus clementiæ signis utrumque affecit: Nam Coapcho tam pro se, quam pro Equitibus sibi adhærentibus præter illorum, quæ gesta erant, perpetuam oblivionem, obtinuit, ut quilibet eorum tuto suos lares, & bona repetere posset. Rochisanæ vero Pragensis Ecclesiæ Archiepiscopatus promittebatur, & Sigismundus literis propria manu exaratis eundem Eugenio commendavit, ac illius nominationem Apostolica auctoritate confirmari petiit. Ceterum Bohemos inter & Imperatorem aliæ adhuc pactiones initæ, quibus Ecclesiarum prædia possessoribus jure pignoris relicta sunt, donec pacta pecunia redimerentur; Bohemi vicissim Religiosis, quibus adempta fuerunt monasteria, & exulibus, quibus spes reditus interdicta, ut ad sua integre redire possent, stipulati fuere, ea tamen lege, ut monasteria iniquissimo illo tempore eversa haud amplius reædificari deberent; demum Ecclesiarum Bohemicarum

Sæcul. XV. A. C. 1436

Bonfin. 3. dec. 3.

Sæcul. XV. A. C. 1436.

dispositio summi Pontificis arbitrio relicta est: Orphanis quoque ac Thaboritis, quo huic conventioni accedere possent, sexennii tempus præfigebatur.

Æn. Sylv. hist. Boh. c. 51. Cochl. hist. Hussit. l. 8.

Die duodecima Julii Rochisana cum aliis quatuor Presbyteris nomine totius cleri sibi adhærentis, coram Imperatore in solio suo sedente, obedientiam Romanæ Ecclesiæ spopondit. Postera die Bohemi, Moravique haud absimili solemnitate ab anathemate, ceterisque censuris absoluti, atque in Ecclesiam per Concilii Legatos introducti fuere. Attamen parum abfuit, quin eadem adhuc die pene in irritum conventa cecidissent; nam Rochisana, cum divina celebrarentur, altare accedens, uni, quem jusserat ex laicis adesse, Christi sanguinem ex calice ministrabat, quo facto conventorum fides violata credebatur, adeo, ut quidam ex Synodi Legatis assererent, in aliena Diœcesi id non esse licitum, necnon a Rochisana in eo, quod Sacrum in Ecclesia non sua celebrasset, crimen fuisse commissum. Composita tamen lis est eo ex capite, quo conventum fuerat, *ne paucis pacta violantibus, communis concordia rumperetur.*

§. XVI.

Hæc pacta a Cæsare firmata.

Imperator, qui hæc *concordata* primum quin-

quinta die Septembris regia ſua manu firmaverat, heroicum magnanimitatis ſuæ ſpecimen dedit, dum vocatis ad ſe Bohemorum Principibus, eoquod Nobiles, ceterique regni accolæ multas calamitates ab Huſſitarum exercitu perpeſſi eſſent, liberali manu inter eos ſexaginta millia Imperialium diſtribuit, illisque, quorum greges penitus deſtructi erant, ex Hungaria pecudes adduci juſſit. Sæcul. XV. A. C. 1436.

§. XVII.

Sigismundus Imperator Pragam ingreſſus.

Compoſitis itaque hiſce diſſidiis inteſtinis, ac Religionis bello feliciter extincto, quo ſolidos viginti duos annos totum Bohemiæ regnum, eique adjacentes Provinciæ, necnon nobiliores Septentrionis regiones miſere devaſtatæ fuere, tandem reddita pace Imperator Sigismundus vere regali magnificentia ac ſummo applauſu Pragam ingreditur menſe Septembri, eadem omnino die, ut teſtantur Hiſtorici, qua paulo ante ab ipſis Bohemis exauctoratus fuerat, qui non ſine atrociſſima calumnia, illum ex adulterio natum Antichriſti Filium, ſacrilegum, & publicæ quietis perturbatorem proclamabant. Sigismundus inſidens throno, qui in foro civitatis erectus erat, jurata om-

Sæcul. XV. A. C. 1436.

nium Regni ſtatuum obſequia excepit. Sub primis imperii ſui auſpiciis non deerant, qui eum in ſedandis Bohemorum tumultibus nimis ſegnem communi pene conſenſu criminabantur, progreſſu tamen temporis omnes inter ſe certabant, ut Cæſari digna meritis elogia adſcriberent non ſine invidia aliorum, qui Sigismundum ignaviæ inſimulabant: nonnulli etiam immodicam in eo potiundi regno cupiditatem ſugillabant, cui plurimorum, qui eidem adhærentes bonis ſuis exuti fuerant, ſalutem litaſſe dicitur. Curia Romana, quæ ſemper a prædiorum Eccleſiaſticorum æſtimatione abhorret, conventionis legibus ſeſe oppoſuit (*). Equidem

(*) *Hæc plane minus concordant dictis §. XV, ubi inter ceteras pactiones ſtatutum legitur, quod de diſponendo Eccleſiarum Bohemicarum regimine ſummo Pontifici facultas relicta fuerit, & ipſe Eugenius Sigismundo Roſam auream lætitiæ ſuæ indicem miſerit, ut teſtatur Æneas Sylvius & alii, quod vero prædia jure pignoris occupata usque ad redemptionis tempus poſſeſſoribus relinquenda conceſſerit, qua alia via, prædiis ſemel ex neceſſitate oppignoratis, pecunias ſubminiſtrantibus cautum eſſe poterat? Multa calamitoſo illo tempore piiſſimus Imperator neceſſitate magis quam voluntate admittere coactus eſt.*

dem Pontifex Sigismundo in signum lætitiæ, qua ob tam prosperos successus animus ejus abundabat, rosam auream miserat; Rochisanæ tamen nominationem ad Pragensem præsulatum Apostolico suo diplomate confirmare recusavit, qua repulsa vix non concordia recens nata quasi in ortu suo extincta fuisset, nisi Deputatorum Synodi prudentia de opportuno remedio providisset (*). Secul. XV. A. C. 1436.

est. Plura quoque subreptitie, ut alius antiquus auctor testatur & per niniam importunitatem extorta fuere, alia vero, quæ a quibusdam Sigismundi æmulis ei crimini dantur, formulæ pactionum, quas Cochlæus ex vetusto Codice recitat, nequaquam inserta reperiuntur.

(*) *Intempestive Basileensium gloria hoc loco intruditur, & in ficta Pontificis repulsa velut aqua in pumice quæritur quædam Eugenii cum Sigismundo simultas, cum tamen, Æneæ Sylvio teste, Rochisanam Imperator ipsemet hortatus sit,* ut Romanæ Ecclesiæ se subjiceret, sicque posse Pontificatum committi, superbienti autem de ascensu desperandum esse, quin vel consecratus episcopus ejici deberet. *Opportuniorem locum, si ea enarrare voluisset Continuator, occupassent Sigismundi in Ecclesiam merita, ex eodem enim Sylvio discere potuisset, Imperatoris opera* restitutos fuisse & Cathedralis Ecclesiæ Cano-

Sæcul. XV. A. C. 1426

§. XVIII.

Canonizatio Petri de Lucemburgo a Burgundo petita.

In Append. I. Conc. Basil. to. 12. p. 973.

Rebus interea apud Bohemos e sententia compositis, Philippus Burgundiæ Dux iteratas ad Basileensem Synodum literas dedit, in quibus Petrum de Lucemburgo sibi sanguine junctum Sanctorum fastis adscribi postulabat. Lectæ quidem fuerunt hæ literæ in generali Congregatione nono Martii celebrata: sed quid responsum fuerit a Synodo, non additur: id tamen certum, Petrum de Lucemburgo in Sanctorum numerum non fuisse relatum.

§. XIX.

Canonicos, ac Vicarios & mansionarios, ornamenta altaribus reddita, divinum officium instauratum, cumque nulli essent Ecclesiæ redditus, ex quibus ali templorum ministri possent, Imperatorem jussisse ex fisco Regio per singula Canonicorum capita hebdomadatim aureum nummum distribui, minoribus Clericis dimidium dari. Quæ res annue aureorum sex millia apud Ecclesiam Cathedralem absumpsit. *Tantus pientissimi Imperatoris Zelus sane comprobat, Eugenii repulsam (si quæ fuit) nequaquam parvis negotio obfuisse.*

Sæcul. XV.
A. C. 1436.

§. XIX.

De rebus Galliæ.

Angli vires ſuas in Galliis ab eo, quo Atrebatenſis conventus initus fuit tempore plurimum acciſas, resque ſuas identidem in pejus ruere, probe perſpiciebant. Pariſienſes enim Anglorum ſuperbiam, eorumque avaritiam pertæſi, ac priſcam, qua erga illos ſuæ Nationis Principes utebantur, comitatem ac liberalitatem recolentes, Anglos ulterius ferre haud poterant, ſed anxie commodam jugum excutiendi occaſionem querebant; qua & brevi potiti ſunt; cum enim Angli apud oppidum S. Dionyſii a Conneſtabili prælio devicti eſſent, Pariſienſes cives hac temporis opportunitate utendum rati, cum Victore de urbis, ſuorumque deditione agunt, condonati criminis tabulas obtinent, & ampliori, quam ſperare potuiſſent, favore aucti, necnon confirmatis eorum privilegiis, die Veneris poſt Paſcha Conneſtabilem per portam Sancti Jacobi introducunt. *Polyd. l. 23. Meyer l. 16.*

§. XX.

Lutetia Anglorum poteſtati erepta.

Conneſtabili vix urbem ingreſſo, tota populi multitudo ad arma convolare, & undique in Anglos irruere, quorum *Joan. Cart. hiſt. Carol. VII.*

Sæcul. XV. A.C. 1436. potiſſima pars in publicis plateis miſere jugulata cecidit, reliquis ad arcem, quam Baſtillam vocant, confugientibus; unde nonniſi conditionibus Gallorum votis oppido proficuis liberi evaſerunt. Ita demum Pariſienſis civitas in obſequium Caroli VII Regis legitimi ſui Principis rediit, & fidem ſuam eidem denuo exſolvit, poſtquam in Anglorum poteſtate octodecim ferme annos hæſiſſet. Rex quoque menſe Auguſto ſupremum ſuum Senatum una cum Regiarum rationum Præfectis, & Academia Pariſios revocavit.

§. XXI.

Dux Burgundiæ inglorius Caleti obſidionem ſolvere coactus.

Angli omnem iræ, ac odii ſui vim in Burgundiæ Ducem effuſuri, ejusdem terras invadunt, ac variis artibus ſubditos ad rebellionem incitant, qui aliunde non ſolum amplioris commercii ſpe lactati, ſed etiam inveterato in Gallos odio ea ætate ſtimulati, majori ſtudio Anglis addicti erant. Burgundiæ Dux injuriam ulturus, Caletum, quam urbem nullo negotio, & primo impetu ſe occupaturum credebat, admoto valido exercitu cinxit. Verum Flandri, cum obſidionem non modo diuturnam, ſed expeditionis hujus ſucceſſum prorſus periculoſum proſpice-

spicerent, dolose exitium sibi parari suspicabantur. Quapropter quin timoris sui causas serio discuterent, turmatim convolant, atque adeo tumultuarie vasa colligunt, ut commeatum & tormenta, cum nec plaustra, nec currus, quibus ea imponerent, præsto haberent, hostibus relinquerent. Nec promptius Duci fuit in arena consilium, quam fugientes, ne Angli toto impetu in eos irrumperent, equitum suorum præsidio tueri, & post illos quoque obsidione soluta, gregatim cum suis auffugere; propria quoque ejus uxor ab incolis graves contumelias perpeti coacta est. Post hæc Gloceſtriæ Dux, qui Caletum obsidione liberaturus, & Burgundum aggressurus accurrerat, Duce frustra in castris suis quæsito, Flandriam invasit, & quaquaversum arma sua convertit, totamque regionem, incolis communi consternatione afflictis, rapinis, ferro, flammaque devastavit. Sæcul. XV. A. C. 1436.

§. XXII.

Jacobus I. Rex Scotiæ ex insidiis trucidatus.

Die vigesima Februarii hujus anni Jacobus I Scotiæ Rex a Gualterio Atholiæ Comite ejus Patruo regni ambitione stimulato sub noctem proditorum more occisus est, viginti & octo vulneri- *Boet. l. 7. & 18. Buchan. l. 10. & 11. comm.*

Sæcul. XV. A. C. 1436.

bus inhumana prorsus crudelitate coniol- sus; Regina etiam, quæ corpore suo si- cariis objecto mariti vitam servare cona- batur, duabus plagis affecta fuit: Æneas Sylvius, quem Cardinalis S. Crucis ex Eugenii Papæ mandato, ut conjici licet, in Scotiam decreverat, ut pacem Anglos inter & Scotos conciliaret, ad sumendum de Regis Sicariis supplicium Scotos stre- nue animabat; quapropter hi omnes ca- pitali sententia damnati sunt, ac præci- pue inter eos Gualterus Comes conjura- tionis Auctor inter tormenta, quibus so- lido triduo publice excruciatus est, ferreā candente corona capiti imposita per lucū- brium Rex omnium proditorum appella- batur; tandem vero animam dolorum vi efflavit. Rex Scotiæ antehac Filiam suam Margaritam, renitentibus nequi- quam Anglis, Ludovico postmodum Gal- liarum Regi nuptui dedit. Successorem regni habuit Jacobum II. Filium, qui nec- dum septennium egressus die vigesima septima Martii Rex salutatus est. Verum Scotia Rege nondum per ætatem sui ju- ris facto, gravissimis malis divexata fuit.

Comm. Pii II. l. 1.

§. XXIII.

Secundæ nuptiæ Catharinæ Anglorum Reginæ.

Maier Hist. Fland. l. 16.

In Anglia Catharina Regis Francorum Soror,

Soror, Henrici V. Angliæ Regis vidua, defuncto viro (si Meyero fides est) illicito concubitu duos genuit Filios, Edmundum, & Casparum. Illa enim quemdam juvenem, Ovinum nomine, cui regiarum vestium cura demandata erat, ob eximiam oris speciem insane deperibat, illumque demum in thori societatem seligebat, eo fine, ut ambo ejus filii ingenuis adscriberentur. Si præfati Scriptoris testimonio credimus, Ovinus erat vilis admodum generis adolescens, scilicet Zythopolæ filius. Ast Polydorus testatur, fuisse illum patria Wallum, nobili genere, multisque virtutibus insignem, eique genus suum ad antiquos Britonum Reges referenti Reginam primo occulte nupsisse, ac præter duos illos, de quibus diximus, tertium quoque filium necnon filiam ex eodem suscepisse, ex quibus hæc Religiosarum habitum indisset, ille vero pariter Ordinem S. Benedicti ingressus in juventute ultimum diem obiisset. Ovinus autem post Catharinæ obitum jussu Gloceſtriæ Ducis, Henrici Regis Patrui, Regnique Gubernatoris securi percussus est, eoquod per Reginæ connubium sanguinem suum cum Regio miscere ausus esset.

Sæcul. XV. A.C. 1436.

Polyd. Virg. l. 23.

§. XXIV.

Sæcul. XV. A. C. 1436.

§. XXIV.

De Rebus Sueciæ, & Daniæ.

Krantz 8. *Dan* 21 5. *Suet.* 37.

Postquam Engelbertus, qui ut supra memoravimus, Sueciæ regnum ab Erici Regis vexationibus liberare conabatur, ex insidiis occisus erat, Synodus Basileensis die quinta Octobris concordiæ leges, quas circa Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum privilegia in hoc Regno cum Suecis sanxerat, promulgavit. Pax ista concluſa est ad finem vitæ Laurentii Archiepiscopi, qui contra gravissimam Erici Regis vexationem ipsum Eugenium Papam, & Synodum Basileensem in auxilium vocare coactus est, qui tamen postmodum Erico reconciliatus, ut eundem Regni solio redderet, quamdiu vixit, indefesso prorsus studio adlaborabat. Cum vero ipsemet Ericus probe cognosceret, se Suecis, Danis, & Norwegis, trium suorum regnorum populis, adeo exosum esse, ut ejus subditi sibi fidem, obsequiumque palam denegarent, ac nequidem Bogislaum Pomeraniæ Ducem, qui Patrui sui filius erat, sibi successorem regni nominari permitterent, hinc cum sibi haud amplius in suis regnis tranquillitatis spem supereſſe præsentiret, sive coacte, ut creditum est, sive sponte, ut putari voluit, jam provectæ ætatis senex negotiis sese subduxit, primum in Gotlandiam Insulam,

sive

sive ut vocant, Gothiam, inde in Pomeraniam secessit, ubi pluribus transactis annis obiit Anno salutis millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, ætatis suæ septuagesimo septimo. Non eadem est Historicorum relatio de Regis hujus indole. Æneas Sylvius illum laudibus celebrat: Ast Joannes Magnus eum in Gotlandia piraticam exercuisse, maleque sibi conscium ob perversam Regni administrationem collectis Regni thesauris in præfatam Insulam secessisse tradit, unacum concubina sua, præ ceteris carissima, quæ tamen haud minimam fugæ suæ caussam præbuit.

Sæcul XV. A. C. 1456.

Æn. Sylv. Europ. c 33. Joan. Magn. l. 22.

§. XXV.

Acta Concilii in caussa unionis Græcorum.

Currente eodem anno in mense Novembri Basileæ habita est congregatio Generalis, Præside Cardinale Juliano; in qua Synodus Montanam Tribunum, collata militari clava, Supremum Ecclesiastici exercitus vexilliferum creavit. Quosdam a Basileensibus nominatos fuisse meminimus, quibus datum negotium, ut de opportunitate urbium, quas proposuerant, docerent, necnon in viros, qui stipulato fœnore sexaginta ducatorum millia mutua darent, inquirerent, ac de cete-

Patrit. Acta to. 13. Conc. p. 1542.

Sæcul. XV. A.C. 1436.

ceteris, quæ necessaria viderentur, consi-
lium caperent. Quam ob rem frequen-
tes habebantur congregationes, in qui-
bus per plures dies ea, quæ Deputati re-
tulerunt, excipiebant Patres; Quænam
tandem inter illas urbes, quæ propone-
bantur, seligenda, diu, multumque de-
beratum est. Postmodum caussa in par-
ticularibus Deputationibus maturiori exa-
mine discutiebatur, ast rursum difficillimis
obnoxia erat contentionibus, fato semper
omnibus iisque periculosis negotiis so-
lemni. Denique hanc in rem indicta est
Congregatio Generalis, cui trecenti fer-
me quinquaginta septem Prælati, ut
testatur Panormitanus, interfuerunt, &
collecto suffragiorum numero non solum
duplo major pars, prout in sessione IX fa-
ctum novimus, sed longe copiosior suf-
fragantium numerus Concilium Basileæ
celebrandum statuit, dummodo Græcis
dicta civitas arrideret, secus vero, ut Ave-
nionem se conferrent, persuadendos esse,
aut si id omnino fieri non posset, saltem
Sabaudiam vocandos, quam ipsimet Græ-
ci olim pro loco futuri Concilii obtulissent.

Panormit. hist. Concil. Basil.

§. XXVI.

Legati a Synodo ad Eugenium missi de conventis rationem reddituri.

Synodus duos Legatos, nempe Diony-
sium

sium a Salvatore, & Henricum de Dieſt, utrumque Theologiæ Doctorem ad Eugenium Papam decrevit, ut eundem de conventis certiorem redderent. Equidem Oratores isti nulli pepercerunt labori, ut rationibus omni ex parte conquisitis Pontificem in suam traherent sententiam; studiose in memoriam revocabant, quod ipsemet paulo ante Avenionensem civitatem designasset, utpote locum celebrandæ Oecumenicæ Synodo aptissimum. Instanter urgebant, ut ipse, prout pluries iteratis suis literis promisisset, tanto negotio feliciter perficiendo operam suam jungere, & ad locum Concilii per seipsum accedere vellet, concordi cum Patribus studio indulgentias promulgaturus, ac præscripturus decimas, quarum subsidio necessarii sumptus suppeditari possent. Præterea illum obtestabantur, ut Prælatos & Doctores Synodo interfuturos, quo & ipsi advenientibus Græcis in loco Concilii comparerent, adhortaretur, ac omnibus per status Ecclesiastici terras profecturis publicæ fidei tabulas concederet, quas pariter Imperator, Reges, ceterique Principes se daturos promisissent. Sæcul. XV. A. C. 1436.

§. XXVII.

Responsum Eugenii ad Legatorum rationes.

Eugenius Oratorum postulatis responsurus, An. 1437.

Sæcul. XV. A. C. 1437.

surus, Bullam condere noluit, sed duntaxat oretenus spopondit, se Synodo animi sui sententiam per Joannem Archiepiscopum Tarentinum Legatum suum, qui proxime Basileam venturus esset, declaraturum. Sub idem tempus Bonavalensis Abbas, & Raymundus Taloni, quos Synodus pariter delegaverat, supremam manum pacto cum Avenionensium Oratoribus inito imposuerunt. Inter eos enim conventum erat, ut Avenionenses præter illa sex Ducatorummillia, quæ jamjam Triremium Præfecto numerata erant, residua etiam septuaginta, quæ promiserant, millia suppeditarent, postquam Synodus solemne condidisset decretum, quo omnino Basileensis vel Avenionensis, aut quædam alia civitas intra Sabaudiam sita in locum Concilii seligenda firmaretur; Avenionensibus autem permitteret, ut omne id, quod ex indulgentiis, ac decimis nuper injunctis proveniret, per quosdam ad id muneris designandos percipere possent, iisdem emolumentis usque ad integram prædictæ summæ numerationem pignoris loco retinendis.

§. XXVIII.

Adventus cujusdam Legati Græcorum ad Synodum.

Dum hæc geruntur, Imperator Græcorum

rum, postquam unacum Patriarcha Constantinopolitano, & Orientalibus Episcopis in Occidentem proficiſci ſtatueret, Joannem Legatum ſuum ad Eugenium, & ad Synodum miſit, qui pro ſua profectione triremes parari peteret. Eodem anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo menſe Februario ineunte Legatus Baſileam ingreditur, conceſſæ poteſtatis literas, quæ tamen nil niſi privata epiſtola fuerant, Baſileenſibus offert, & explicata mandati ſui ſerie, provinciam ſibi demandatam quatuor præcipue articulis circumſcribi teſtatur, ſcilicet, ut de ſincera Græcorum intentione Synodum edoceret, eosque cuncta, quæ mutuo concluſa fuiſſent, exequi paratos nunciaret: dein ut Patres, ne contraria foverent conſilia, induceret, ſimulque loci qui ad celebrandam Synodum commodus eſſet, electionem urgeret, ac tandem utrum triremes neceſſario apparatu inſtructæ eſſent, inquireret. Sæcul. XV. A.C. 1437.

§. XXIX.

Reſponſum Legato ad alloquium admiſſo a Synodi Præſide datum.

Ad hæc Præſes Legato repoſuit, Patribus nihil antiquius fuiſſe, quam ut de omnibus iſtis debite providerent, jamque conducendis triremibus Præfectum fuiſſe

Sæcul. XV. A.C. 1437. nominatum, ac denique pro loco futur Concilii Basileam, Avenionem vel S baudiam destinatam.

§. XXX.

Obstacula a Legato proposita.

Joannes de harum urbium electione pl ribus conquestus respondet, Græc ob adversam corporis valetudinem, qu plures Prælati gravi senio pressi labor rent, mari Siculo se committere hau posse. Verum dictis facta non constitit eventus docuit; Nam Græci accep Constantinopoli nuntio, quod pro eorum commodo Genuæ ac Pisis triremes i struerentur, ingenti afficiebantur gaudi cum tamen has naves Constantinopol nisi mare Siculum transirent, appelle non posse, perbene cognoscerent. Pr terea subjungebat Legatus, Græcos qu dem pro loco Concilii proposuisse Saba diam; Basileenses vero non alias enum rasse urbes, quam quibus Sabaudiæ Du intra Italiam imperaret. Hoc itide inquit Panormitanus, manifeste falsu est, cum conventio disertis verbis exp meret, quod extra Italiam vel Buda Hungaria, vel Vienna in Austria, v Sabaudia eligeretur: quo tenore Saba diam speciatim inter urbes extra Italia sitas numeratam fuisse constat. Alias

Panorm. de Concil. Basil.

insuper non minus frivolum proposuit dubium, nimirum, quod summum Pontificem in propria Persona Synodo præsidere, omnino necessarium esset; cum tamen in concordia cum Græcis erecta claris verbis legeretur, Pontifici, vel per se, vel per suos Legatos Concilio interventre, liberum esse. Ex his de ore Legati perceptis, plures firmiter sibi persuasum habebant, hunc data opera dissolvendæ unionis ansam aucupari voluisse, aut verba ex aliorum suggestu concepta eo consilio sua feciſſe, ut Græcis speciosum a conventionis fide recedendi obtentum suppeditaret; cuncta enim, quæ allegaverat, omnino conventorum articulis opponebantur. Sæcul. XV. A.C. 1437.

§. XXXI.

Legati dicta a Synodo flocci habita.

Synodus, quod res erat, suspicata eorum, quæ Legatus exposuerat, nullam habuit rationem, ea potissimum ex caussa, quod Legatus demandatæ sibi provinciæ fidem suspectam reddidisset, cum nonnisi simplici mandantis epistola munitus comparuisset. Nihilominus ille ore ac calamo auctoritatem suam, ac dictorum fidem vindicare conatus est, & die quarta Februarii satis prolixam, ac latino sermone conceptam apologiam edidit. Sy-

Sæcul. XV. A.C. 1437.

nodi Præſes inſuperhabita Legati cunctatione, negotium ulteriori deliberationi commiſit, ac ex præſcripto ſententiæ Concilio emanatæ jusjurandum exegit a Legatis, Avenionem ad id deputatis, ut mutuo datam pecuniarum ſummam pro advehendis Græcis neceſſariam reciperent.

§. XXXII.

Congregatio de cautione ab Avenionenſibus expetita.

Panorm. de Conc. Baſil.

Inter tot negotia, quænam primam ſibi vendicaret Patrum ſollicitudinem, in Synodo deliberatum eſt. Quidam judicabant, ante omnia agendum de indemnitate, quam Avenionenſes petebant, ut de ſeptuaginta ducatorum millibus, quæ mutuo dare offerebant, ſibi idonee caveretur, alii econtra ſentiebant, nonniſi facta integra harum pecuniarum numeratione, petitam cautionem eſſe præſtandam. In diverſa itaque euntibus Baſileenſium ſententiis, ad componendam animorum diſſenſionem in Congregatione Generali die vigeſima tertia Februarii ejusdem anni Synodus ejusmodi inſtrumentum confecit: *Pro felici expeditione Dominorum Ambaſciatorum in Gra-*

ciam

ciam iturorum visa sunt Dominis Deputatis in materia Græcorum infra scripta. Sæcul. XV. A. C. 1437.

§. XXXIII.

Synodale scriptum circa hanc materiam.

I. *Ambasciatores hujus sacri Concilii in Græciam ituri recedant a Basilea versus Avenionem citius, quam fieri possit, nulla decretatione de præsenti expectata: sed deferant secum Bullam, in qua sacrum Concilium polliceatur in hunc modum, in quantum Domini Avenionenses aut alter eorum loco pro Basilea, Avenione, vel Sabaudia, hæc ad triginta dierum spatium a die exitus dictorum DD. Ambasciatorum de Basilea computandorum Capitaneo Galearum satisfacerent de eo, quod a sacro Concilio habere dicitur, videlicet triginta millia & octingenta florenorum de Camera. Et residuum pecuniarum usque ad summam septuaginta millium florenorum de Camera realiter tradiderint in numerata pecunia mutui nomine juxta concordata Ambasciatoribus prædictis ex tunc certificato de his per literas Ambasciatorum eorumdem sacro Concilio & per literas Capitanei, vel ejus Procuratoris legitimi ipsum Concilium intra octo dies a die receptionis hujusmodi literarum immediate sequenti solemni cessione decretabit conclusionem de loco futuri Oecu-*

Sæcul. XV. A.C. 1437.

menici Concilii videlicet Basilea, Avenione, vel Sabaudia factam in suis terminis, prout jacet.

II. Decretabit decimam jam pro dicta materia Græcorum in generali Congregatione concluſam.

III. Decretabit, qualiter dicti DD. Ambaſciatores in Græciam ituri habeant, a eis & eorum majori parte data ſit plena poteſtas eligendi & nominandi juxta decretum in dicta materia Græcorum portum Latinum dictis locis electis aptiorem & propinquiorem, ad quem DD. Græci dicunt ea applicare.

IV. Præter hæc ſuper cautione per Dominos Abbatem Bonavallenſem, Raymundum Taloni dictis DD. Avenionenſibus nomine Concilii oblata, & circa illam dabit ſacrum Concilium literas opportunas.

V. Porro dicti DD. Ambaſciatores noſtri & Avenionenſes tenentur intra duodecim dies poſt lapſum triginta dierum immediate ſequentes certificare legitime dictum ſacrum Concilium de dicta numeratione, & ſatisfactione. Alioquin tunc ipſum ſacrum Concilium poſſit & teneatur ad electionem alterius loci pro Oecumenico Concilio celebrando procedere, ac ſibi & univerſali Eccleſiæ aliunde providere.

VI. Inſuper præfati DD. Ambaſciatores ſacri Concilii & Capitaneus per ſe, vel Procuratorem prædictum debent promittere

tere conjunctim & divisim nomine ipsius sacri Concilii Dominis Avenionensibus, quod casu quo Græci, quod absit, nollent recedere ex terris suis juxta decretata Decreta, & decretanda de locis & portu. Et tunc dicti Ambasciatores, & Capitaneus restituent dictis DD. Avenionensibus quindecim millia pro expensis, & decem millia pro custodia Civitatis Constantinopolitanæ, & sex millia florenorum pro duabus grossis Galeis Græcis deputatis, & omnem aliam pecuniam restantem, quam receperint, & etiam sacrum Concilium transfert eo casu omnem actionem, & omnem obligationem, quas habet contra dictum Capitaneum & suos hæredes, & fidejussores pro prædictis DD. Avenionensibus.

Sæcul. XV. A. C. 1437.

VII. *Postremo, quod de omnibus prædictis, & aliis circa rem accommodatis concessis, & concedendis quibuscunque fieri debeant sub bulla sacri Concilii literæ opportunæ.*

§. XXXIV.

Legati Pontificis huic Decreto obluctati.

Præsens instrumentum suffragantibus plurimorum votis a Synodo conclusum fuit, ablegatis Oratoribus, qui illud Constantinopolim deferrent. Hæc provincia demandata est Lubecensi, Visensi, Parmensi, ac Lausanensi Episcopis, unanimi

Acta Patrit. to. 13. Conc. p. 1542.

Sæcul. XV. A.C.1437.

nimi consensu ad hanc Legationem nominatis. Ergo hi Basilea proficiscuntur, primum Avenionem, dein Constantinopolim ituri, ubi Græcos recipere, & usque ad portum, quo appellerent, comitari deberent. Porro quamvis horum Legatorum nominationi nemo resistere auderet, & instrumentum manibus eorum consignatum potissimis congregatorum suffragiis concluſum fuisset, nihilominus hæc sententia, & agendi ratio, qua Synodus utebatur, Legatis Eugenii Papæ, scilicet Joanni Cardinali tit. S. Petri ad vincula, & Juliano Cardinali Synodi Præsidi minime probabatur; hinc ipsi sollicitantibus nequicquam Synodi Promotoribus, illa die Concilio interesse noluerunt; demumque allegatis absentiæ suæ caussis literas miserunt, quibus instrumento per Deputatos confecto, quantum ad electionem civitatis Avenionensis spectaret, nequaquam adstipulari se posse, Basileensibus significarunt. Interea tamen hi duo Cardinales Basileæ, Avenionis vel Sabaudiæ designationem approbasse videntur; nam ipsimet nomine Concilii ad Papam Eugenium in caussa electionis harum trium civitatum Legati fuere deputati, nec unus eorum illas respuere audiebatur; quinimo Oratores Avenionem, qui cum dictæ urbis civibus paciscerentur, mittendos esse, suo chiro-

chirographo probarunt. Præterea hanc electionem ratam habuisse convincuntur ex eo, quod Legationi in Græciam constitutæ, pluribusque aliis in eadem occasione actitatis suffragati essent (*). Sæcul. XV. A. C. 1437.

§. XXXV.

(*) Certum quidem est, hoc decretum a duplo majori parte fuisse conditum, sed nec inde gloriandi materia nascitur; nam eorum pars nec dignior nec sanior erat, quippe, ut inquit Nat. Alexander Dissert. VIII. n. 57. *ex secundi Ordinis Sacerdotibus fere conflata*, id est teste Spondano, *a tali factione, quæ multitudine & numero se tuebatur, quod advocatis ex vicinis oppidis & civitatibus Sacerdotibus, iisque, qui in familiari obsequio Patrum erant, rogatis in Ecclesiam admissis, superabundaret.* Ex adverso alterum decretum *a Sedis Apostolicæ Legatis, Concilii Præsidibus, & plerisque Præsulibus illis adhærentibus editum est*, teste eodem Alexandro l. c. Præsumptus iste Cardinalium S. Petri & S. Sabinæ consensus in civitatem Avenionensem gratis fingitur: nunquam enim eisdem hanc inconstantiam crimini datam legimus, nullibi eos consensisse, bene tamen constanter reclamasse deprehendimus, ac propterea Eugenius illos in Brevi: *Ex literis*, ac alibi pluribus commendavit. Demus autem eos olim consensisse, certe prudentum Virorum erat mutare consilium. Satis manifeste enim intellexerant, factiosos Basileenses

Sæcul. XV. A.C 1437.

§. XXXV.

Avenionenſes Synodo promiſſam pecuniam exſolvere a Papa prohibiti.

Banorm de Bonc. Baſil.

Synodi Patres hanc Legatorum agendi rationem in meliorem partem interpretati ſunt, ſpe ducti, ſaltem ab eo, qui ceteris majori ſtudio optatum negotii adeo ſalutaris ſucceſſum promovere teneretur, nullo pacto obicem eſſe ponendum. Nihilominus tamen, qui Baſileenſibus adverſabantur, in clandeſtinis artibus conſilium quærebant; nam currente triginta dierum intervallo, quo pactum cum Avenionenſibus ſancitum perficeretur, in eandem Urbem Archiepiſcopus Grana-

non Græcorum ad conjunctionem cum Romana Eccleſia alliciendorum ſtudio, Avenionem pro loco Concilii decreviſſe, ſed, ut ait Raynaldus ad hunc annum. n. 1. *prava Pontificia auctoritati repugnandi cupidine incitatos* locum in Italia eligendum reſpuiſſe, ut abſente Pontifice, quem ob graves cauſſas Avenionem accedere non poſſe noverant, ipſi ſoli ſupremam ſibi arrogarent auctoritatem, nequidem in hoc pacto ſe Pontifici ſubjectos eſſe demonſtrarent, totamque diſſipatæ unionis culpam in Eugenium exonerare poſſent, quam ambitionis habem Diſſipatus Græcorum Orator ſeditioſis Baſileenſibus objicere non dubitavit.

Granatensis, & Jacobus de Rocaneto Eugenii Papæ Legati advenerunt, qui Pontificia auctoritate diserte ac sub gravissimis pœnis non modo Petro Albanensi Episcopo Fuxensi Cardinali, eo tempore sacræ Sedis Avenionensi Legato, sed etiam præfatæ Urbis civibus prohibebant, ne promissam pecuniam Synodo persolverent. Sæcul. XV. A.C.1437.

§. XXXVI.

Quædam duntaxat pecuniæ pars ab Avenionensibus numerata.

Præterea tempore importunissimo accidit Synodalium Legatorum adventus; Avenionem quippe ingrediebantur, Primoribus urbis in Franciæ curia morantibus. Nihilominus Avenionenses insuperhabitis hisce obstaculis, aliisque pluribus, quibus a pecuniis intra triginta dies solvendis absterreri debebant, triginta millia & octingentos florenos numerabant, ac de residua pecuniarum parte Synodi Legatis cavebant; pro pecuniis vero jam solutis non aliam, quam prius Abbati Bonavallensi, & Raymundo Taloni insinuabant, cautionem petebant, vi cujus Synodus trium prænominatarum urbium electionem, decimarum præstationem, & portus, ad quem Græci appellerent, designationem, edito decreto con-

Sæcul. XV. A.C. 1437.

constitueret. Hæc interea Avenione gesta fuere. Cum vero totius negotii exitus præcipue a Basileensium consiliis dependeret, Eugenius ea omnia, quæ de uniendis Græcis in Concilio feliciter cæpta fuere, toto studio impedire conatus est (*), quamvis ipsemet ejusdem cum Synodi Patribus sententiæ fuisset, ac non una vice significasset, sibi gratissimum

(*) Eugenium unioni Græcorum vel unquam obstitisse, atrox calumnia est, potius in Basileenses rejicienda, qui pro Concilii loco Avenionem non alio fine elegisse videntur, quam ut unionem impedirent; noverant enim, Bissipatum & Tragagnotum Græcorum nomine in publico cœtu contra nominatam civitatem reclamasse, ac erectis publicis tabulis coram Basileensibus professos: *Si non providebitis de alio loco nobis ac Papæ accommodo, ego nomine Imperatoris ac totius Ecclesiæ Orientalis protestor coram Deo & toto mundo, quod per Ecclesiam orientalem non remanet, quin ea quæ sunt decreta inter vos & nos, impleantur, de qua re per totum mundum habebitis confusionem, & in extremo Dei judicio reddatis rationem de tanto damno, cujus eritis caussa &c.* de eadem protestatione facta a Græcis testatur Eugenius Papa in Bulla: *Doctoris gentium*, item in literis ad Cardinales S. Petri & S. Sabinæ.

mum esse, ut Basileenses ad tam pium opus manum admoverent. Sæcul. XV. A.C.1437.

§. XXXVII.

Indulgentiarum concessio, ac decimarum impositio a Pontifice denegata.

Triginta dierum induciis vix non exspirantibus, Archiepiscopus Tarentinus Eugenii Papæ Legatus Synodum adiit, atque ad ea, quæ petebantur, responsurus declaravit, Eugenium nunquam consensurum, ut Indulgentiæ promulgarentur, aut Clerus injunctis decimis gravaretur, nec Prælatos atque Universitates ad locum, quem pro futura Synodo designassent, convocaturum, minus vero hanc in rem publicas securitatis literas daturum. Potius itaque de alio loco intra Italiam summo Pontifici commodo deliberarent, quo facto sperare possent, Papam quoque petitis a Synodo sibi propositis satisfacturum. Post hanc declarationem tertia effluxerat dies, cum Basileensibus per suos Legatos nunciaretur, ab Avenionensibus jamjam triginta millia octingentos Ducatos Triremium Præfecto fuisse numeratos (*): de *Panorm. de Conc. Basil.*

(*) Errore typi loco *florenos*, credimus irrepsisse

Sæcul XV. A.C. 1437. de reliqua vero pecunia ſtatuto tempore ſolvenda idoneam fidem fuiſſe datam, nec Avenionenſibus, quemadmodum Legati in ſuis literis teſtati eſſent, tardionis ſolutionis culpam adſcribendam fore, cum hac in re id omne, quod ſuarum partium eſſet, præſtitiſſent. Tandem vero Legati, quæ cum Avenionenſibus pertractaſſent, a Synodo rata haberi poſtulabant. Quamvis vero de nuncii, qui Avenione venerat, certitudine nullus ambigendi locus ſupereſſet, nihilominus Cardinales S. Petri & S. Sabinæ, una cum Archiepiſcopo nil intentatum reliquerunt, ut rem nonniſi in certo rumore divulgatam fuiſſe perſuaderent, obtendentes, nullo legitimo probari teſtimonio, quod Avenionenſes promiſſam ſeptuaginta millium ducatorum ſummam integre numeraſſent. Verum Synodus certam omnino fidem ſuorum Legatorum literis adhibendam reſpondit, cum hi diſertis verbis nuntiarent, Avenionenſes Triremium Præfecto triginta millia octingentos Ducatos ſolviſſe, ac promiſiſſe, ſe reſiduam pecuniam ſuo tempore numeraturos. Equidem hoc reſponſum haud inficiandæ certitudinis eſſe videbatur, eoquod

repſiſſe Ducatos ſeu ſolidos aureos, nec hanc numerationem a priori in §. 36. recenſita diverſam eſſe judicamus.

eoquod evidentis facti inniteretur testimonio (*). Attamen genuina Eugenii Legatorum intentio erat, Synodi Patres in duas factiones scindere, ac potiorem eorum partem eo pertrahere, ut Concilium pro Græcorum unione indictum Florentiis, Mutinæ, aut alibi intra Italiam, nullatenus vero in ulla ex illis urbibus celebraretur, quas Basileenses eo fine proposuissent, ut in illis magis, quam optaret, Pontificia dominandi libertas restricta esset. Præconcepta hæc consilia ut Legati quovis pacto ad exitum deducerent, aliunde nil intentatum inausumque relinquunt, huncque in finem plurimos porrigunt libellos, nunc clam, nunc & palam Synodum oppugnant, Verum omnibus suis molitionibus nonnisi exiguum Prælatorum numerum suas ad partes allicere poterant; ceteri enim duplo plures pro futuro Concilio haud alias

Sæcul. XV. A.C.1437.

(*) Merito Cardinales isti Legatorum dictis fidem adhibere dubitabant; nam Avenionenses nequidem elapso integro anno pactam pecuniarum vim solvisse constat, Eugenius enim Bulla anno 1437. decimo quarto Calendas Octobris edita conqueritur, quod *illi intra condictum terminum pecunias nequaquam persolvissent.* Sic quoque referunt Odoricus, Spondanus, & alii.

Sæcul. XV. A.C. 1437. alias, quam olim a Patribus propositas urbes admittere, obfirmato prorsus animo decernebant. Ut autem hoc eorum propositum eo firmius constaret, illud solemni decreto munire statuebant, hancque ob rem Sessionem vigesimam quintam celebrabant.

§. XXXVIII.

Sessio XXV. Basileensis Synodi.

Labbe Conc to. 12. p. 578. Habita est die Martis septima Maji Basileensis Synodi Sessio vigesima quinta; pro cujus auspiciis Patres quemdam Prælatum nominabant, qui divina peragere, excluſis ab hoc sacro munere Papæ Legatis, eoquod reclamantibus Synodi Patribus eorum, quæ proposuerant, scripturam confeciſſent, eaque veluti Synodale decretum haberi postulaſſent.

§. XXXIX.

Decretum de loco Concilii pro Græcis celebrandi.

Spond. ad hunc an. n. 1. Persolutis aliis de more solemnibus, Basileenses, condito, cujus mox meminimus, decreto sanxerunt, vel Basileæ, vel Avenione, vel denique in quadam Sabaudiæ urbe, celebrandum esse generale Concilium

Concilium, in quo ſecundum conventa, ac Patrum decreta Græcorum cum Latinis unio pertractaretur. Ad ſumptus vero & expenſas Synodus *univerſis & ſingulis Eccleſiaſticis Perſonis, exemptis & non exemptis, Cardinalibus, Prælatis, Abbatibus aliisve, etiam ordinis ſancti Joannis Hieroſolymitani, generalem omnium & ſingulorum ſuorum eccleſiaſticorum fructuum & proventuum, quotidianis diſtributionibus duntaxat exceptis, decimam partem perſolvendam decrevit.* Sæcul. XV. A.C. 1437.

Cum præſens decretum legeretur, Eugenii Papæ Legati, adſtipulantibus nonnullis, qui horum partes tuebantur Prælatis, cuidam Epiſcopo in mandatis dederunt, ut eodem tempore ex quodam loco humiliori, in quo ejusmodi acta Synodalia alias perlegi haud conſueverant, decretum ab eis conditum promulgaret. Verum ille tam volubili linguæ præcipitantia, tantaque trepidatione officio ſuo functus eſt, ac aliunde a Synodi Patribus tantus editus fuit ſtrepitus, ut vix non omnia legentis verba adſtantium aures effugerent, ac decreti lectio, priusquam Concilii ſtatutum ex ſuggeſtu abſolveretur, jamjam finem haberet: adeo nimirum præcipiti voce illud percurrebat Epiſcopus. *Conc. gener. to. 12. p. 580.* *Panorm. de Conc. Baſil.*

§. XL.

Sæcul. XV. A.C. 1437.

§. XL.

Jurgia circa ſigillum Decreti Seſſionis XXV.

Soluta Seſſione inter Concilii Patres, & Legatos, eorumque fautores nova eaque haud levior exorta eſt contentio; agebatur enim de ſignando Synodi decreto. Jurgiorum ſeries hæc erat: Arca, in qua Synodi ſigilla ſervabantur, quatuor clavibus aperiebatur, quarum cuſtodia quatuor itidem Viris prudentibus, qui a Concilio ſingulis menſibus ex quatuor Nationibus ſeligebantur, concredita erat. Illi equidem, qui tunc temporis claves ſibi commiſſas habebant, eas ad ſignandum Synodi decretum perlubenter tradebant; verum Julianus, alias Cardinalis S. Angeli dictus, ac Concilii Præſes, penes quem arca repoſita erat, Synodi decretum ſignari recuſabat, ſaltem niſi ſimul Legatorum decretum eadem auctoritate firmaretur (*). Interea per plures dies nulla acta ob has diſcordias ſignata fuere. Tandem vero plurima ultro citroque concertatione

(*) Obſerves velim, vix unum, alterumve Scriptorem de hoc facto mentionem ingerere.

tatione habita, Cardinalis Julianus in quadam Congregatione Generali, cui præerat, die decima quarta Maji celebrata, nomine Concilii pronuntiavit, novo decreto esse statutum, Cardinali S. Petri ad vincula, tunc ex Papæ Legatis primo, Alphonso Burgensi Episcopo, Regis Castellæ Oratori, & Nicolao Panormi Episcopo (hic idem est, ex cujus relatione verba nostra mutuavimus) dandam esse plenam facultatem, vi cujus controversias ob acta, quæ sigillo obsignari, ac transmitti deberent, exortas definiant. Hoc litis componendæ medium nemine reclamante acceptatum est, & illud ipsimet tres Legati cum suis assectis manifesto consensu firmarunt. Igitur hujus decreti, seu potius demandatæ provinciæ formula hunc in modum prælecta est. Sæcul. XV. A.C.1437.

Eligantur per sacras Deputationes Dominus Cardinalis S. Petri, Dominus Panormitanus Archiepiscopus, Dominus Episcopus Burgensis, quibus detur plena potestas super bullatione literarum, de quibus agitur, & eorum destinatione. Ita ut per hoc quod ipsi faciant, nullum præjudicium alicui generetur, & per hoc sit pax & tranquilitas inter Patres de Concilio pertractanda. Et ista ultima clausula sit ita firma, quod non possit violari nec immutari. Ita quod

Sæcul. XV A. C. 1437

duret eorum potestas per totam diem crastinam, quæ erit decima quinta Maji.

§. XLI.

Decretum Sigillo Synodali signatum.

Ergo tres isti Deputati dicta facultate freti, Concilii sigillo, appensoque plumbo firmari jubent Decreta, quæ condita fuerant de urbibus Basileensi, & Avenionensi, necnon Sabaudiæ Provincia in locum Concilii eligenda, item de imponendis decimis, ac potestate, qua quatuor Concilii Legatis concessum est pacisci de portu, ex quo Græci exscensionem facere, ac faciliori aditu ad præfata loca pertingere possent. Præterea signarunt Epistolas, quæ tam ad Cardinalem de Fuxo Avenionensem Vice-Legatum, quam ad urbis hujus cives, & Synodi Oratores ibidem commorantes missæ fuerant. Literæ pariter, quas Concilium ad Imperatorem Græcorum, & Patriarcham Constantinopolitanum præscripserat, eodem Sigillo firmabantur.

Sæcul. XV.
A C. 1437.

§. XLII.

Basileenses Decreta Legatorum signare recusantes.

Nihilominus Basileenses Decreta Legatorum Papalium, & ceterorum illis adhærentium sigillo signare, omnino recusabant, spretis etiam ardentissimis plurimorum precibus. Decretum vero, & literas Synodi jamjam signatas Radulphus de Rudelhemi Cameræ Apostolicæ Auditor, & Guilielmus Metensis Archidiaconus Avenionem deferebant, accepto negotio, dictæ urbis civibus significarent, quod Synodus sublatis denique variis, multisque difficultatibus, ad eos desideratas Bullas, atque decretum mittere decreverit, simulque jusserit, ut Legatos, accepto necessario pecuniarum subsidio, quantocius Avenione discedere, ac juxta Synodi præscriptum ad transvehendos Græcos unacum Triremium Præfecto naves conscendere compellerent. Ceterum præfatum decretum æque ac illæ literæ coram pleno Patrum consessu expeditæ, ac præsentibus omnibus Avenionem transmissæ fuere, Papæ legatis, qui datæ facultati consenserant, nequaquam obluctantibus, & quamvis tres illi Deputati, qui sibi claves arcæ sigilla continentis vindicaverant, particulare

Sæcul. XV. A.C.1437. Legatorum Papalium decretum sigillo munire constanter recusassent, nihilominus per quindecim omnino dies summa erat rerum tranquillitas ; Quapropter Synodi Patres hac pace, cujus uberes fructus sibi ex suo Decreto, ac delegatorum dexteritate promittebant, diu potiri se posse speraverant.

§. XLIII.

Decretum Legatorum signatum, & quo artificio?

Verum pax ista insolito quodam casu turbata fuit. Quippe nonnulli Legatis adhærentes, forte tacito ipsorum Legatorum, qui prætensum suum decretum Synodali substituere meditabantur, consensu, quemdam Bartholomæum, cognomento de Bertiferris, qui Cardinali Juliano Præsidi a secretis erat, necnon alium quemdam ejusdem Cardinalis familiarem ad suas partes pertrahunt, horumque opera, & noctis beneficio arcam, in qua Synodi sigilla includebantur, seris revulsis aperiunt, pluraque acta signant, quæ præfatum complectebantur decretum, quod ab exigua illa Legatis Pontificiis adhærentium parte conditum Synodalis decreti nomen præseferebat, perinde acsi vera Concilii sanctio fuisset. Sub idem quoque tempus aliæ etiam epistolæ

pistolæ signabantur ad Græcorum Impe- Sæcul. XV.
ratorem, & Patriarcham Constantinopo- A.C. 1437.
litanum datæ.

Ast quemadmodum nihil ita est reconditum, quod aliquando dies non manifestet, sic quoque Basileenses quarto post die hanc fraudem compererunt, & Synodus postridie hac super re in quatuor Deputationum Congregatione deliberationem habuit, atque unanimi suffragio duodecim Prælatos auctoritate ceteris præstantiores nominavit, quibus datum negotium, ut in hujus doli Architectos inquirerent, condigna pœna plecterent, ac singulos quoquo modo pacem perturbantes severitate legum perstringerent. Iisdem quoque auctoritate Synodi injunctum, ut datis literis omnes Principes tam Ecclesiasticos, quam sæculares adhortarentur, quatenus Decreti, quo Urbes pro futuro Concilio designabantur, executionem urgere, & quantum in ipsis esset, omnes tumultus, ac omnes illorum, qui Concilium pravo affectu impedire tentarent, ausus reprimere velint. Hæc fuere statuta in quadam Congregatione generali, cui ipse Cardinalis Julianus non modo præfuit, sed & actis consensit unacum Joanne Episcopo Papalium Legatorum altero. Deputati, quos commissarios vocabant, de commisso dolo quæstionem instituentes, Joan-

Sæcul. XV. A. C. 1437.

nem ablati Synodalis ſigilli, & actorum hac occaſione ſignatorum conſcium fuiſſe cognoſcunt. Ergo eum comprehendi jubent, & in domo ſua incluſum detinent; Verum cum Epiſcopus iſte delicti conſcientia ſtimulatus judicii ſeveritatem timeret, comitantibus quibusdam nobilibus armatis ex urbe fuga ſe proripuit, ea temporis opportunitate uſus, quo Patres in quadam Congregatione Generali occupabantur. Ex aliis Epiſtolis ab Archiepiſcopo Tarentino Bononiam ſcriptis, & fortuito interceptis plures aliæ clandeſtinæ molitiones detectæ fuerunt, & ipſimet, qui prius Legatorum factioni ſe aſſociarunt, poſtquam Tarentinum & ipſius aſſecla; unice impediendo Concilio intentos compererant, particulare eorum Decretum rejecerunt, atque ut illa Decreta, quæ plurium ſuffragio comprobata fuerant, executioni darentur, conſenſerunt (*).

§. XLIV.

(*) Infamis calumnia, putida fabula, a factioſis turpiter conficta, cujus falſitas jam tum adeo manifeſte detecta fuit, ut quamvis iſti Eugenio apud Græcos invidiam conciliaturi, & Legatorum Pontificiorum decretum ac auctoritatem depreſſuri, plurima mentiti fuiſſent, nunquam tamen confictum hoc ac doloſum facinus coram Græcis vel Papæ vel ejus Legatis

Sæcul. XV.
A.C.1437.

§. XLIV.

Decretum Legatorum per Eugenii Bullam confirmatum.

Eugenius Papa, cum Basileensis Synodi continuationem impedire percuperet, præprimis Legatorum suorum decreto

---

Legatis objicere ausi fuerint; ac demum, postquam Eugenius Bononiæ publicis literis eodem adhuc anno 1437. decimo quinto Calendas Octobris de vi Joanni Tarentino Archiepiscopo Legato suo illata conquestus, palam professus esset, quod Basileenses *nonnulla contra ipsum confingere* non dubitaverint, cur isti veritatem facti documentis juris comprobatam Eugenio, ejusque Legatis non obtruderunt? Cur Papam mendacii non arguerunt? Cum tamen atrociora longe contra eum spargere, & attentare non erubuerint? Nempe injustam, ac sacrilegam hujus Legati invasionem ementitæ fraudis fuco colorare volebant; Verum *nil ita reconditum, quod aliquando dies non manifestet*, ac ideo modico ex post tempore omnium oculis patuit, nequaquam effractæ cistæ vel adulterati Decreti crimen violentæ hujus detentionis causam fuisse, sed Joannem ideo tantæ injuriæ succumbere debuisse, quia Legatorum Decretum ad Papam

Sæcul. XV. A.C. 1437.

to auctoritatem conciliare voluit; hinc Bononiæ convocato Cardinalium, ac Prælatorum Senatu illud die vigesima nona Maji edita Bulla confirmavit, atque approbavit Florentiam, & Utinum urbes, quas

transmisit, ut testatur Eugenius Papa loc. cit. dicens: *In Joannem Archiepiscopum Tarentinum, qui decretum in ea forma, nimirum de transferendo Florentiam vel Utinum Concilio ad nos mittebat, nonnulla confingentes irruerunt, omnique prætermisso juris ordine ipsum in domo sua sub excommunicationis, privationum, & inhabilitatum pœnis tumultuarii multitudinis impetu detinere moliti sunt, ejusque procuratorem manibus injectis percusserunt, ac per capillos ad carcerem trahere conati sunt.* Hem! Egregios Ecclesiæ reformatores, merito, si superis placet, Synodi Patres vocandos, quorum calumnias, & Tarentini innocentiam Odoricus ad hunc annum n. 15. paucis ita describit: *Tarentinus Archiepiscopus, dum injuncto sibi munere fungebatur, atrocibus injuriis ab ea Præsulum parte, quæ in schisma inclinabat, affectus est, nam odio, iraque efferati, eo quod decretum ab altera antistitum parte, dignitate spectatissima, quæ cum Legatis Apostolicis steterat, ad Pontificem ut confirmaretur, transmississet, ipsum FALSO CRIMINE INSIMULANTES, QUOD ILLUD ADULTERASSET, inclusum domi tenuere &c.*

quas ejus Legati pro celebranda Synodo decreverant. Jam jamque Florentini quatuor triremes neceſſario apparatu inſtruebant (*), ſpe freti, Concilium in eorum urbe celebratum iri; & ecce! Eugenius ipſe, a Legatorum ſuorum decreto recedens, Venetos quatuor triremes parari jubet, illas Baſileenſium claſſi oppoſiturus. Sæcul. XV. A. C. 1437.

§. XLV.

Triremes unacum Legatis ad Græcos a Papa tranſmiſſæ.

Igitur Græcorum Oratores, hortatu ac precibus Eugenii expugnati, triremes Venetorum auxilio inſtructas conſcendunt, comitantibus, quos Papa tanquam Legatos in Orientem decreverat, tribus Epiſcopis, ſcilicet, Petro Dinienſi in Provincia Antiſtite, qui idem Regis Caroli VII. in Synodo Baſileenſi Orator extitit, Antonio Portuenſi Epiſcopo, Luſitaniæ Regis Legato, & Chriſtophoro Garetonæ in *Panorm. de Conc. Baſil.*

(*) *In quonam Papa ab hoc decreto receſſerit, nonniſi in cerebro Continuatoris noſtri inveniri licet, niſi forte receſſum dicere velit, quod Pontifex, quæ per ſuos Legatos efficere potuiſſet, per ſe ipſum explere maluerit.*

Sæcul. XV. A. C. 1437.

in Pelponneſo Epiſcopo, quibus adhuc alii duo Doctores, illo ævo ſcientiæ laude facile principes acceſſerant, nempe Nicolaus de Cuſa ex Diœceſi Trevirenſi, Leodienſis Archidiaconus, & poſtea Cardinalis, necnon Joannes de Raguſio Ordinis FF. Prædicatorum Generalis. Hi præprimis Bononiam petunt, Papam adituri, ubi novem triremes probe armatas reperiunt, quasdam in Venetorum mari, ceteras ad Cretenſem portum in anchoris hærentes; hujus claſſis Navarchum Eugenius Antonium Condulmerium Nepotem ſuum nominavit.

§. XLVI.

Oratores Eugenii Conſtantinopoli appulſi.

Legati Pontificis horum, quos Baſileenſes miſerant, adventum prævenientes, Conſtantinopolim ingrediuntur, & conventu cum Græcis habito illos ab acceſſu ad urbem a Synodo decretam magno fraudum apparatu retrahere conantur (*). Inter cetera Græcis ſuggeſſerunt,

(*) *Blondus* 3. *Dec.* 8. *rem narrat, ſed falſitates ignorat, unice referens, Garetonum Imperatori perſuaſiſſe, ut quæ Baſileenſes ei impoſſibilia obtuliſſent, a Pontifice majora, meliora*

ragua

runt, quod Synodus, cum neceſſariis ſumptibus ſe imparem agnoviſſet, totum unionis negotium in Eugenii humeros exoneraſſet, ac denique omnes ad diminuendam Synodi famam, & vilipenſionem ejus inſtillandam aptas natasque artes ſollicite conquiſiere; quo factum, ut Imperator Græcorum, Patriarcha, aliique Prælati itineri ſeſe accingerent, triremibus Papæ in occidentem trajecturi. Sæcul. XV. A. C. 1437.

§. XLVII.

Synodi Oratores paulo poſt ibidem adventantes.

Aſt inſperato nunciatum, alias quoque triremes a Synodo miſſas litori appropinquare. Condulmerius Pontificiæ claſſis Præfectus haſce naves hoſtiliter invadere jubebatur, idque abs dubio feciſſet, niſi a Græcorum Imperatore prohibitus fuiſſet. Ergo Synodi triremes Conſtantinopolis portum ingrediuntur, & Legati excenſione facta Græcos conveniunt, omnem-

raque ſpondente acceptaret. vid. Spondan. n. 4. nec magno apparatu legatos indiguiſſe cenſeo, ut Græcis Italiæ locum perſuaderent, cum ipſimet jam antea ſe non aliam urbem, quam in pactis Pontificem inter & Græcos conventis nominatam acceſſuros profeſſi eſſent.

Sæcul. XV. A. C. 1437.

omnemque lapidem movent, ut eos v pacti cum illis conventi naves, Concili nomine, paratas conscendere compelle rent. Ipsius Imperatoris Chrysobulum, id est, bullam auream, qua conventio nem ratam, acceptamque habuit, exhi bent, & Autographas publicæ fidei litera ab Imperatore Romanorum, Galliæ, & Arragoniæ Regibus, aliisque Principibus ac Satrapis, quorum terras pertransire de berent, concessas ostendunt; quibus ma nifeste dissolvebant ea, quæ ab Eugenii oratoribus perperam objecta fuerant, nempe quod Synodus ob virium suarum impotentiam, Græcos in Occidentem transvehendi provinciam Pontifici reli quisset. Præterea suggerebant Græcis Bullas & Literas, quas Legati Pontificii tanquam a Synodo emanatas attulissent, nonnisi adulterinas, & clanculo signatas esse. Tandem se ad omnia a Concilio cum illis concluſa, per singula capita, nul lo prætermisso articulo, fideliter exequen da, Imperatori, Græcisque paratos exhi bebant.

§. XLVIII.

Imperator Græcorum Basileenses tri remes conscendere renuit.

Blond. 3. Decad. 8. in fin.

Vicit tamen Pontificiorum Legatorum auctoritas, & Imperator horum ac cete-

ceterorum, qui Basileensi Synodo obsiste- sæcul. XV.
bant, rationibus præventus, Synodalium A. C. 1437.
Legatorum asserta flocci habuit, eisdemque morosius respondit, se eorum triremibus haud indigere, eoquod præfixo tempore Constantinopolim non veniissent. Hi vero reponebant, id non sua, sed Joannis Græcorum Legati culpa factum, utpote qui testatus fuisset, triremes, si mense Octobri Constantinopolis portum ingrederentur, satis mature adventuras. Nihilominus Basileensium Legati nunquam veram repulsæ sibi datæ caussam explorare poterant (*). Quapropter Imperatorem rogarunt, ut ante suum discessum Legatos ad Papam, & Concilium mitteret, se vero tamdiu Constantinopoli hæsuros promittunt, donec percepto horum Legatorum responso Imperator de itinere suscipiendo decerneret.

§. XLIX.

(*) Egregie in collum suum mentiti sunt hi Legati, nam jam 23 Julii 1737. Bononiæ idem Joannes nomine sui Imperatoris aliquam schedulam publici juris fecit, in qua, illam partem, quæ Pontifici adhæreret, verum Basileense Concilium esse declarat, inter alia hisce factiosis objecit, *attento, quod* (rebellis ista Basileensium pars) *jam dudum in promissionibus defecit, quoad electionem loci, ET LAPSUM TEMPORIS, IN QUO GALEÆ MITTI, &*

alia

Sæcul. XV. A. C. 1437.

§. XLIX.

Classis Pontificia ab Imperatore Græcorum conscensa.

Sub idem tempus Sigismundus Imperator misso nuntio Joannem Palæologum Græcorum Imperatorem a cepto in Occidentem proficiscendi proposito abstererere conatus est. Verum ille consilio suo inhærens itineris comites selegit, & die vigesima quarta Novembris unacum Patriarcha triremes Pontificis conscendit.

Synodus, cum Eugenii voluntatem, qua Venetiis classem ad oppugnandas Basileensium triremes instruere meditabatur, comperiisset, atque aliunde ex eo quod Eugenius in alia urbe durante adhuc Basileensi Concilio alium cætum sub nomine Concilii congregare moliretur, probe intellexisset, quod tota Pontificis agenda

---

alia fieri debebant, ita Imperator & Patriarcha absoluti sunt ab omni promissione facta. Veram autem repulsæ caussam refert Patricius in Actis Concilii num. 64. dicens: *horum adventum eo ineptiorem Græcis esse visum, quo, ipsi aperte Basileæ protestati fuissent, se Avenionem nullo pacto ituros; item Pontificis Legatos omnia eorum objecta (etiam de furtiva signatione) dissolvisse.*

agendi ratio eo collimaret (*), ut in Christi Eccleſiam ſchiſma induceret: hinc Synodus Baſileenſis tam gravi malo obviare, ac opportunum remedium adhibere ſtatuit. Sæcul. XV. A. C. 1437.

§. L.

Seſſio vigeſima ſexta Baſileenſis Synodi.

Jam antea nonnulli adverſus Eugenium in Synodo declamabant, eidem crimini dantes, quod non ſolum decreta exequi neglexiſſet, ſed inſuper reſervationum jura in uſum deducere pergeret, electionum libertatem impediret, & Annatas ſolvi juberet: imo non deerant, qui eum manifeſtæ ſimoniæ reum proclamare auſi fuere, cum violatis S. Conſtantienſis Concilii decretis Epiſcopos, licet invitos, transferret, pluresque alios abuſus committeret, quos inter recenſebant, quod Præ-

(*) Adeo palpabilis iſthæc calumnia eſt, ut ad illam refellendam, quæ Baſileenſes Antipapam creantes &c. attentaverint, legere ſufficiat. Ipſe quoque Gregorius Trapezuntinus in ſua epiſtola ideo in eos acrius invehitur, eoquod iniquis ſuis decretis, ac in Eugenium machinationibus non aliud quærere dignoſcerentur, quam ut Eccleſiam ſchiſmate perderent. Vide Edit. Pontan. poſt Hiſt. Phranz.

Sæcul. XV. A. C. 1437.

Prænestinam urbem destruxerit, plura alia Patrimonii S. Petri loca prædantium furori exposuerit, unionem Græcorum impediverit, ac denique juramentum, quo ad summum Pontificatus apicem vocatus se adstrinxerat, violare, ac auctoritate sua variis modis abuti præsumpserit. Ergo Synodus Eugenium in jus vocare censuit, ut infra sexaginta dies coram Patribus in unum congregatis vel per se vel per Procuratorem suum crimina sibi objecta dilueret. Hæc sancita ac promulgata fuere in Sessione XXVI die Mercurii trigesima prima Julii celebrata (*).

§. LI.

Decretum contra Eugenium Papam.

(*Labbe Conc. to. 12. p. 581.*) Patres in hoc decreto labores exponunt, quos solidis sex annis exantlassent, ut Ecclesiam in Capite & membris reformarent.

(*) Cum *a Sessione vigesima quinta*, ut inquit Natalis Alex Dissertat. 8. art. 3. n. LXI, *Synodus Basileensis duas in partes scindi cœpit, sufficienter Ecclesiam universalem repræsentans non videatur*, nullius ponderis habenda sunt cuncta contra Eugenium ab Acephalis Basileensibus actitata. Continuator tamen, qui in materia hujus Concilii acta Patriciana sequi professus est, ex iisdem ad sessionis XXVI decretum

rent, necnon avaritiæ, simoniæ, aliorumque abominabilium scelerum pestem extirparent. Postea inquiunt, se revocasse electionum jura, *ut dignitates Ecclesiasticæ & beneficia dignis, ac idoneis Pastoribus distribuerentur.* Demum suorum decretorum opera universum Clerum ac populum in suo officio continere studuisse: *sed illum, qui primus hæc exequi deberet, quemque canones sacrorum Conciliorum præ cæteris servare oportuerat,* unice eos evertere intentum esse, *nullaque unquam monitione, ulla exhortatione induci jam longo tempore potuisse, ut aliquam morum emendationem Christo placentem, aut notissimorum abusuum correctionem in Ecclesia sancta Dei efficere satageret.* Subjungit decretum: Propter hanc inobedientiam *Synodus decernit, ut infra sexaginta dies, si qua pro sui defensione aut excusatione alleganda vel proponenda duxerit, per se, vel alium ad hoc legitime deputatum*

Sæcul. XV. A. C. 1437.

tum referre debuisset verba Patritii dicentis: hoc decretum editum fuisse *protestante Juliano Concilii Præside, & conquerente, quod super defensione Pontificis non audiretur, quem & Cardinalis S. Petri ad vincula & plerique optimi Patres sequebantur, quibus etiam dilatio ad tertiam diem derogata, & præter ordinem eodem die generalis Congregatio, & publica sessio habita est.*

Sæcul. XV. A. C. 1437.

coram Synodo Basileæ compareat. Dicto autem elapso termino, sive comparuerit sive non, eadem hæc Synodus ad ulteriora procedet, cognoscendo, & terminando, prout conspexerit expedire. Universis insuper S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus præcipit, ut in civitate Basileensi compareant, saluti S. Matris Ecclesiæ consulturi, & opportune provisuri. Hoc ipsum quoque universis Principibus & populis Christianis vult innotescere, ut videntes S. Matris Ecclesiæ, & universæ Christianitatis angustias in unam sententiam pro honore Dei, & animarum salute pariter conveniant.

§. LII.

Bulla Eugenii de translatione vel dissolutione Basileensis Synodi.

Hac Concilii citatione non modo Pontifex adeo nil commotus fuerat, ut potius duodecimo die ante elapsum citationis terminum alteram Bullam de transferendo vel dissolvendo Concilio publicaret, declarans, illam omnino executioni dandam, si duplex emergeret casus, Primo, *si & in quantum in Basileensi Concilio existentes, in obstinato proposito suo perseveraverint, vigore prætensi citatorii in aliquo procedendo, aut contra Papam, vel Cardinales, vel Præsidentes & oratores suos, aliquam aliam novitatem inferendo.* Ac propterea sub

sub gravium pœnarum interminatione prohibebat, *ne in Basileensi civitate aut alibi deinceps Concilium, aut aliquis conciliaris actus teneantur, excepta sola caussa Bohemorum quoad articulum communionis sub utraque specie, quem solum articulum infra triginta dies* cum Bohemiæ Legatis adhucdum Basileæ commorantibus continuari posse indulsit. Secundum vero casum Eugenius hisce expressit: *Hanc autem translationem, ipsis Græcis venientibus ex nunc pro ex tunc, & ex tunc pro ex nunc locum habere declaramus;* proin ante horum adventum Basileenses synodaliter congregati manere valeant (*).

Sæcul. XV. A. C. 1437.

§. LIII.

Synodus Ferrariam per Eugenii Bullam convocata.

Eodem tempore Eugenius Papa Synodum Ferrariæ celebrandam edita *Conc. to.* 13. *p.* 21.

(*) Hæc addidit Continuator, inde contendens, Basileensem Synodum ab Eugenio usque ad adventum Græcorum confirmatam fuisse; cum tamen duntaxat sub conditione, *si Basileenses resipiscant*, Synodum Basileæ continuari permiserit, quam advenientibus Græcis *pure & simpliciter* translatam declarat, ut ex sola hujus Bullæ lectione apparet.

Sæcul. XV. A.C. 1437.

Bulla indixit, omnesque Christi fideles transmissis ejusdem apographis suæ voluntatis certiores reddidit. Præfata Bulla signata est per ipsum Eugenium Papam & Cardinales suos, de Branda Episcopum Portuensem, Jordanum Episcopum Sabinensem, Angelotum tit. S. Marci, Franciscum tit. S. Clementis, Antonium tit. S. Marcelli, Nicolaum tit. S. Crucis, Prosperum tit. S. Georgii ad velum aureum, & Dominicum tit. S. Mariæ in via lata. Eugenius Papa in hisce publicis literis Basileensium ausus acriter perstringit, eosque, relatis tam a se, quam ab illis in Græcorum caussa actitatis, vehementer arguit, quod civitatem Avenionensem in conventionibus non comprehensam, atque a Græcis repudiatam ad celebrationem œcumenici Concilii elegissent. Dein in hæc verba prosequitur, misimus Basileam Joannem Archiepiscopum Tarentinum, unum ex Synodi præsidibus, qui Joanni & Juliano Cardinalibus Sedis Apostolicæ Legatis nostro nomine præciperet, ut ambo omni studio persuadere Patribus conarentur, ut ad dissensionem tollendam locum eligerent, Græcis acceptum, & nobis quoque commodum, atque accessu facilem; illis vero hæc agere pertinaciter reluctantibus, sedandi tumultus caussa eo deventum, ut, nisi intra præstitutum diem Avenionenses pro-

Conc. Florent. part. 1. tom. 13. Conc. Labb. p. 858. & seq.

promiſſam nummorum vim perſolverent, integrum jam eſſet alium locum eligere: Cum autem Avenionenſes datam fidem non exſolviſſent, Legatos ac Præſides Concilii, aliosque ex Prælatis plurimos, & omnes ferme Regum, Principumque Oratores, Procuratores Prælatorum, Theologos atque Doctores ſaniorem Concilii partem conſtituentes, ceteris requiſitis nec adeſſe volentibus, Florentiam elegerunt: ac in hunc finem pecunias, aliasve res pro advehendis Græcis neceſſarias paravimus, necnon pro conficiendo hoc negotio operam dedimus, ut quatuor triremes ad Græcos mitterentur. His auditis Baſileenſes, cum illi Avenionem præferrent, primum in prædictum Archiepiſcopum Tarentinum variis modis ſævierunt, in procuratorem manus injecerunt, ac per capillos in carcerem trahere auſi ſunt, adeo, ut Cardinalis Julianus de ſublata Concilii libertate publice conqueri cogeretur. Sæcul. XV. A. C 1437.

His dictis Papa ad ſui citationem a Baſileenſibus factam tranſiens: Equidem, inquit, horum audaciæ præfati Cardinales Joannes, & Julianus totis viribus obſtiterunt; Aſt illorum æque ac ceterorum omnium Præſulum quærelæ non modo fuerunt contemptæ, ſed Baſileenſes tam præcipiti conſilio rem executi ſunt, ut contra ipſiusmet Concilii ordinem, ea-

Sæcul. XV. A. C. 1437.

dem die & generalis Congregatio & Sessio, quod nunquam vel in minimis negotiis factum fuit, tumultuarie sint habitæ. Ipse etiam Imperator Sigismundus, horum temeritate comperta, vehementer commotus, illico Episcopum Augustanum Basileam misit, qui eos hortaretur, ut ab ejusmodi scandalis abstinerent, ne unio Græcorum, ex qua Christianæ Religioni maxima incrementa accederent, destrueretur; nec ultra Ecclesiam Occidentalem dilacerarent non minus funesto schismate, ac illud Orientalium esset, quod ipsi extinguere conarentur; si vero secus fecerint, declarabat Cæsar, se, omnesque Imperii Principes, cum Ecclesiæ Capiti immota fide adhærere animo constituissent, omnino ab eis defecturos. His igitur aliisque de causis, Nos de consilio & assensu Cardinalium, qui præsentes aderant, plurimorumque aliorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, ceterorumque Prælatorum prædictis literis nostris civitatem Ferrariensem pro futuro Oecumenico Concilio assignavimus, ac jubemus, ut ad illam omnes conveniant, utpote ad locum Græcis gratum, in decreto conventionis comprehensum, ceteris omnibus commodum: ac proin præsentibus publicis literis declaramus ab hoc tempore Basileense Concilium translatum esse pro omnibus causis, pro quibus

bus decidendis Basileæ fuit congrega- Sæcul. XV.
tum, excepta caussa Bohemorum quan- A. C. 1437.
tum ad articulum de communione sub utraque specie, hunc enim solum Basileæ infra triginta dies pertractari volumus.

§. LIV.

Prælati, Abbates, Ordinum Generales, & Universitas Parisiensis Ferrariam a Papa vocantur.

Præterea ad plurimos Ordinum Generales, Abbates, & Principes literas dedit, quibus eos ad Concilium Ferrariæ celebrandum vocavit. Exstat quoque in Collectione Conciliorum ejusdem Pontificis Epistola hanc in rem ad Scholam Parisiensem Bononiæ die vigesima tertia Septembris data, qua illam huic Synodo interesse hortatur. Ejusdem quoque tenoris epistolas scripsit ad ceteras Academias, Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ, Brabantiæ, Poloniæ, Italiæ, Angliæ & Scotiæ. *Tom. 12. Conc. Labbe n. 16. p. 869.*

Francia ejusmodi convocationem ægre tulit, & Carolus VII, qui tum erat Turonibus, ubi perspexit Eugenium constituisse Synodum Ferrariam transferre, promulgavit edictum, quo omnibus Regni sui Prælatis inhibuit, ne se Ferrariam conferrent sub prætextu habendi Concilii, sed

Sæcul XV. A. C. 1437.

Avenionem, quando eis significaretur, adirent, ut ibidem Græcos juxta pacta & conventa cum Imperatore & Patribus Basileensibus inita exciperent (*).

Hæc Pontificis agendi ratio non modo Gallis displicuit, sed etiam potissimæ Prælatorum parti minime probabatur, qua-

(*) *Hæc Continuator mutuavit ex suo Bucherio, qui hoc edictum in Collectione nova regiarum edictionum exstare asserit, id tamen Carolum VII ob Synodum Ferrariam translatam edidisse non demonstrat; certum enim est, quod Petrus Dinienſis Episcopus Caroli VII orator, utique ex beneplacito Regis, Græcos ad Synodum FERRARIENSEM advecturus Constantinopolin abierit, & Odorico Raynaldo teste, ipsimet Francorum Regis Oratores patriæ amori divinum præferentes non Avenionem, sed Ferrariam Caroli Regis jussu optaverint, & Eugenius ea de re grates Regi retulerit, cujus brev extat in lib. Brev. p. 146. & in m. ſ. Alex. VII pag. 211, ubi etiam pag. 207. habetur ejusdem Pontificis epistola, qua Carolum rogat, ne ullis Basileensium artibus ſe ab hac ſententia dimoveri patiatur. Notum quoque est, Carolum VII eos præsules Gallos, qui ab Eugenio discesserant, ad illius obsequium reduxisse, de quibus Pontifex Regi gratulatus est datis literis, quæ extant in lib. Brev. p. 163. & m. ſ. Alex. VII p. 240.*

quorum pauciſſimi Legatis Eugenii amplius adhærere viſi ſunt. Cum enim Papa Decreto, quod ipſius Legati Synodali ſtatuto oppoſuerant, parum deferre videretur (*), ac nequidem iſtius mentionem in clauſulis ſuæ Bullæ inſeruiſſet, ſed duntaxat plenitudinem poteſtatis ſuæ, ex qua ſe Synodum transferre declarabat, allegaſſet, tandem iſti Prælati prout dudum decuiſſet, animadverterunt, quod Papa ſupremum dominium ſibi arrogaret, nec Generalem Synodum tanquam ſe ſuperiorem revereri vellet. Abs dubio Eugenius his rationibus ſtimulatus, non ita pridem Joannem Vitelleſcum Partriarcham Alexandrinum, & Archiepiſcopum Florentinum ad Cardinalium dignitatem evexit: non enim ignorare poterat decreta a Baſileenſi Concilio condita, quibus Pontifici facultas creandi Cardinales reſtringebatur.

Sæcul. XV. A. C. 1437.

§. LV.

(*) *Manifeſta eſt hujus cauſſæ allegatæ falſitas, cum acta Patriciana teſtentnr, Eugenium hoc DECRETUM, utpote a ſaniore parte conditum CONFIRMASSE, ac propterea Baſileenſes irritatos, citatorium, ut vocant, decretum conflaſſe.*

Sæcul. XV. A.C. 1437.

§. LV.

Sessio vigesima septima Basileensium.

Labbe Conc. tom. 12. p. 585.

Vid. l. CVI. §. XVIII & CVII. § V.

Ergo Basileenses Pontificis auctoritatem iniquius ferentes, eandemque repr... mere meditantes, Feria quinta, quæ er... vigesima septima Septembris, sessionem vigesimam celebrant, cujus primo decr... to Vitelli, seu Vitellesci promotionem, & ceteras omnes per Eugenium factas, a... forte contra sessionis quartæ & vigesim... tertiæ decreta attentandas irritas decl... rant, eoquod in primo decreto Synod... Pontifici absque consensu Concilii Car... dinales creare prohibuisset; in altero ve... ro numerum Cardinalium ad solos vigi... quatuor extendendum decrevisset. Allu... ad huc condidere decretum, quo condem... narunt Literas, in quibus Archiepiscopu... Tarentinus a Concilii Basileensis Patribu... urbes Florentiam, vel Utinum in Forojul... pro concludenda Græcorum cum Latin... unione nominatas suppofuerat; hinc Ba... sileensis Synodus declarabat, falsas e... ejusmodi Bullas, nec eis ullam fidem a... hibendam, nec ipsis esse utendum s... pœna anathematis *ipso facto* incurrendi.

§. LVI.

Avenionensis urbis alienatio Pontifici a Concilio interdicta.

Quoniam rumores Basileæ increbu... ran...

rant, quod Eugenius sub obtentu Græcis opem ferendi, Avenionem vendere meditaretur (*) Synodus, ut antiquorum Canonum, Patrumque traditionem, qua omnis bonorum Ecclesiasticorum alienatio prohibetur, sequeretur, tertio etiam decreto interdixit, *ne quicquam terrarum, & possessionum, quæ Romanæ Ecclesiæ in sustentationem summi Pontificis, & ministrorum suorum dedicatæ sunt, alienetur:* minus vero *illa præsertim loca, in quibus necessitatis tempore libere valeat Romanus Pontifex cum sua curia commorari*, inter quæ non infima est Avenionensis civitas, *ubi nullus sæcularis potestatis metus exterret.* Hujus ergo urbis venditionem Basileenses quam severissime prohibebant, ipsamque civitatem in suam protectionem suscipiebant, cum hæc se semper Ecclesiæ addictissimam, juxta ac fidelissimam in unione Græcorum exhibuisset. Ad hunc annum Spondanus refert epistolam, qua Basileenses Sigismundo Imperatori significabant, se Eugenio Papæ, quod Græcorum

Sæcul. XV. A.C. 1437.

Labbe Conc. tom. 12. p. 588.

(*) *Hanc calumniam Basileenses Eugenio ex vana suspicione, ac repugnandi libidine affingebant, idque Pontificem ideo facturum credebant, ne Antipapa, quem Eugenio opponere meditabantur, illam urbem occupare posset. Ita Odoricus Raynaldus ad hunc annum num. 17.*

Sæcul. XV. A. C. 1437.

rum adventum interturbaret, diem dixisse, eumque in judicium vocasse, ac prohibuisse a se Sacram Cæsaream Majestatem exorari, ut sua auctoritate Synodum tueretur. Imperator vero, ut narrat idem Scriptor, hac super re datis ad Synodum literis, quæ absoluta Sessione afferebantur, respondit, quod molestе admodum ejusmodi dissensiones percipiat, ideoque Basileenses hortetur, ut sedulo caverent, ne dum Græcos ad unionem vocarent, majori scissione Latinos dividerent; Abrumpant igitur judicii acta adversus Eugenium, ac potius illorum Regum, & Principum, quorum opem imploravissent, consilia omnino sequantur; alioquin se cum ceteris Principibus Eugenio nunquam defuturum scirent. Hæc epistola in actis Concilii desideratur, quibus tamen cum ceteris pluribus in favorem Eugenii Papæ scriptis inseri debuisset (*).

Spond. n. 6.

§. LVII.

(*) *Haud ignorare debuisset Continuator noster, Spondanum hanc epistolam non ex proprio suo cerebro, sed ex actis Synodi Patricianis retulisse; ipsum quoque Eugenium de Sigismundi Cæsaris indignatione in sua Bulla mentionem fecisse. Vide supra §. LIII.*

§. LVII.

Sæcul. XV. A. C. 1437.

Sessio XXVIII. Basileensis Synodi.

Basileenses his minime territi ea, qua cæperant via, pergentes judicii acta prosequebantur, atque cum elapso sexaginta dierum termino nec Pontifex, nec ejus nomine alius compareret, prima Octobris, quæ erat feria tertia, Sessionem vigesimam octavam ea, qua poterant, solemnitate celebrabant, Episcopo Vicensi Missam de Spiritu sancto cantante, ac Præsidis munus obeunte. Intererant quoque non pauci Præsules, mitris ac Pontificio habitu insignes. Cum ergo Eugenius nec ipsemet ad Synodum venisset, nec nomine suo Procuratorem, licet impense rogatus, misisset, Promotores Synodi petierunt, ut Eugenius contumax declaretur, hinc illico in eum lata est sententia his verbis concepta. *Labbe Conc. to. 12. p. 590.*

§. LVIII.

Eugenius Papa a Basileensibus contumax declaratus.

Sancta Synodus Basileensis in Spiritu sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans decernit, declarat, & reputat dictum Dominum Eugenium legitime citatum, sufficienterque exspectatum, fuisse & esse contumacem, & ejus absentia non obstan-

te

Sæcul. XV. A. C. 1437.

te contra eundem Dominum Eugenium Papam ad ulteriora fore procedendum, prout sacro Concilio videbitur, consideratis necessitatibus, & utilitatibus Ecclesiæ universalis (*).

§. LIX.

Sessio XXIX. Basileensis Concilii.

Labbe Conc. tom. 12. p. 593.

Post hæc Basileenses, cum probe intelligerent, Eugenii Papæ Bullam de Synodo Ferrariæ celebranda ubique divulgari, eamque, licet primum decima octava Septembris fuisset edita, plurimorum tamen applausu jamjam acceptari, felici huic successui obicem ponere conabantur. Quapropter die Sabbati duodecima Octobris Sessionem vigesimam nonam celebrabant, eo fine, ut non modo Eugenium monerent, ut Bullam suam, & prætensam (quemadmodum ipsi ajebant) Synodi convocationem ad civitatem Ferrariensem rescinderet, sed simul eidem significarent, quod ejus opinio de auctoritate Ecclesiæ merito sibi suspecta videretur.

(*) *Tempore latæ hujus sententiæ* (ut observant acta Patriciana) *Regis Hispaniæ Legati ob dignitatem facti abhorrentes recesserunt, ejusque decreto se Regis sui, & Prælatorum, atque nationis nomine minime consentire confessi sunt.*

retur, cum decreta, & Concilii sanctiones, quæ fidei materias respiciunt, approbasset, nunc vero non sine rebellionis nota sese illis opponeret. Sæcul. XV. A. C. 1437.

§. LX.

Basileenses Eugenii Bullam confutare conati.

Ergo in dicta Sessione Eugenii Bullam refellere aggrediuntur his verbis. I. Avenionensis civitas rebus Græcorum gerendis commodissima est, utpote mari vicina, omni pace, ac securitate præstans, quam Græci, ac ipsemet Eugenius ad uniendas Occidentis, & Orientis Ecclesias acceptarunt, ratamque habuerunt (*).

II. Hunc in finem, ipso Eugenio conscio (**) Avenione triremes ad Græcos exci-

(*) *De hac acceptatione ab Eugenio facta nec verbulum legitur in hujus Sessionis decreto.*

(**) *Denuo Continuator, quod nequidem Basileenses Eugenio imputare ausi sunt, eidem affingit, per fas nefasque Pontificem in electionem, urbis Avenionensis assensisse, evincere cupiens; sed nempe inconsultis Synodi actis, cæco affectu suum Richerium exscripsit, qui similia in sua Hist. Conc. Gen. lib. 2. cap. 6. n. 2. arbitrarie comminiscitur.*

Sæcul. XV. A. C. 1437.

excipiendos paratæ, instructæque sunt, & tamen Pontifex, ut naves Concilii præveniret, inscia & inconsulta Synodo aliam classem Constantinopolim misit: ast hæc gemina legatio Græcorum unionem adeo non promovit, ut potius horum divisionem propagatura sit, timendumque, ne Græci latinam Ecclesiam inter se mutuis diffidiis scindi intelligentes, offendantur, & schismatis flammæ ægre admodum extinguendæ rursum accendantur.

III. Basileenses ad crimen, quod illis Eugenius suis in Bullis ex eo objicerat, quod Tarentinum Archiepiscopum oratorem ejus captivum retinuissent, respondent: Nos, nisi hujus Archiepiscopi famæ parcere maluissemus, merito ob Bullas, quas sub Pontificis nomine in Synodo venditabat, tandem vero suppositas fuisse fatebatur, infamiæ notam inuerere potuissemus, ea tamen modo in Eugenium redundat, sine cujus jussu Archiepiscopus talia aggredi ausus non fuisset. De cetero Synodus, quacunque demum severitate hunc Prælatum vexavit, nullatenus justitiæ leges transgressa est; miramur tamen vehementer, quod summus Pontifex, qui pro muneris sui ratione Synodum tueri tenetur, econtra ex justissimo facto præsumat aucupari occasionem violandi justitiam, necnon generale Concilium dissolvendi, quod tamen nullum

se

se superiorem in terris agnoscit; hæc autem potestatis plenitudo, qua Pontifices se insignitos jactitant, semper omnium judicio ad disciplinæ Ecclesiasticæ eversionem tendere credita est: alias enim Pontifices, etsi de hæresi accusarentur, hujus potestatis usu suffulti, impune judicium Ecclesiæ eludere possent. Sæcul. XV. A.C. 1437.

IV. Eugenio Romanum Pontificem in jus coram Concilio vocari in nullo antehac sæculo fuisse auditum asserenti Basileenses reponunt, quod hoc novitatem nequaquam sapiat; nam Historiæ Ecclesiasticæ monumentis (ut ajebant) comprobatum habetur, quod plures summi Pontifices Synodorum tribunalia, ut crimina sibi objecta diluerent, neutiquam declinaverint, nec Eugenium, inquiunt latere potest recens Joannis XXIII. exemplum, qui a Concilio Constantiensi comparere jussus, contumax declaratus, ac tandem Papali etiam dignitate exauctoratus est, quam depositionem non solum Martinus V, sed ipse quoque Eugenius IV. approbavit; quinimo hanc ipsam Joannis XXIII. exauctorationem validam agnoscere, nullius magis interest, quam utriusque hujus Papæ; si enim illa non valuisset, nec horum electio, ac vera successio teneret, cum illo adhuc superstite, ac injuste deposito Sedem Petri occupassent. Nequaquam

Sæcul. XV. A.C 1437. ergo priora ignorarunt sæcula, summos Pontifices a Conciliis generalibus fuisse depositos, ubi de firmanda fide, extinquendo schismate, & reformanda Ecclesia agebatur.

V. Monent Eugenium, ut in memoriam revocaret Decreta IV. & V. Sessionis Concilii Constantiensis, de Concilii auctoritate supra Papam adeo firmiter stabilita; quibus, ut obtemperaret, Eugenium longe abfuisse ajunt, cum tamen ad id sese in Bulla, qua primam Synodi dissolutionem revocaverat, obstrinxerit, nunc vero hæc ipsa decreta pessumdat, & in propria caussa judicem ac supremum Ecclesiæ arbitrum contra horum decretorum definitiones se se constituit.

VI. Eidem plura obtrudunt decreta ad stabiliendam Synodi auctoritatem ab ipso Concilio sancita, quorum vim nullo pacto prætensa sua supra Concilium auctoritate elidere poterit; cum omnia, quibus optatos illius successus impedire conatus est, molimina revocare coactus fuerit, & plures quoque Cardinales, quos inter ipse Julianus Legatus ejus numerabatur, Concilii decreto subscripserint, quo declaratum fuit, quod a Papa dissolvi non queat, nisi duæ ejusdem Synodi partes consentiant.

VII. in-

VII. inquiunt: Eugenius nunquam obliviſci debuiſſet, quod ejus conſenſu Græci ad Synodum fuerint vocati, decreto tamen cautum fuerit, ut Concilium Baſileæ firmiter permaneat, donec Græci ad portum, ſeu locum per ipſam hanc Synodum eis nominandum appuliſſent: nunc vero ipſomet conſentiente Eugenio Avenionem a Synodi Patribus deſignatam fuiſſe aſſerunt. Sæcul. XV. A.C. 1437.

Tandem Baſileenſes, ut omnia, quæ Eugenius Papa pro transferenda Ferrariam Synodo allegaverat, rationum momenta infringerent, decretum hujus tenoris condiderunt: *Hæc Sacroſancta Synodus omnem nominationem loci Ferrarienſis pro futuro Concilio factam tanquam decretis a Synodo Baſileenſi alias conditis repugnantem caſſat, irritat, caſſamque & irritam eſſe declarat.* Ac quoniam ipſe Pontifex libere faſſus eſt, quod durante Baſileenſi Concilio nulla alia Synodus dici poſſit Oecumenica, nec ipſe quoque jure ſibi ſoli competente, ſed mere via facti Ferrariam nominare potuit. Denique Eugenio minitantur, quod ſi intra quatuor menſium ſpatium prætenſam ſuam translationem non revocaverit, per bimeſtre ſuſpenſus haberetur. *Quod ſi pœnam per duos menſes ſuſtinuerit animo indurato, contra ipſum usque ad privationem incluſive per Concilium generale procedatur,*

Sæcul. XV. A.C 1437.

cedatur, prout amplius ſancitum eſt in ſeſſionis undecimæ decreto, quod, antequam Eugenius Synodo adhæſiſſet, debito ordine conditum, & ab ipſomet ſatis diſerte approbatum eſt.

Vide ſupr. Lib. CVI. § XXXV.

Verum Eugenius nequaquam cedendum ratus, in ſententia ſua firmius perſtitit, & Bullam, qua Synodum Ferrariam convocaverat, publicis literis confirmavit, ac ex plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis altero diplomate ipſam translationem reapſe ſubſiſtere ſtatuit, eoquod Baſileenſes contra ipſum adeo inſurrexiſſent, ut eum contumaciæ accuſare, & ad revocanda geſta compellere auſi fuiſſent. Quam ob cauſſam omnibus notum eſſe voluit, Synodum ex nunc ad Ferrarienſem civitatem translatam fuiſſe & eſſe, ac illius Seſſiones die octava Januarii anni ſequentis quadringenteſimi trigeſimi octavi ſupra milleſimum inchoandas.

§. LXI.

Seſſio XXX. Baſileenſium.

Interea vero temporis Baſileenſes Feria ſecunda, die vigeſima tertia Decembris trigeſimam Seſſionem habebant, in qua decretum de communione ſub utraque ſpecie condiderunt.

Sæcul. XV.
A.C.1437.

§. LXII.

Decretum de communione ſub duplici ſpecie.

Hoc decreto declarat Synodus, *quod fideles Laici ſive Clerici communicantes, & non conficientes, non adſtringantur ex præcepto Domini ad ſuſcipiendum ſub utraque ſpecie ſacrum Euchariſtiæ Sacramentum, ſed Eccleſia, quæ regitur ſpiritu veritatis ſecum manente in æternum, & cum qua Chriſtus manet usque ad conſummationem ſæculi, ordinare habet, quomodo ipſis non conficientibus miniſtretur, prout pro reverentia ipſius Sacramenti, & ſalute fidelium viderit expedire, ſive autem ſub una ſpecie, ſive ſub duplici quis communicet, proficit digne communicantibus ad ſalutem. Nec ullatenus ambigendum eſt, quod non ſub ſpecie panis caro tantum, nec ſub ſpecie vini tantum, ſed ſub qualibet ſpecie ſit integer totus Chriſtus. Laudabilis quoque conſuetudo communicandi laicum populum ſub una ſpecie ab Eccleſia & ſanctis Patribus rationabiliter introducta, & hactenus diutiſſime obſervata, & a Doctoribus divinæ legis, ſacrarum Scripturarum, atque Canonum multam peritiam habentibus jam a longævo tempore commendata, pro lege habenda eſt, nec alicui licitum eſt eam reprobare, aut ſine auctoritate Eccleſiæ ipſam immutare.*

Labbe Conc. to.12. p.600.

Cochl. hiſt. Huſſit. lib.8.

Sæcul. XV. A.C. 1437.

§. LXIII.

Novi tumultus in Bohemia a Rochisana suscitati.

Interim Rochisana animo elatus, ac existimatione sui tumidus, turbarum & dissensionum semina, quæ in Bohemia feliciter suffocata credebantur, indies magis dispersit. Is ad Parochialem Ecclesiam S. Mariæ de Praga, cujus pastoralem sollicitudinem usurpaverat, sese recepit, ubi Archi-Præsulatum Pragensem sibi Apostolicis literis asserendum expectabat, easque diutius retardari ægerrime ferebat; verebatur enim, ne Monachorum ad sua Monasteria, quæ adhuc integra servabantur, redeuntium meritis, immodice nominis sui gloria decresceret. Ergo horum studia præventurus, ex Bohemiæ finibus omnes ejicere animo statuit, nec perversum animi sui consilium aperire dubitavit, inquiens: *Veniunt novi dietim ad nos dæmones, quos Monachos vocant: his studium est ejicere nos de veritate: at si Viri Christianæ Religionis ardore ferventes* (ita suos appellitat Hussitas) *fueritis, prius eosdem mecum expelletis.* Sigismundus, cum hæc perciperet, indignatione tanto justiore excanduit, quo certiore præsagio eandem seditionum tempestatem, quam mox sedaverat, denuo resusci-

reſuſcitari metuit: quapropter ad Rochiſanæ dicta reſpondit: *Imo nos prius Rochiſanæ ſanguinem non inviti ante aras potius libabimus*, quam ut eidem adeo ſceleſtum facinus exequendi ſpatium relinquamus. Rochiſana præſentiſcens vitæ ſuæ periculum, quod ſibi eo gravius impendere timebat, quo tardius manſuetiſſimam Imperatoris indolem ad vehementes iræ motus concitari noverat, clam fuga ſe proripuit. Aſt infauſtus Sigismundi obitus paucis ex poſt diebus eveniens, Rochiſanam ſuo metu exemit, Bohemiam vero turbis, a quibus Imperator eam vindicare cogitabat, infeliciter involvit. Sæcul. XV. A.C. 1437.

§. LXIV.

Sigismundi Imperatoris obitus.

Jam a longo tempore fatiſcentes corporis vires extremam vitæ diem Sigismundo Cæſari præſagiebant. Igitur Hungaros eum ſtipantes, quos tenerrimo complectebatur affectu, manifeſtato mortis ſuæ periculo, allocutus dicebat: mihi fixum, ratumque eſt, Bohemia excedere, atque ut idem ſerio faciatis, vobis conſulo; timeo enim, ne Bohemi poſt obitum meum in vos tanquam ſectæ ſuæ hoſtes ſeditionem moveant, vosque bonis, aut forte etiam vita ſpolient, ſi in- *Æn. Sylv. Hiſt. Bohem. c. 50. 55. Krantz. 12. Wandal. 1. &. 4.*

Sæcul. XV. A.C. 1437.

ter eos omni præsidio destituti diutius permanseritis. Ceterum Sigismundus hoc timoris obtentu veram discessus sui caussam occultasse videtur; gravius quippe instabat periculum ab Imperatrice Barbara ejus conjuge; hæc enim voluptatibus plus æquo dedita, provectæ licet ætatis, nova jamjam conjugia pol Cæsaris obitum cum Rege Poloniæ noc dum infantiam egresso meditabatur, nu sine magno Elisabethæ filiæ suæ præju dicio, quæ in spem regni adoleverat. Si gismundus igitur verebatur, ne infaust ejusmodi nuptiæ seditionem concitaret, indeque Hungaris itineris sui socia quos aliunde sparsus connubii rumor jam jam plurimum turbaverat, grave pericu lum immineret. Igitur tertio post die Praga discessit, & Znoymam in Moravi perveniens substitit, ibidemque Imperatricem, quæ eum secuta est, custodiæ tra di jussit, adempta eidem omni immatur sua consilia exequendi copia. Paucis te men ex post diebus Imperator die o ctava Decembris ex paralysi obiit, juxta nonnullos anno ætatis suæ septuagesimo secundum alios vero septuagesimo octavo Regni Hungarici quinquagesimo primo Romanorum vigesimo septimo, Bohemici decimo septimo, ac Imperii sui quinto

Trithem. in chro. Spanh. Quem Thrithemius plurimum comendans ait

ait, fuiſſe eum *amatorem Dei, defenſorem Cleri, & pauperum advocatum.* Corpus ejus delatum in Hungariam, ſepulturæ traditum eſt in Eccleſia Varadinenſi. Sigismundo cetera ob pietatem laudatiſſimo id a nonnullis vitio vertitur, quod ipſe minus pudicus, nimia etiam indulgentia uxoris ſuæ libidinem diſſimularet. Inter ejus plurimas, quas condidit, conſtitutiones una reperitur præclariſſima de privilegiis, & immunitatibus Clericorum, qua antiquas Friderici II, & Caroli IV. leges confirmavit, auxitque.

Sæcul. XV. A.C. 1437.

Bzov. hoc ann. ex Goldaſt.

§. LXV.

Albertus Auſtriæ Dux Sigismundi ſucceſſor.

Reliquit Sigismundus Imperator morti proximus Hungarici, ac Bohemici Regni ſui hæredem Albertum; huic enim tanquam illius Genero non modo ſuffragabatur ſanguinis propinquitas, ſed etiam antiquum fœdus, quod inter Bohemiæ Reges, & Auſtriæ Duces de mutuo in hoc Principatus ſuccedendi jure intercedebat, ſi hæredes maſculi deficerent. Ita teſtantur Æneas Sylvius, Cochlæus, & alii. Quamvis non deſint, qui ſcribere non dubitaverint, Albertum Sigismundi ſoceri ſui aſtu ſortitum eſſe duo illa regna. Enimvero id Friderici II. Impera-

Æn. Sylv. Hiſt. Boh. c. 55. Cochl. lib. 8. & 9. Acta Patricii tom. 12. conc. p. 1550.

Sæcul. XV. A. C. 1437.

peratoris diplomate, quod Carolus IV. confirmavit, ſancitum habetur, quod jus Regem eligendi, ſi de proſapia Regali Bohemiæ nec maſculus nec fœmina ſuperſtes fuerit, ad Prælatos ac Regni Proceres devolvatur, nulla penitus facta mentione prædicti fœderis. Id quoque certum eſt, quod Auguſtiſſima Auſtriæ domus non pauca, quæ poſſidet, dominia ex ſolis fere nuptiarum fœderibus Deo benedicente acquiſiverit. Ut ut res ſe habeat, Dux Albertus omni jure Sigismundo ſucceſſit, & ſocrum ſuam, quæ ipſum Bohemiæ regno exuere moliebatur, captivam detinere coactus eſt. Verum hæc facta opportuniorem locum in Hiſtoria anni ſequentis ſibi vendicant.

§. LXVI.

Luſitanorum clades in Africa.

Hoc eodem anno ingenti clade Luſitani in Africa attriti leguntur. Ferdinandus enim ex quinque Regis Luſitaniæ Fratribus animi robore præſtantiſſimus cum ſex tantum millibus armatorum in Africam navigare conſtituit, contranitentibus fruſtra Procerum quam plurimis, qui Mauros tam parvo militum numero aggredi rem periculi pleniſſimam ajebant. Aſt Ferdinandus hæc nihil moratus, in Africam trajecit, & impetra-

ta

ta a Pontifice indulgentia, quæ in ſacro bello pugnantibus concedi ſolet, præprimis Urbem Tingin obſidione cinxit, adverſo tamen ſucceſſu; quippe a validiſſimo Maurorum exercitu, qui ſexaginta peditum millibus, haudque minori equitum numero conſtabat, intra munimenta ſua obſeſſus, ac poſt acre prælium nullo dato fugæ loco cum ſuis captus eſt. Cum dein Maurorum Rex omnes pacis conditiones reſpueret, Ferdinandus usque ad annum Domini milleſimum quadringenteſimum quadrageſimum, quo obiit, in captivitate temeritatis ſuæ pœnas luere compulſus fuit. Mariana Principem hunc eximium Religionis cultorem, ac moribus caſtiſſimum deprædicat. Corpus ejus clam in Luſitaniam delatum, ingenti pompa exceptum eſt, ac juxta Patris ſui cineres conditum.

Sæcul. XV. A.C. 1437.

Marian. l. 21 c. 12.

§. LXVII.

Renatus Andegavenſis libertati aſſertus.

Renatus Andegavenſis, quem Burgundiæ Dux hucusque captivum detinebat, omnibus diu incaſſum adhibitis mediis, tandem libertatem ſuam ſatis caro redemit pretio; plures quippe ditiones cedere, & Jolandam natu majorem nonniſi novem annorum filiam ſuam Ferryo Anto-

Sæcul. XV. A. C. 1437.

Antonii Valdemontii Comitis filio primogenito in matrimonium collocare coactus est. Hujus connubii sorte Lotharingiæ Ducatus denuo ad masculas illustris hujus domus proles rediit, Renatus Lotharingiæ Ducis nomen jure tantum uxorio gestante.

§. LXVIII.

Carolus VII. Rex Lutetiam ingressus.

Interea Carolus VII. Galliæ Rex suorum hortatu in Lugdunensem Provinciam ac Delphinatum profectus est, ut ibidem necessariam pecuniarum vim colligeret; Quem in finem primo in Occitaniam venit, inde reversus Monterigolum seu Monasteriolum ad Icaunum obsidione cinxit, ac demum urbem post diuturnos belli labores, post longam se defendentium pertinaciam ad deditionem coegit: Postera die quarta Novembris Victor Parisios ingressus est, quam urbem eadem die, qua regiæ inaugurationis suæ solemnia celebravit, ac Parisienses in fidem suam denuo recepit, haud amplius accessu suo illustrem reddiderat. Ornabantur aulæis urbis plateæ, & populus undique confluens, jubilis, honorumque plausibus certatim Regi suo faustissima vota acclamabat. Carolus recto tramite

Jo. Chart. hist. Car. VII

ad Eccleſiam Cathedralem tendit, inde vero ad Palatium ſuum, ubi & permanſit. Ab illa tandem Epocha vere Regem Franciæ ſe nominare poterat, in regni ſui Metropoli firmato imperii ſolio. Sæcul. XV. A.C. 1438.

§. LXIX.

Translatio Synodi Baſileenſis per aliam Eugenii Bullam confirmata.

Eugenius Papa, cum decretum, quo Baſileenſibus contra ſuam auctoritatem quicquam attentare prohibuerat, per edictum Baſileenſis Synodi in Seſſione vigeſima nona conditum violari contenderet, primam ſuam, qua Synodum Ferrariam transferri ſtatuit, Bullam novo diplomate, hoc anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octavo die prima Januarii edito confirmavit, hujus ferme tenoris: *Ex juſtis, rationabilibus, & urgentiſſimis cauſſis civitatem Ferrarienſem pro celebrando Concilio etiam oecumenico ex tunc nominavimus, tranſtulimus, & translatum declaravimus, ſed intelligentes, quod in Baſileenſi Concilio exiſtentes perſeverarent in ſuo obſtinato propoſito, vigore cujusdam prætenſi monitorii ſeu citatorii procedendo, aut aliam novitatem contra nos, & S. R. E. Cardinales, vel Præſidentes, aut oratores noſtros faciendo, ſperantes ex hac noſtra proviſione ipſos a tam periculoſis novitatibus facili-* Tom. 13. Conc. n. 16. p. 267. & 858. & ſeq.

Sæcul. XV. A. C. 1438.

faciliter abſtinere debere. Verum illi ipſi e- vertentes ſe, ne paci Eccleſiæ & unitati, nec jam paratæ unioni Occidentalis, & Orientalis Eccleſiæ accederent, pro qua cariſſimum i Chriſto Filium Romæorum Imperatorem, & Patriarcham Conſtantinopolitanum dictu exſpectamus, & jam plurimi eorum in por- tum Venetiarum applicuerunt, accuſationes contumaciæ contra nos admittere præſum- pſerunt. Nos igitur tam imminentibus no- lorum periculis opportune conſulere volentes de venerabilium Fratrum noſtrum S. R. E. Cardinalium conſilio & aſſenſu Baſilean Concilium ad Ferrarienſem civitatem fuiſ & eſſe translatum declaramus, illudque au- ctoritate & aſſenſu ac conſilio prædictis, in dicta civitate Ferrarienſi celebrandum, ac di octava proximi menſis Januarii inchoan- dum, ac continuandum decernimus, auctori- tate Apoſtolica mandantes omnibus, & ſin- gulis, qui ad generalia Concilia de jure ven- re tenentur, ad Concilium ſic translatum quantocius ſe transferre procurent. Nul- li ergo liceat hanc paginam noſtræ declara- tionis & Conſtitutionis infringere, vel ei te- merario auſu contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſu- rum. Data eſt hæc Conſtitutio Bono- niæ.

§. LXX.

Sæcul. XV.
A. C. 1438.

§. LXX.

Sessio I. Concilii Ferrariensis.

Ex Actis Augustini Patricii discimus, quod Patrum quam plurimi ab Eugenio Papa convocati Ferrariam convenerint, ac inter eos præcipue Nicolaus Albergatus S. Crucis Cardinalis, quem Eugenius novæ Synodi Præsidem creabat, præstituto die decima Januarii hujus anni solemni ritu primam habuit Sessionem, in qua decreto condito erat declaratum, Eugenium ob justissimas causas, quas Sedes Apostolica necessarias censuisset, ac Curiæ Romanæ Prælati approbassent, Basileense Concilium Ferrariam transtulisse, eamque translationem legitimam juxta ac canonicam existere, proin rite & legitime congregatum esse Concilium Ferrarienſe, cui injunctum, ut unioni Græcorum cum Latinorum Ecclesia perficiendæ incumberet, ac demum ea negotia, quæ Basileæ inchoata necdum perfecta essent, absolveret. Præterea in eodem decreto sanciebatur, quod cuncta per Basileenses post translationem attentanda irrita forent, ac nulla, nisi forte pro Bohemis ad fidem reducendis aliquid utile acturi essent; id ipsum tamen a Sacro Concilio Ferrarienſi approbari deberet. Tandem omnes a ju-

Acta Patr. to. 13. Conc. p. 1554. & ibid. 875.

Sæcul. XV. A. C. 1438. ramenti religione, qua ſeſe olim Baſileenſi Synodo obſtrinxiſſent, abſolutos eſſe, promulgatum eſt.

§. LXXI.

Cardinalis Julianus relicta Baſilea Ferrariam profectus.

Die, quæ primam Ferrarienſis Synodi Seſſionem præcedebat, Julianus Cæſarinus Cardinalis tit. S. Angeli, qui hucusque, edito etiam Ferrarienſis translationis diplomate Pontificio, Præſidis munere fungebatur, a Baſileenſibus defecit. Hunc ex reliquis Baſileæ congregatis nonniſi quatuor Prælati unacum eorum familiaribus ſequebantur, nil omnino proficientibus Juliani artibus, quibus potiorem eorum partem ad ſe trahere conabatur (*). Nec ullum Prælatum, Doctorem, aliamve Perſonam in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutam a tempore, quo Græci advenerant, Baſilea Ferrariam migraſſe conſtat. Inſuper omnes tam

Panor. hiſt. Conc. Baſil.

(*) *Ex actis Patritianis, aliisque Hiſtoricis liquet, omnes omnino Cardinales excepto ſolo Cardinale Arelatenſi pariter Baſilea abiiſſe. Ex iisdem quoque actis apud Card. Juſtin. pag 27 diſcimus, quod Henricus Anglorum Rex ſuos Anglos, ne factioſo conventiculo intereſſent, abduxerit. conjule §. 54.*

tam Imperatoris, quam Regum, aliorumque Principum Oratores olim Basileæ morantes, insuperhabita translatione ab Eugenio promulgata, ibidem perstiterunt. Imo quod plus est, Rex Galliæ subditis suis sub severis pœnis prohibuit, ne se sub obtentu assistendi Synodo ab Eugenio celebrandæ Ferrariam conferrent. Unde liquet, Regem continuato studio Basileensis Synodi auctoritatem propugnasse, quemadmodum id alio loco retulimus. Hæc tamen consona haud videntur longe plurium Scriptorum testimonio, qui Præsulum Ferrariam confluentium numerum immodice augent. Justinianus testatur, dato solemni Concilii initio interfuisse Archiepiscopos quinque, Abbates decem, cum quibusdam Ordinum Generalibus, atque Provincialibus.

Sæcul. XV. A.C.1438.

Panorm. ut supra.

Vid. §. LV.

Acta Conc. Ferrar. Justiniani.

§. LXXII.

Sessio XXXI. Basileensis Synodi.

Nihilominus Basileensis Concilii Patres Sessiones suas prosequebantur, & vigesima quarta Januarii die trigesimam primam celebrabant, in qua duo notatu digna condidere decreta.

Labbe Conc. to. 12. p. 601.

In horum primo statuunt, *quod in partibus ultra quatuor dietas a Romana Curia distantibus, omnes quæcunque causæ exceptis*

Sæcul. XV. A. C. 1438

ceptis majoribus, & electionum Ecclesiarum Cathedralium & monasteriorum, quas immediata subjectio ad Sedem Apostolicam devolvit, apud judices, quibus de jure vel consuetudine cognitio competit, terminentur, atque finiantur, ac prohibet, *ne ad Papam, omisso Ordinario loci, nec a gravamine in quacunque instantia ante definitivam sententiam quomodolibet appelletur. Si vero quispiam ad Sedem Apostolicam duxerit appellandum, causa per rescriptum usque ad finem litis in partibus committatur.* Et denique decernit, *causas huic Synodo incorporatorum*, quæ alias ad Pontificem devolverentur, *apud eandem sacram Synodum ipsa durante tractari debere.*

§. LXXIII.

Decretum Basileensis Synodi pro graduatis.

Ibid. p. 602. Secundo Decreto Patres cunctas gratias expectativas revocant, tam hucusque concessas, quam imposterum concedendas, relicta tamen Pontifici libertate disponendi *de uno beneficio ad collationem, in qua fuerint decem beneficia, & de duobus, ubi fuerint quinquaginta:* ut vero ad beneficia idonei instituantur viri, decernunt quod *quælibet Ecclesia Cathedralis teneatur & debeat habere unum Theologum*, & quilibet Collator, *quamprimum facul-*

tas

tas se obtulerit, uni Magistro, Licentiato, vel in Theologia Baccalaureo, qui per decennium in universitate privilegiata studuerit, quive bis aut semel per singulas hebdomadas legere habeat, canonicatum vel præbendam conferre teneatur. Insuper in qualibet Ecclesia Cathedrali vel collegiata tertia pars præbendarum conferatur graduatis, Magistris, Licentiatis seu Baccalaureis cujusdam facultatis sic, quod prima vacatura hujusmodi graduato, & deinde post alias duas sequens eo modo conferatur, & sic deinceps: idem quoque modus & ordo quoad dignitates observetur: *in Ecclesiis autem Parochialibus, quæ in civitatibus muratis existunt, instituantur Personæ, quæ saltem Magistri in artibus fuerint.* Denique statuerunt, quod *quolibet anno, durante tempore quadragesimæ omnes hoc modo qualificati debeant sua nomina exhibere illis, ad quos beneficiorum collatio spectat*, ut ad ea jus acquirant, *si non fecerint, collatio aliter quam permittitur facta, non propter hoc irrita censeatur*: Tandem, *beneficia regularia Religiosis idoneis conferantur.* Sæcul. XV. A. C. 1438.

§. LXXIV.

Eugenii Papæ jurisdictio Basileensium decreto suspensa.

Conditis hisce decretis Basileenses Eugenium Papam contumaciæ damnant, *Labbe Conc. to. 12. p. 606.*

Sæcul. XV. A.C. 1438.

nant, omnem illius jurisdictionem tam spiritualem quam temporalem suspendunt, eamque ad suam Synodum devolutam declarant. Præterea irritum, & inane decernunt, quicquid durante hac suspensione per ipsum factum fuerit, vel attentatum, atque omnibus cujuscunque conditionis Personis sub anathematis pœna præcipiunt, ut eidem Papæ Eugenio nullatenus obediant.

Paulo post Basileenses Responsionem, ut vocant, Synodalem conficiunt, adversum Ferrariense Concilium, omnesque rationes magis probabiles, quæ Papam Eugenium ad Synodum jam altera vice dissolvendam inducere potuissent, confutare, ac evincere nituntur, quod Eugenius durante Basileensi Synodo aliud Concilium Ferrariæ congregare non valeat, quin eoipso datam fidem violet, & se ab unitate Ecclesiæ separet. *Sicut enim*, inquiunt illi, *unica est Ecclesia sancta Catholica, sic esse non potest nisi unicum Generale Concilium, ipsam sanctam Ecclesiam Catholicam repræsentans; cum ergo præsens Concilium sit legitime congregatum, constat illo durante aliud alibi esse non posse. Quicunque igitur hoc durante Concilio aliam Congregationem sub nomine Generalis Concilii erigere præsumpserit, non Catholicæ Ecclesiæ Concilium, sed Schismaticorum conventiculum erigere convincitur.* Data est

Conc. gen. Labb. to. 12. art. 10. p. 730 & seq.

est hæc epistola die 15. Martii Anno mil- Sæcul. XV.
lesimo quadringentesimo trigesimo o- A.C.1438.
ctavo.

§. LXXV.

Cardinalis Arelatensis Basileensis Synodi Præses.

Præallegatum responsum instigante Arelatensi Cardinale confectum, ejusque opera elaboratum fuit, qui idem Juliano Cardinale ad partes Eugenii redeunte, ab iis, qui Basileæ perstiterant, Præses creatus fuerat. Vocabatur Ludovicus Alemanus (*) Cardinalis tit. S.Cæciliæ, vulgo dictus Cardinalis Arelatensis, nomine a sua Sede Archiepiscopali mutuato. Patrem nactus erat Joannem Alemanum, seu Alemandum Arbenæ, & Monginsonii Toparcham, ex quo primam lucem aspexit sub annum Domini millesimum trecentesimum nonagesimum in castello Arbenensi, quod in agro Bugesiæ, seu Burgiæ prope Sabaudiam situm est. Renuntiabatur primum Canonicus, &

(*) *Acta Patriciana Alemanum Basileensis cœtus Præsidem alium fuisse reputat ab illo Ludovico hujus responsionis Architecto, Protonotario Rom. ac Alphonsi Arragonum Regis oratore.*

Sæcul. XV. A.C. 1438.

& Comes Ecclesiæ S. Joannis de Lugdu-
no, postea Abbas Tinurcii ad Ararim, E-
piscopus Magalonæ, quæ hodie dum Mon-
pessulana Sedes dicitur, & tandem ad Ar-
ch' episcopatum Arelatensem evectus est.
Papa Martinus V. Anno salutis millesi-
mo quadringentesimo vigesimo secundo
Ludovicum Senas Legatum misit, dato
negotio, ut Urbis illius Proceres indi-
ceret, quo Ticinensis Synodi translatio-
nem ad ipsos faciendam gratam haberent.
Paulo post decernente eodem Pontifice
Bononiensi Legatione functus, Forojuli-
ium, ac Forum Cornelii Romaniæ urbes
optimis legibus instruxit, ac disciplinam
civilem feliciter restauravit. Postea Lu-
dovicus III. Neapolis Rex, Provinciæ Co-
mes tanti Viri, qui in universa Euro-
pa longe celebratissimus erat, præsentia
summam ditionibus suis prosperitatem
accessisse ratus, ejusdem merita præmiis
compensare statuit; quapropter privile-
gia a suis Prædecessoribus Arelatensi ci-
vitati liberaliter concessa, confirmavit.
Nec minor erat Pontificis munificentia,
qui Ludovicum Alemanum Anno mil-
lesimo quadringentesimo vigesimo sexto
Cardinalitia condecoravit purpura, &
Ecclesiæ Romanæ Vice - Camerarium
creavit. Martino V. fatis functo, ac e-
mergente ob Synodi Basileensis trans-
lationem dissidio ab Eugenio discessit, di-
ctumque

ctumque Concilium auctoritate sua continuari voluit (*). Sæcul. XV. A.C.1438.

§. LXXVI.

Congregatio Ferrariæ habita coram ipso Pontifice.

Exinde cum Papa Eugenius die vigesima septima Januarii Ferrariam delatus esset, die octava Februarii habita est Congregatio, cui ipsemet Pontifex præfuit, assistentibus cunctis Cardinalibus, Episcopis, atque Doctoribus, in qua prolatis contra Basileenses querelis declaravit, se quidem innocentia sua sat tutum esse, nihilominus si vel ipse, vel sui cujusdam criminis rei invenirentur, submittere se libenti animo Patrum correctioni; ceterum hortari se omnes, ut & ipsi sese prudentiæ laude ac morum probitate ad ceterorum exemplum commendabiles redderent. Die vero decima Februarii in alia Congregatione Generali coram Jordano Ursino Cardinale, quem Eugenius

(*) Addit Spondanus ad hunc annum num. 11. *præcipuum sane illius Synodi columen, absque cujus auctoritate post abscessum omnium Cardinalium ac præcipuorum Antistitum, reliqua remanentium colluvies dissipata ac sponte dilapsa evanuisset.*

Sæcul. XV. A.C.1438.

nius, utpote ceteris Cardinalibus antiquiorem, Præsidem Concilii nominavit, quædam statuta fuere condita de modo quem Cardinales, Episcopi, & Regum ac Principum Oratores, necnon Curiæ Romanæ Ministri observarent.

§. LXXVII.

Ordo sedendi stabilitus.

Sequens igitur erat ordo præscriptus: Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi sedeant secundum dignitatum suarum jura, ac ordinationum tempora, quatuor Patriarchalibus sedibus tantummodo exceptis, quæ juxta juris dispositionem suum quæque locum occuparent. Abbates generales, qui alios sibi subjectos haberent, mox primum ab Episcopis, Electisque confirmatis obtineant juxta tempus, quo inaugurati fuerant. Prælati majores, qui simul Regum ac Principum Oratores essent, in eodem gradu & ordine sedendi præcedant ceteros Prælatos Oratorum prærogativa destitutos (Patriarchis duntaxat exceptis); Oratores autem non Prælati ac Laici cujuscunque Ordinis in navi inferioris Ecclesiæ a dextris & a sinistris collocentur. Ceteri omnes Officiales Curiæ, Generales Ordinum, Episcoporum absen-

absentium, & Capitulorum Procuratores, Doctores, Advocati &c. prout in ceteris Conciliis ordinatum, sedeant: sancitum quoque, ut sive quis altero prior, sive loco posterior esset, nulli tamen Ecclesiæ, vel Prælato, Regi aut Principi seu Communitati inde jus acquireretur, vel præjudicium nasceretur. Saecul. XV. A. C. 1438.

§. LXXVIII.

Sessio II. Ferrariensis Concilii.

Duabus aliis Congregationibus undecima, & decima quarta Februarii habitis caussæ, quæ in proxima Sessione tractarentur, matura deliberatione discussæ fuerunt. Sessio hæc ordine secunda die Sabbati decima quinta Februarii celebrata legitur, præside ipsomet Eugenio Pontifice, ac præsentibus septuaginta duobus Episcopis, ut testatur Justinianus. Igitur re divina per Cardinalem S. Marci solemniter peracta Episcopus Forojulienſis seu Forolivienſis, nomine Aloysius (alii Ludovicum appellant ex Ordine FF. Minorum) ambonem conscendit, ac sequens decretum perlegit, publicavitque. *Acta Patric. to. 12. Conc. p. 1555.*

§. LXXIX.

Sæcul. XV. A.C. 1438.

§. LXXIX.

Decretum Eugenii contra Basileenses.

In hoc decreto Pontifex approbante sacro Concilio prolixius enarrat omnia quæ cum Basileensibus pro concordia egisset, demum de eorum contumacia vehementer conqueſtus, ſeditioſa eorum decreta omnino irrita & nulla declarat ac decernit, quod illi omnes, qui in cœtu iſto perſeverant, quacunque dignitate Eccleſiaſtica, vel ſæculari præfulgeant, pœnas excommunicationis, privationis dignitatum, ac beneficiorum in literis translationis contentas incurrerint, & omnia officia impoſterum inhabiles ſint. In eodem quoque decreto, ac ſub iisdem pœnis, atque cenſuris, omnibus cujuscunque conditionis, & ſtatus, qui in civitate Basileenſi ſub obtentu Concilii convenirent, mandat, ut infra triginta dies inde recedant; Magiſtratibus quoque ac Officialibus ſub pœna excommunicationis, interdicti vero Civibus injungit, ut eosdem elapſo hoc termino expellant. Prohibet denique ſub iisdem pœnis, nequid mercium, aut commeatus in eam urbem a quocunque adveheretur, ſi illi, qui cœtum ibi celebrant, in contumacia permanerent. Referunt nonnulli

Panorm. de Conc. Basil.

Æn. Sylv. de geſtis Conc. Basil.

Eug-

Eugenium omnino impunes declaraſſe, qui Baſileenſibus ad victum neceſſaria deferentes ſpoliarent. Sæcul. XV. A. C. 1438.

Acta Patrit. to. 13. Conc. p. 1555.

§. LXXX.

Seſſio XXXII. Baſileenſis Synodi.

Baſileenſes, cum ea, quæ in primis duabus Ferrarienſis Synodi Seſſionibus acta fuere, percepiſſent, atque Eugenium Papam per reſponſum Synodale nequaquam a propoſito ſuo dimotum cernerent, die vigeſima quarta Martii Seſſionem XXXII celebrant, in qua Ferrarienſem Synodum tanquam Schiſmaticam, ac nomine Concilii indignam damnant, & quæcunque in ea adverſus cives Baſileenſes ſtatuta fuiſſent, irrita ac prorſus nulla, nec ullo pacto ſervanda declarant. Inſuper ad omnes & ſingulos in Ferrarienſi conventu congregatos citatio *fiebat, ut trigeſimo die a data præſentis decreti computando in generali Congregatione compareant coram eadem Synodo, viſuri, ſe declarari in pœnas prædictas incidiſſe, aut juſtas cauſſas (ſi quas habeant) allegaturi.* Denique anathematis pœnam decernunt *adverſus omnes & ſingulos, qui quascunque perſonas ad Baſileenſe Concilium venientes, ſeu in eo ſtantes, aut ab eodem recedentes, invadere, capere vel injuriis affligere, aut alias quomodolibet impedire, directe vel indirecte præſumpſerint.* *Labbe Conc. to. 12. p. 611. & ſeq.*

§. LXXXI.

Sæcul. XV.
A.C. 1438.

§. LXXXI.

Imperator Græcorum cum Patriarcha Venetiis appulsus.

Acta Patrit. to. 13 Conc. p. 1555.

Interea Græci, qui die vigesima quarta Novembris elapsi anni ex Constantinopolitano portu solvebant, post diuturnam æque ac molestam navigationem die octava Februarii Venetias pervenerunt. Joannem Emanuelem Palæologum Imperatorem comitabantur Patriarcha Constantinopolitanus, & Despotes Demetrius Cæsaris frater præter Metropolitas, Episcopos, Abbates & Monachos Doctrinæ laude præstantissimos. Hos inter merito numerantur Marcus Eugenius celebris Monachus, nuper ad Archiepiscopalem Sedem Ephesinam evectus; Dionysius Sardium, & Bessarion Niceæ Archiepiscopi, qui totius Ecclesiæ Græcæ nomine in Synodo verba facerent; item Dorotheus Archiepiscopus Trapezuntinus; Antonius Heracleensis; Metrophanes Cyzicenus, Macarius Nicomediensis; Ignatius Tirnoviensis; Dosithæus Monembasiensis; Dorothæus Mitylenensis; Josaph Amasiensis; Damianus Muldoblachiensis; Nathanael Rhodius, omnes Metropolitæ. Præterea advenerant Lacedemonius, & Stauropolitanus Archiepiscopi; Matthæus Melenicensis; Dosithæus Dramensis; Gennadius Ganensis; Callistus

stus Distrensis; Sophronius Anchialiensis unacum Isidoro Kioviensi Archiepiscopo, Russiæ Metropolitæ; Omnes igitur primi Ordinis Prælati erant numero viginti & unus, meritorum vero gloria omni numero majores. Ex Prælatis secundi Ordinis præcipui eminebant Theodorus Xantopulus Diaconus, Constantipolitanæ Ecclesiæ Archi-Sacellanus; Michael Balsamon Magnus Chartophylax, & ejusdem Ecclesiæ Archidiaconus; Syropulus Magnus Ecclesiarcha, qui idem Concilii Florentini Historiam concinnavit; Georgius Capadox primarius judex, pluresque alii ejusdem Ecclesiæ Ministri. Inter Monachos veniebant, Gregorius Imperatoris Confessarius, qui Florentiis Protosyncellus creatus est; Gerontius Hieromonachus, & Monasterii Pantocratoris Abbas, item Calesii & S. Blasii Monasteriorum Abbates; Moyses Monachus monasterii magnæ Lauræ in monte sancto; Pacomius Abbas sancti Pauli; Dorotæus Monachus Bacopedensis; Athanasius Monasterii peribleti Monachus; Gemistius doctrina celebris, Bessarionis & Marci Ephesini Magister, necnon Ameruntza Philosophus; Georgius Scholarius, pluresque alii, cum reliquis Imperii Magnatibus, quorum omnium censum ad septingentos ascendisse, Justinianus perhibet, additque, hunc numerum in pactis cum

Sæcul. XV. A. C. 1438.

Justin. Act. Concil. Ferrar.

Sæcul. XV. A.C. 1438.

cum Græca Ecclesia definitum fuisset. Imperator ab Alexandrino, Antiochen. & Jerosolymitano Patriarchis demandatæ auctoritatis literas sibi consignari petiit, dandas Prælatis, qui eas Synodo exhiberent.

§. LXXXII.

Imperator Græcorum Venetias ingressus.

Acta Conc. Flor. to. 13. Conc. Labb. p. 6.

Cunctis igitur Venetias venientibus, Imperator sequenti die, quæ erat Dominica septuagesimæ, insigni pompa, atque insolita prorsus magnificentia sub immera populi frequentia Urbem ingrediebatur. Ipse Dux cum Senatoribus suis ad Sancti Nicolai oppidum, vulgo *de Lido* dictum, obviam factus est Cæsari, atque eundem navi, quam Bucentaurum vocant, auro copiose vestita, ac sericis pafabre ornata excepit, comitantibus quaque duodecim triremibus splendidissima apparatu instructis; tantaque circacum erat phaselorum multitudo, ut eorum numero ipsum mare vix non obtegeretur. Postquam igitur Imperator conscensa navi solio non pretio minus quam arte præclarissimo insidens, debitos honores a Duce, totoque ejus Senatu sibi delatos ritu solemni recepit, deinde in altum devectus, ad meridiem Venetiae

netias cum insigni hoc comitatu ingressus est, Duce dexteram illius, Demetrio autem Imperatoris fratre lævam tenentibus. Illa die undique tota civitas tubarum sonitu, Musicorum concentu, omniumque campanarum strepitu resonabat. Sæcul. XV. A. C. 1438.

Papa comperto Imperatoris adventu, illico Nicolaum Albergatum Cardinalem S. Crucis, qui Ferrariensi Synodo solemne initium dederat, præter Nicolaum Estensem, seu Attestinum Ferrariæ Marchionem Venetias decrevit, ut Cæsarem salutarent, cui Marchio civitatem, omnesque suas ditiones insolitis benevolentiæ signis offerebat. Cardinalis quoque Julianus Venetias contendit, ut Imperatori prosperum adventum, ac sanctum, quo plenam & integram unionem restaurare vellet, propositum gratularetur. Joannes Palæologus grato omnes animo excepit, & nomine suo Oratores Ferrariam destinavit duos Abbates, & tres Viros sæculares, qui summo Pontifici filialis sui obsequii homagium deferrent, seque brevi Sanctitatem suam osculo veneraturum nunciarent. Abbates cum Pontificem salutarent, non nisi caput: sæculares vero genua curvabant, non tamen Papæ pedes exosculabantur: hujus quippe obsequii usus apud Græcos illo tempore jam exoleverat.

Sæcul. XV. A. C. 1438.

§. LXXXIII.

Imperator Venetiis Ferrariam delatus.

Tandem Imperator maximis honorum ſignis cumulatus, die vigeſima octava Februarii Venetiis diſceſſit, ubi tamen Patriarcha ob triremium defectum adhuc hærere cogebatur: Cæſar autem adveſo Pado Francolinum usque, urbs eſt media dio lapide Ferraria diſtans, contendit, ibidem ſummum Pontificem viſurus, qui eo non ita pridem Bononia advenerat. Igitur Imperatorem e navi deſcendentem Marchio Eſtenſis excepit, cunctis Cardinalibus, omnibusque Prælatorum ordinibus ante Ferrarienſis Urbis mænia obviam effuſis, illumque præcedentibus. Sequebatur denique ipſe Imperator, atque equo badio, ephippio ac phaleris ſplendidiſſime ornato vectus, die quarto Martii urbem ingrediebatur, ipſius Marchionis Filiis, ac proximioribus ejus agnatis umbellam pretioſiſſimam geſtantibus.

Act. Conc. Flor. tom. 13. Conc. p. 10. & p. 903.

§. LXXXIV.

Papa Ferrariæ a Græcorum Imperatore ſalutatus.

Imperator magnifico hoc apparatu, atque comitatu cinctus, ad ipſius Papæ pelatium progreditur, ante cujus portam omnes

omnes, qui cum eo erant, protinus ex equis desiliunt, solo Cæsare equo suo adhucdum insidente, ex quo primum ad aulæ limen delatus descendit, quod pertransiens obviam factus est Pontifici, qui, ut Imperatorem portæ vicinum cognoverat, solio suo surgens, lentoque gradu incedens, eundem in medio cubilis sui excepit, atque eum tenerrimo affectu amplectens, data dextera, quam Imperator summa reverentia deosculabatur, ad interius suum cubile deduxit, & ad sinistram suam consedere fecit. Quo facto cuncti Cardinales, aliique Principes obsequiosa salutatione Imperatorem venerabantur. Denique postquam secreto aliquamdiu Pontifici collocutus fuisset, eadem pompa sonantibus tubis ad Palatium suum splendide ornatum recessit, ubi profusa largitate, ac magnificentia tanto Imperatore digna habitus est. Sæcul. XV. A. C. 1438.

§. LXXXV.

Patriarcha Ferrariam veniens.

Triduo post Patriarcha, qui cum quibusdam Metropolitis, ac Episcopis Venetiis substiterat, speciosissimo, atque inaurato Marchionis Estensis navigio Ferrariam appulit. In portum delatus, reliquo diei ac noctis tempore ibidem commoratus est, donec de ritu, quo ipse *Concil. to. 13. p. 904.*

Sæcul. XV. A. C. 1438.

a Papa exciperetur, conventum effet; cum enim Græci, Orientali schismate facto, Primatum Papæ, ac supremam ejus in terris auctoritatem in controversiam traherent, atque hanc ipsam quæstionem in Synodo decidi peterent, ipse Patriarcha primæ, quam in Ecclesia Orientali gerebat, tuendæ dignitatis studiosus parem cum Romano Pontifice honoris gradum sibi reddendum, nullumque alium præter ætatis prærogativam discrimen inter eos agnoscendum contendebat: Præcipue vero duo sibi concedi postulabat. I. Cardinales sibi etiam obviam procedant; hi enim non comparuerant, solis Episcopis illum excipientibus. II. Ipse non cogatur summi Pontificis pedes juxta Occidentalis Ecclesiæ consuetudinem deosculari. Huic utrique articulo, cum Patriarcha fortiter institisset, Papa juri potius suo cedere, quam pacis bonum impedire volens, ejusdem postulatis annuit; interim vero vetuit, ne Patriarcha Pontificio uteretur pedo, aut per urbem Ferrarienſi populo solemni ritu benediceret.

§. LXXXVI.

Patriarchæ obsequium Pontifici exhibitum.

Conc. tom. 13. p. 904.

Hisce omnibus ita compositis, quatuor

tuor Cardinales, viginti quinque Episco- Sæcul. XV.
pi, unacum ingenti numero Prælatorum, A. C. 1438.
& Papæ officialium, ipsoque Marchione Estensi cum filiis suis, & maxima nobilium corona præsente Patriarcham e navi descendentem exceperunt, eumque obsequiosa salutatione venerati sunt; demum tam Patriarchæ, quam reliquis, qui eum comitabantur, equos opportune instructos obtulerunt; quibus conscensis Patriarcha inter duos Cardinales, quorum alter erat Prosper Columna defuncti Pontificis Nepos, medius vehebatur, ceteris suo quisque ordine tamdiu insequentibus, donec ad ipsum Pontificis palatium perventum esset, ubi Patriarcha equo descendens per aulas, & exteriora cubicula ad secreti cubilis portam ducebatur, in quo Pontifex, qui alloquium noluit esse publicum in solio suo admodum elevato sedens, illius adventum præstolabatur, Cardinalibus ad dexteram Papæ in humilioribus sedibus collocatis. Appropinquante Patriarcha aperiebantur ianuæ, per quas ille ingrediebatur, nonnisi sex suorum eum comitantibus, nempe Trapezuntino, Ephesino, Cyziceno, Sardio, Nicæno & Nicomediensi Metropolitis. Papa e solio suo surgens, advenientem mutuo amplexu, datoque pacis osculo excepit. Quo facto solium suum repetens, Patriarcham ad lævam suam in sede, qualis erat Cardi-

Sæcul. XV. A. C. 1438

dinalium, conſidere fecit; denique ſeri illi Metropolitæ ad oſculum pariter admiſſi, ſiniſtrum Patriarchæ latus ſtantes ſtipabant. Poſt hos ceteri Græci, qui Patriarcham comitabantur, alternis vicibus ſeni ac ſeni ad cubile Pontificis introducebantur, qui obſequii ſui homagium pro diverſo dignitatum ſuarum gradu exhibebant, aut faciem, & Papæ dexteram deoſculantes, quod Epiſcopis, & primis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Miniſtris conceſſum, aut profunda veneratione illum ſalutantes, quod ceteris Clericis præſcriptum erat; Laici vero Papæ pedes genuflexi deoſculabantur. Hæc ita permiſſa fuere, ut Græcorum conſuetudini pro ratione temporis indulgeretur.

§. LXXXVII.

Conſultatio Papæ cum Græcis de Synodi negotiis.

Vide ſupra §. LXIX. & §. LXXVII

Elapſo aliquot dierum ſpacio actum est cum Imperatore, & Patriarcha de celebranda Synodo, cujus jam binas Seſſiones fuiſſe præmiſſas meminimus, quarum prima habebatur die decima Januarii Præſide Nicolao Albergato, quem Pontifex tanquam Legatum paulo ante adventum ſuum Ferrariam miſerat; altera vero die decima quinta Februarii ipſo Eugenio præſente. Igitur Papa de ſincera Græ-

Græcorum mente certior factus, transactis honorariæ pompæ diebus, de unionis negotio cum illis ſerio agere meditatur. Cum vero Imperator conſtanter poſtularet, ut Reges, & Principes Europæ vel per ſe, vel per Legatos celebrandæ Synodo intereſſent, tandem unanimi voce concluſum, primam Seſſionem *Latinorum cum Græcis* die nona Aprilis habendam eſſe; quo captioſo dicendi genere (*) univerſum orbem inducere conatus

Sæcul. XV. A. C. 1438.

(*) Non captioſum, ſed ſermonem apprime veritati conſonum fuiſſe conſtat; quippe num perfectius Eccleſia Orientalis repræſentari poterat, quam ubi eorum Patriarcha Conſtantinopolitanus cum ceteris Græcorum Patriarchis, potiſſimis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus Monachis atque Doctoribus pietate ac ſcientia longe celeberrimis in Synodo congregati aderant. Ubinam, amabo, Eccleſiam Latinam melius repræſentatam crederes, in Ferrarienſi, vel Baſileenſi Concilio? Cum in hoc ſummus Pontifex, octo Cardinales. Patriarchæ duo, octo Archiepiſcopi, & quadraginta ſeptem Epiſcopi, ac plerique alii digni Prælati, penes quos in Synodis judicandi ac decidendi auctoritas, non autem penes ſæcularium Principum oratores reſidet, convenerant; quinam vero Baſileæ fuerint, ex Auguſtino Patricio in ſua Hiſt. Conc. Baſil. Florent. §. LIV. quem Scriptorem Continua-

Sæcul. XV. A C. 1438.

tus est Pontifex, ut crederet, quod utraque Ecclesia Orientalis, & Occidentalis Ferrariæ in legitima Synodo, ad quam omnes Principes & Prælati vocati essent, congregata existeret. Præterea statutum, Sessionem secundam, ut unicuique facilis pateret accessus, nonnisi quatuor mensibus post primam decursis celebrandam esse, intermedium vero tempus particularibus congregationibus dicandum, in quibus sexdecim Viri doctrina celebres ex Latinis, ac totidem ex Græcis seligerentur, qui in disputationibus, ac collationibus juxta præscriptas leges institutis, in medium proferrent, quæ circa Articulos in ipsa Synodo examinandos pronuntianda forent.

§. LXXXVIII.

Articuli in Ferrariensi Synodo discutiendi.

Potissimi vero erant sequentes quinque.

I. De Processione Spiritus sancti.

II. De

---

tinuator noster severum veritatis assertorem deprædicat, percipiamus: *Secedit magna pars Patrum, quæ Pontifici erat infensa, & Concilium in Italia nullo pacto volebat: hæc factio ex vili plebe magna ex parte constabat; quamvis ducem haberent Cardinalem Arelatensem, & nonnullos alios Prælatos.*

II. De additione particulæ: *Filioque*, in Symbolo facta. III. De purgatorio, & ſtatu animarum ante judicii diem. IV. De uſu Azymorum in Sacro Miſſæ ſacrificio. V. De primatu Auctoritatis ſedis Apoſtolicæ. Sæcul. XV. A. C. 1438.

Hoc ſtabilito, ſummus Pontifex literas encyclicas dedit, quibus omnes Principes, ac Prælatos hortatus eſt, ut intra quatuor menſes Ferrariam accederent, interfuturi Concilio, in quo præſentibus totius orbis Chriſtiani Monarchis, Orientales, & Occidentales populi in unitatis, pacisque gratiam eo fine convenire feſtinarent, ut deinceps nonniſi unicus grex ſub uno, eodemque Paſtore eſſet. Inde parabantur omnia, quæ ad celebrandam primam Seſſionem neceſſaria erant. Hæc in Actis Auguſtini Patricii tertia nominatur propter duas priores, quæ ante Græcorum adventum coactæ fuerant; cum vero illæ potiori titulo nonniſi prævia Synodi introductio appellari valeant, atque inſuper Acta Romana nonniſi ad octavam Octobris diem Seſſionem primam reponant, in qua de proceſſione Spiritus ſancti tractari cœptum, cum hæc quæſtio præcipue Eccleſiam Orientalem ab Occidentali tamdiu diviſiſſet, ideo & nos impoſterum eidem inſiſtemus ordini, ne numeri diverſitas materiæ confuſionem ingerat.

Act. Patricii to. 13. Conc. p. 1556.

Sæcul. XV.
A.C. 1428.

§. LXXXIX.

Conventus Latinorum cum Græcis in Ecclesia S. Georgii.

Ibid. p. 905. & seq.

Igitur nona Aprilis feria quarta majoris hebdomadæ ad Ferrariense Concilium feliciter inchoandum omnium occupatur sollicitudo, cunctaque jamjam ad proximam Sessionem disponuntur, cum eccè intempestive lis, & controversia oritur de Sedibus Papæ, Imperatoris, & Patriarchæ. Postulabat enim Pontifex, ut thronus ipsius duos inter considentium ordines medius in superiori Ecclesiæ parte collocaretur; cum enim in propria Persona Synodo præsideret, sese veluti centrum, ac utriusque Ecclesiæ nexum monstrare volebat. Econtra Imperator Græcorum acriter obluctatus contendebat, primam sibi sedem deberi; id ut probaret, adducebat Nicænum, & Chalcedonense Concilium, in quorum primo Constantinus in medio Ecclesiæ consedisset; in altero autem Marcianus Imperator medium ante cancellos summi Altaris locum occupasset. Verum ad hæc reponebatur, quod in præfatis Conciliis equidem Pontifex medium locum, primamque sedem non tenuerit, id vero non aliâ ex caussa factum, quam quia Synodo per suos duntaxat Legatos intererat.

§. XC.

§. XC.

Sæcul. XV.
A. C. 1438.

Ordo ſedendi decretus.

Hac tamen quæſtione ex utriusque partis voto compoſita, inter eos convenit, ut ſummo Pontifici in elevata magis cathedra prima ſedes ex latere dextro cederetur, & infra ipſum uno fere paſſu ſedes Imperatoris Latinorum vacua poneretur, prope illam vero Cardinales, Archiepiſcopi, & Occidentis Epiſcopi ſederent. Imperator Græcorum e regione ſolii, quod pro Imperatore Romano erigeretur, ſuum thronum occuparet: ac poſt illum Conſtantinopolitani Patriarchæ cathedra, demum ceterorum, qui Patriarcharum Vicarii erant, ac poſtremo Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum ſedes ordine ſuo diſponerentur, Demetrio Deſpota Imperatoris fratre penes ipſum ſedente. Cum Altare majus in Eccleſia Sancto Georgio ſacra, in qua Synodus celebrabatur, Orientem reſpiceret, cornu dextrum Evangelii, ut vocant, ſeptentrionem ſpectabat; hanc ergo partem Pontifex cum Latinis, ſiniſtram vero Græci verſus medium occupabant, Evangelii libro in medio Eccleſiæ ante Altare collocato.

Igitur ſedium ordine ita ſtabilito, Papa Eugenius pontificali amictu inſignis thronum ſuum conſcendit: Cardinales vero ſedes ſuas tenuerunt proxime poſt Latini

Act. Juſtin. in hiſt. Conc. Flor. tom. 12. Conc.

Sæcul. XV. A. C. 1438.

tini Imperatoris solium, quod quidem erectum erat; ob ejus tamen absentiam semper vacuum remansit. Cardinali primo Patriarcha Hierosolymitanus ritus latini, ultimo autem Aquilejensis Patriarcha successit, Archiepiscopo & ceteris Episcopis secundum sedium suarum antiquitatem, ac ordinationum tempora collocatis. Denique Abbates, Ordinum Generales, Doctores, ac reliqui Ecclesiastici in navi inferioris Ecclesiæ considebant, superiori parte a Protonotariis Apostolicis, aliisque Curiæ officialibus occupata. Advocati Consistoriales super gradus summi Altaris, & Clerici Cameræ unacum Auditoribus in plano ante Pontificis pedes collocabantur, Principum vero, & Rerumpublicarum Oratores, Duces, Marchiones, & ceteri primariæ Nobilitatis Viri ante thronos Papæ, & Romani Imperatoris sederunt.

Absoluto solemni sacro de Spiritu Sancto, & sacrificio a Prælatis Græcis ritu suo privatim peracto, Imperator Græcorum cum suis Præsulibus Ecclesiam ingrediebatur, & toto cœtu in signum Venerationis assurgente, cuncti ex meridionali latere assignatos pro dignitate sedilium ordines occupabant. Demetrius Despota ad dextram Imperatoris Germani sui humiliorem & a solio Imperiali uno palmo remotam sedem habebat, ad

ad lævam vero Patriarchæ Cathedram, qui adversa valetudine præpeditus aberat. E latere siniſtro fuere trium Orientalium Patriarcharum Vicarii, scilicet, nomine Philothei Alexandrini, Antonius Metropolita Heracleensis in Thracia, & Gregorius Protosyncellus, qui Imperatori a confessionibus erat; Dorothei Antiocheni locum subibat Marcus Eugenius Ephesiorum Episcopus, quem Patriarcha iste adjunxerat Isidoro Russiæ Metropolitæ, cujus sedes vacans erat, eoquod nonnisi in mense Augusto ad Synodum accessisset cum nonnullis Prælatis Moscovitis, ac ducentorum Equitum comitatu; & denique Patriarchæ Jerosolymitani dicti Joachimi vices agebant Dynoisius Sardium Metropolita, paulopost Ferrariæ mortuus, & Dositheus Metropolita Monembasiensis in Peloponneso. Post hos sederunt suo quisque loco ceteri Metropolitæ, Dorotheus Trapezuntinus; Metrophanes Cyzicenus; Bessarion Nicænus; Macarius Nicomediensis; Dorotheus Mitylenensis, Georgianorum Metropolita cum quodam suo Episcopo, & alii quam plurimi Antistites, qui subscripti reperiuntur ad calcem actorum Synodi. Ultimi sedebant officiales, & Ecclesiæ Constantinopolitanæ Ministri in dignitatibus constituti, Abbates, Presbyteri, & montis sancti Monachi. Ad ima throni Imperatoris

Sæcul. XV. A. C. 1438.

Collect. Conc. P. Labb. tom. 13. *pag.* 1168. *& seq. & p.* 518. *& seq.*

Sæcul. XV. A.C. 1438.

toris Græci suo ordine disponebantur Trapezuntini Imperatoris, magni Moscoviæ Ducis, Georgianorum Principis, Serviæ ac Walachiæ Despotarum oratores, ac præcipui Imperatoris Ministri, quos inter doctrinæ laude ex Senatorum ordine claruerunt Gemistius Lacedæmonius, Archyrophulus, & celeberrimus Scholarius, cujus Oratio, qua suos populares ad unionem adhortabatur, in actis Concilii exstat. Ex utroque latere Patriarchæ stipabant quinque Assistentes, seu Diaconi, qui cruciferi appellari solebant a Cruce, quam suis palliis intextam gestabant. Ex horum numero erat Sguropulus, qui nobis Concilii Florentini Acta reliquit. Denique omnes reliqui Ecclesiastici, Græcorum Episcoporum comites ex latere ipsis assignato inferiorem Ecclesiæ partem, sicut Latini ex opposita regione, occupabant.

In Append. Conc. Flor. to. 13. p. 543 & seq.

§. XCI.

Synodus Latinorum cum Græcis inchoata.

Tom. 13. Conc. gener. Labb. p. 907.

Hæc omnia adeo solerter disposita fuere, ut brevi solemne initium Synodo daretur, quæ demum die nona Aprilis in Ecclesia Sancti Georgii inchoata est, unaque promulgatum, Synodum Oecumenicam nonnisi Ferrariæ celebrari, ac qua-

quatuor menſium ſpatium omnibus, qui ad eam vocati eſſent, concedi. Præterea, cum Patriarcha Conſtantinopolitanus plusquam octogenarius, non modo ſenio, ſed & infirmitate gravatus abeſſet, ejusdem conſenſus e ſuggeſtu promulgatus eſt, quo publicatum, quod & ipſe Concilii convocationem approbet, lubensque annuat, ut quatuor menſium terminus concederetur, intra quem Epiſcopi adhucdum Baſileæ hærentes, omnesque alii, qui Synodo intereſſe tenerentur, necnon & Reges, ac Principes Occidentis opportune ad eam accedere valerent. Poſtmodum Epiſcopus Portuenſis ex ambone promulgavit decretum Eugenii Papæ, quo de conſenſu Imperatoris, Patriarchæ, ceterorumque, qui aderant, declaratum, ſacram Oecumenicam Synodum in urbe Ferrarienſi pro utriusque Eccleſiæ unione congregatam eſſe. Quibus ita comprobatis dimiſſa eſt Synodus. Seſſio hæc ad ſextum usque menſem protracta fuit, toto tamen, ſatisque longo hoc temporis intervallo exiguus erat confluentium numerus, eoquod Reges Galliæ, Caſtellæ, Luſitaniæ, & Navarræ, Dux Mediolanenſis, & Germaniæ Principes curam ac ſollicitudinem ſuam eo vertiſſent, ut Papam inter & Baſileenſes pacem conciliarent, profeſſi, ſe inviolabili obſervantia Eugenium tanquam verum, ac legi-

Sæcul. XV. A. C. 1438.

Ibid. p. 908. *& ſeq.*

Sæcul. XV. A. C. 1438.

legitimum Pontificem veneraturos, intempestivum tamen sibi videri, Episcopos suos durante isto concordiæ tractatu Ferrariam mittere. Ea res non parum afflixit Eugenium, eoquod Græci Synodum inchoari cunctarentur, donec maxima Episcoporum frequentia convenisset.

§. XCII.

Congregationes habitæ de dogmatibus inter latinos & Græcos controversis.

Verum Pontifex, ne tempus inutiliter transigeretur, efflagitabat Græcos, ut intermedia hæc temporis spatia examinandis dogmatibus inter utramque Ecclesiam controversis sacrare, ac cum latinis conferre vellent. Græcis in plena Synodo negotium hoc pertractandum petentibus tandem post iteratas preces ægre impetratum, ut ex utraque parte nominarentur, qui tribus in hebdomadis diebus in Monasterio S. Andreæ convenirent, ac de materiis controversis conferrent. Itaque a Græcis delecti sunt Marcus Eugenius Ephesinus, & Monembasiensis, Nicænus, Lacedæmonius, & Archialensis Episcopi, unacum magno Chartophylace, magno Ecclesiarcho, duobus Abbatibus & uno Monacho, quibus Imperator Jagarim adhuc adjunxerat. Latini

Conc. Gen. tom. 13. *p.* 23. *&* 918.

tini vero nominabant Cardinalem Julianum; Cardinalem Firmanum; Andream Coloſſenſem, ſeu Rhodium; Joannem Doctorem Hiſpanum, & ſex alios. Marcus Epheſinus, & Beſſarion Epiſcopus Nicænus nomine Græcorum ad diſputandum electi fuere, decretumque, ne ad principales excurrerent quæſtiones, utpote ipſius Synodi judicio reſervatas. Ante quaslibet haſce congregationes habitæ ſunt tam a Latinis quam Græcis orationes, in quibus generatim pax & utriusque Eccleſiæ unio commendabatur. Secul. XV. A.C. 1438

Julianus Cardinalis Græcos, ut circa præcipuum unionis articulum ſecum in arenam deſcenderent, omni ſtudio permovere voluit. Verum his certamen tam in primo, quam in altero conventu ſtudioſe declinantibus, in tertio demum Cardinalis expoſuit, Græcos, inter & Latinos quatuor controverſa exiſtere dogmata. I. De proceſſione Spiritus ſancti. II. De uſu panis Azymi, vel fermentati in ſacrificio Miſſæ. III. De Purgatorio. IV. De Primatu Pontificis; jam ergo ab ipſis ſeſe poſtulare, ut edicerent, quem horum articulorum primo ad examen vocari vellent. Hi de Proceſſione Spiritus ſancti agere recuſabant, cauſſati, hanc materiam opportuniori reſervandam tempori; ad reliquos vero articulos inconſulto Imperatore reſpondere ipſis haud li-

Sæcul. XV. A.C. 1438.

berum esse ajebant. Tandem in quarta Congregatione vel articulum de Purgatorio, vel illum de Primatu Pontificis discutiendum proposuerunt, relicta Latinis electione. Edixerat quidem Julianus Cardinalis quæstionem de Purgatorio tractandam, de ea tamen nonnisi in quinta Congregatione, die quinto Junii celebrata, agi cæptum est.

§. XCIII.

Consultatio Græcos inter & Latinos de Purgatorio.

Igitur Cardinalis Julianus, Græcis fidei Romanæ Ecclesiæ dogma circa Purgatorium explanari postulantibus, expo- suit, quod Latini crederent, justorum animas ab omni macula puras, omnisque mortalis culpæ expertes confestim in cœlum recipi, ac perfectam, æternamque gloriam consequi. Animas vero eorum, qui post Baptisma peccatorum reatum contraxissent, quamvis ea detestati fuissent, si tamen ad expiandas ejusmodi noxas satisfactionem plenam non exsolvissent, nec dignos fructus pœnitentiæ pro perfecta earum remissione egissent, per ignem piacularem esse mundandas, in quo nonnullæ diutius cruciarentur, aliæ citius liberarentur attenta peccatorum suorum gravitate: eas vero animas, quæ tan-

tandem plene purgatæ essent, æterna per- Sæcul. XV.
frui beatitudine. In peccato autem mor- A. C. 1438.
tali decedentes confestim ad inferni supplicia detrudi. Ad hæc Marcus Ephesinus respondit, Ecclesiæ Græcæ doctrinam ab hoc dogmate paucis differre, proin se judicare, Latinos quoad hoc dogma facile cum Græcis concordari posse. In sexta autem Congregatione utriusque sententiæ discrimen exponebatur, quod Græci in eo solo positum autumabant, quod Latini animas per ignem purgari docerent, Græci econtra crederent, animas impiorum dejici in locum quemdam tenebricosum, & mœrore plenum, atque in eo temporali hujus afflictionis pœna cruciari, & beatifica visione privari; ex hoc tamen mœroris loco precibus, ac sacrificiis Sacerdotum, necnon eleemosynis fidelium purgatas liberari. Præterea se credere affirmabant, damnatos nec cunctas sibi debitas subire pœnas, nec justos perfectam consequi beatitudinem, donec eorum corpora ad vitam resurgerent. Hanc Græcorum explanationem Latini sibi scriptam tradi petebant; verum Marco Ephesino, & Bessarione in eandem sententiam non convenientibus, quilibet eorum diversam porrigebat scripturam; ille enim Beatitudinem usque ad judicii diem differendam contendebat. Bessarion autem, Sanctis ad perfectam eorum bea-

Sæcul. XV. A. C. 1438.

titudinem nil nisi corpora deesse, affirmabat. Hæc opinionum diversitas in eis animorum aversionem peperit, nec ab illo temporis articulo ad negotia communem contulerunt operam, nec inter eos voluntatum unio ultra fuit. Paulatim privatæ hæ Sessiones in jurgia, ac contentiones degenerarunt, & mense Julio ad finem vergente ab ejusmodi conventibus omnino cessatum, nequidem articulo de Purgatorio penitus decisoj; de ceteris enim nihil omnino actum est. Nec ex actis Conciliorum alia memoratu digna pertractata fuisse constat usque ad octavam Octobris diem, ad quam Spondanus primam Sessionem revocat, quæ enim nona Aprilis acta fuere, non tam Synodi sessionem, quam illius indictionem fuisse existimat. Igitur intermedium hoc tempus ceteris, quæ ad Historiam nostram pertinent, eventibus ordine suo recensendis dabimus.

Spond. ad ad an. 1438. n. 14.

§. XCIV.

Albertus Austriacus Rex Hungariæ & Bohemiæ coronatus.

Naucler. gener. 48. *p.* 456 *Æn. Sylv. Hist. Boh.* 55. *Cochlæ. lib.* 9

Albertus Austriæ Dux, Sigismundi Imperatoris gener, justis defuncto Regi persolutis, cum conjuge sua Elisabetha die prima Januarii in Alba regali summo omnium applausu Hungariæ Rex coronatur,

natur, qui idem continuata felicitatis serie sexta die Maji Pragæ Rex Bohemorum salutatus, & die vigesima nona Junii solemni pompa regio diademate redimitur, frustra nonnullis obsistentibus, qui auctoritate & armorum potentia freti, Casimirum Regis Poloniæ fratrem, nonnisi tredecim annos natum, Regem appellabant. Inde tamen novi belli fomes; quippe Rochisana, ciendis tumultibus assuetus pacisque impatiens Bohemorum exercitum instruxit, eique Petarsconem præfecit, unacum Poggiebracio, qui copias suas Polonis junxerat. Albertus, cum Sigismundum Prædecessorem suum armorum potentia superaret, utpote Austriacorum quoque ditionibus auctus, tanta vi in Bohemos & quatuordecim Polonorum millia in auxilium submissa irruit, ut castris suis exutos omnibus urbibus, quæ factiosorum partes sequebantur, expulerit, & ad urbem Thabor sub tormentorum præsidio fugere compulerit. Tandem vero Poloni, cum prælii discrimen subire recusarent, fame premente castris dilapsi sunt. Bohemi quoque, utpote soli resistendo impares, deditionem fecerunt; Qua re percepta tam Eugenius, quam Basileensis Synodi Patres toti in eo erant, ut Poloni inducias paciscerentur, seque junctis cum Cæsareo exercitu viribus Turcarum progressibus oppone-

Sæcul. XV. A.C. 1438.

Sæcul. XV. A.C. 1428.

ponerent, eoquod illi jamjam Hungariæ fines invaſiſſent, & ferro, flammaque omnia depopularentur.

§. XCV.

Albertus in Romanorum Regem electus.

Æn. Sylv. Hiſt Boh. c. 55. Dubrav. l. 28

Interea S. R. Imperii Electores Francofordiæ verni jejunii tempore comitia agebant, atque eundem quoque Albertum communibus ſuffragiis in Regem Romanorum cooptabant. Verum obſtare videbatur juramentum, quo ſe Imperatoriam dignitatem etiam ſponte ſibi oblatam non acceptaturum Hungariæ Magnatibus ſpoponderat. Hi enim Albertum ad ejusmodi jusjurandum compellebant, cum crederent, regnum Hungariæ Turcarum invaſionibus ideo potiſſimum vaſtatum fuiſſe, quod Sigismundus, utpote Romanorum Rex, regno abſens, ſimul Germaniæ imperium, atque Hungariæ Regnum armis tueri non potuiſſet. Quapropter hac juramenti religione futuris ejusmodi malis providere neceſſarium ducebant. Nihilominus Electores non minori ſolertia, quam meliori fortuna, Friderici Auſtriæ Ducis tunc adoleſcentis opera uſi ſunt, ut illius precibus victi aſſenſum dederint Hungari, & Albertus hoc nomine ſecundus

ſumma

Sæcul. XV. A.C 1438.

ſumma totius Germaniæ gratulatione Imperium ſuſceperit. Biduo vero, antequam Rex proclamaretur, Electores Imperii, cum mutua Papam inter & Baſileenſes diſſidia, necnon contraria hinc inde condita cernerent decreta, ſtatuerunt, ſe neutrius partis edicta ſuſcipere, de cetero tam Eugenium Papam quam Baſileenſe concilium venerari. Et hoc ipſum fuit illud *principium Neutralitatis* Germanicæ, ut vocant, tam ab Eugenio, quam a Baſileenſibus improbatæ. Interea tamen Albertus electus Romanorum Rex hoc Concilium approbaſſe videtur, cum & ſuos Legatos antehac a Sigismundo nominatos Synodo intereſſe juberet, & Baſileenſibus quoque pecunias pro Græcorum adventu in Auſtria collectas etiam ad alios uſus impendendos (*) concederet.

§. XCVI.

(*) Nec Æneas Sylvius nec Dubravius, quos Continuator citat, hujus conceſſionis mentionem faciunt, Spondanus tamen in continuata Baronii hiſtoria num. 19. ad hunc annum hæc memorat: *Patres Baſileenſes illi* (Alberto Auſtriæ Duci) *pecunias conceſſerunt, ex Indulgentiis in Auſtria collectas pro adventu Græcorum, cum autem peterent, Concilii Decreta contra Eugenium obſervari, reſponſum*

Sæcul. XV. A. C. 1428

§. XCVI.

Germanorum ſtatuta circa Baſileenſe Concilium.

Cochlæ. l. 9. Inſuper Albertus Baſileenſis Synodi decreta per totam Germaniam obſervari voluit. Aſt obſtabant Principes, qui ad deliberandum adhuc inducias poſtulabant, eo potiſſimum nomine, quod hanc in rem jamjam conventus eſſet indictus, in quo decerneretur, quid pro utilitate publica agendum foret. Enimvero in his comitiis die decima octava Martii Francofordiæ decretum, ut per ſemeſtre, cuinam parti adhærendum, conſultaretur: interea vero temporis Eccleſiæ juxta juris communis præſcripta regerentur.

His ita ſtatutis, S. I. Electores miſſis ad Baſileenſes Oratoribus poſtulabant, ut judicium, quod contra Eugenium tuliſſent, interim ſuſpenderent: idem quoque petebat Mediolanenſium Ducis Legatus, cui omnes Italiæ, ac Hiſpaniæ Prælati acceſſerant. Sed Ludovicus Arelatenſis

---

eſt, præſtolari oportere conuentum indictum, in quo ſtatueretur, quid agendum foret, pro utilitate publica, cetera omnia Continuator ex Spondano ferme ad verbum deſcripſit, hæc vero corrupit.

relatensis Cardinalis, Synodi Præses u- Sæcul. XV.
na cum potiori Basileensium parte omnis A.C. 1438.
moræ impatiens, nihilominus in negotio illo procedendum esse statuit. Habita est ergo hanc in rem die vigesima octava Maji Congregatio generalis, in qua omnium criminationum capita, quæ contra Eugenium procusa fuerant, exponi, & testimoniis comprobari jubebantur, Regum Castellæ, Arragoniæ & Mediolanensis Ducis Oratoribus frustra Basileensium ausus reprimere conantibus. *Sacrum autem Concilium Basileense*, inquit Panormitanus, *utens mansuetudine solita, licet prædictis consideratis tam nequiter perpetratis contra Patres sacri Concilii jure potuisset manum ad fortia ponere, & ipsum quondam Eugenium illico a Papatu dejicere, præsertim cum decretum undecimæ Sessionis clarissime dictaret, quod sustinens suspensionem per duos menses posset a Papatu dejici: attamen processum inchoatum cum magna modestia continuavit servando terminos, qui etiam de necessitate servandi non erant, ac plurimos testes recipiendo super contentis in monitorio, qui etiam de necessitate recipiendi non erant. Cum plurima notorie degenerarent, & apparerent contra dictum olim Eugenium, quorum quodlibet ad depositionem satis erat aptum & sufficiens, illam depositionem distulit per viginti tres menses a tempore dicti monitorii, exspectan-* *Panorm. de Concil. Basil.*

Sæcul. XV. A.C. 1438.

do semper, quod dictus quondam Eugenius vellet ad cor redire, & Ecclesiam Dei & ejus auctoritatem recognoscere. Hæc verba ex Panormitani calamo profluxisse constat (*).

§. XCVII.

S. R. I. Electorum Legati ad Eugenium Papam.

Attamen Basileenses adhuc alio ex capite sententiam in Eugenium Papam pronunciare, illumque exauctorare prohibebantur. Miserunt quippe Electores Germaniæ pro pace Papam inter & Basileenses concilianda Legatos, qui Eugenio persuaderent, ut pro celebranda Generali Synodo tertium in Germania locum nominari permitteret. Reponebat Eugenius, præstolari se adventum Legatorum, quos Albertus neo-electus Imperator decerneret, ceterum sibi omnino probari, quod in Germania cogeretur conventus, proin se quoque nuntios eo destinaturum, qui pacis negotium communi consilio pertractarent. His addebat, se etiam consensurum, si aliam pro Synodo urbem designari utilitas Ecclesiæ suade-

(*) Vide Annotationem ad Lib. CVIII. § LXXII.

suaderet, idque S. R. I. Electoribus expedire videretur. Sæcul. XV. A C. 1438.

§. XCVIII.

Ab iisdem Electoribus Deputati ad Synodum.

Accepto hoc Eugenii responso Germaniæ Principes suos pariter Deputatos Basileam mittebant, qui a Synodi Patribus peterent, ut judicii acta in Papam instructa suspenderent, & futuri conventus decisionem exspectarent. Basileenses mox suorum quinquaginta seligunt, quibus hæc Principum postulata serio examinanda traderentur, ut denique, quid consilii caperent, deliberarent. Censebant nonnulli, ad trimestre duntaxat Principum votis cedendum esse: Cardinalis vero Arelatensis pronunciabat, depositionis quidem sententiam ad trimestre differri posse, interea tamen accusationum testes adversus Eugenium audiendos, ne is innocentiam suam ulterius jactare, & Synodo iniquæ accusationis calumniam affingere possit; hac quoque agendi ratione facilioris concordiæ spem affulgere; Papam enim, ubi caussam suam testibus comprobari intellexerit, abs dubio ad obediendum proniorem ostensurum animum. Hanc ob rationem toto residuo hujus anni spatio nulla habebatur

Vid. infr. §. CVIII.

Sæcul XV. A.C 1438. tur Seſſio, ſed usque ad Menſem Majum ſequentis anni differebatur.

§. XCIX.

Bituricenſis conventus Cleri Gallicani a Carolo VII. Rege celebratus.

Gaguin. l. 18 Eccleſiæ Gallicanæ Clerus a tempore quo Sedes Apoſtolica Avenionem translata fuerat, innumeris propemodum oppreſſionibus a Romanæ Curiæ Miniſtris vexabatur, nec ejusmodi mala Regum querelæ nonnunquam ſeverioribus etiam minis junctæ extinquebant. Quapropter Carolus VII. Galliarum Rex opportunum adhibiturus remedium currente hoc Anno Avarici Biturícum Cleri Gallicani comitia indixit, hac occaſione impetraturus, quæ a tempore Conſtantienſis Synodi nequicquam ſollicitabat. Celebris erat hic conventus, cui plurimi iique illuſtriſſimi totius Regni Præſules, necnon Pontificis ac Baſileenſium Legati aſſiſtebant: Præſidis munus ipſe Rex obibat. Aderant quoque Ludovicus Delphinus ejusdem Filius; Carolus Borbonii Dux; Carolus Andegavenſis Cenomaniæ, & Bernardus Marchiæ; necnon Ludovicus Vindocinii, Guilielmus Tancarvillæ Comites, præter plures alios Proceres, ac Viros tam Eccleſiaſticos quam

quam sæculares, qui erant ex supremo Regis Consilio. Sæcul. XV. A.C. 1438.

§. C.

Pragmatica Sanctio in Conventu Bituricensi condita.

Igitur in hac Bituricensi Congregatione de consilio Senatus Regii famosum illud conditum est statutum, alias *Sanctio Pragmatica* dictum, quo nomine indicari solent Constitutiones in gravioribus Status Politici vel Ecclesiastici caussis, vel saltem quarumdam communitatum negotiis erectæ, vel si mavis sub hoc nomine veniunt sanctiones in publicis comitiis latæ ex consilio plurimorum juris peritia exercitatissimorum Virorum, qui *Pragmatici* appellari consueverant. Decantata est illa Caroli VII. Pragmatica Sanctio. Haud abs re fore judicamus, si ad pleniorem eorum, quæ in ea pertractarentur, notitiam nonnullas animadversiones præmittamus.

I. Observandum igitur, Episcopos olim Cleri ac populi suffragio electos, tractu vero temporis in Oriente populum ab electionibus excluſum fuisse: Occidentalem autem Ecclesiam antiquæ huic consuetudini in ipsis quoque summorum Pontificum electionibus inhæsisse.

II. Quam-

Sæcul. XV. A.C. 1438.

II. Quamdiu Galli Romanorum Cæsarum parebant imperio, Clerus adstipulante populi testimonio suos eligebat Episcopos; his vero jugum excutientibus Reges Galliæ adhibito Præsulum consilio nominabant Episcopos, qui ut gratum animum, simulque Regum benevolentiam aucuparentur, statuerunt, nullam posthac electionem absque Regum consensu validam fore. Nihilominus tamen idcirco Clerus, populusque a jure eligendi non excludebatur, sed duntaxat nulla amplius Episcopi electio absque Regis scientia atque voluntate celebrabatur. Hæc illo ævo vigebat disciplina, saltem Ludovico pio rerum potiente; candide enim fatemur, ante illius tempora electiones minus fuisse liberas; Reges quippe facultate sibi ab Episcopis liberalius indulta abusi, pro summo imperio, atque arbitrio electionum sortes moderabantur.

§. CI.

De veteri electionum norma.

III. Igitur ea repetamus tempora, in quibus amplior erat eligentium libertas. Illa ætate Clericorum æque ac Laicorum nonnulli comperta Episcopi sui morte ad Metropolitam suos mittebant delegatos, ut vacanti Ecclesiæ Episcopum

pum præficiendi licentiam peterent, si- Sæcul. XV.
mulque poſtularent, ut quemdam ex Pro- A.C.1438.
vinciæ ſuæ Epiſcopis, qui Regis nomine cum munere Viſitatoris electioni aſſiſteret, nominare poſſent; qua facultate impetrata electionis acta ad Metropolitam dirigebant, qui ea ad Regem pro approbatione obtinenda deferret. Poſt hæc Archiepiſcopi, ceterique Provinciæ Antiſtites electum, & prævio examine probatum inaugurabant. Tenuit hæc diſciplina usque ad primos tertiæ ſtirpis Reges, qui tamen eam poſtea ſequentibus immutarunt.

IV. Quippe Archiepiſcopali vel Episcopali Eccleſia vacante, Capitulum duos, vel tres Canonicos ablegabat, qui Regem de morte Præſulis certiorem facerent, novique Paſtoris eligendi veniam peterent. Religioſi vero & Moniales Abbatibus ſuis, vel Abbatiſſis vita functis vacantis dignitatis nuntium ad Regem deſtinabant, cujus Miniſtri quantocius in temporalia vacuæ Sedis bona manus injiciebant, eorumque proventus percipiebant. Electione autem abſoluta confeſtim ceſſabat regium vacantis Eccleſiæ reditus percipiendi jus, Rexque bonorum occupationem ſuo nomine factam diſſolvebat (*). Ubi vero ſucceſſu temporis in

(*) *Hanc in rem conſuli poteſt Natalis Alexander*

Sæcul. XV. A.C. 1438.

in hanc electionis normam aliæ mutationes inducebantur, & regnante Carolo VI. graviſſimi quoque abuſus irrepſerunt, quibus Eccleſiæ, regnique ſtatus toto rerum ordine inverſo peſſumire videbatur. His igitur malis Carolus VII. Galliarum Rex cum regio ſuo Conſilio, ac Eccleſiæ Gallicanæ Clero occurrere ſtatuit: hinc jam ab Anno ſupra milleſimum quadringenteſimo trigeſimo primo datis ad Baſileenſem Synodum literis invaleſcentes haſce corruptelas expoſuit. Eædem hæ literæ jam prius in alio Bituricenſi conventu conceptæ erant.

§. CII.

Oratores a Baſileenſi Synodo ad Galliarum Regem miſſi.

Itaque Baſileenſis Concilii Patres, ut regiæ epiſtolæ reſponderent, plura ad Regem transmittebant decreta ad libertatis Eccleſiaſticæ reſtaurationem ſpectantia, quæ ab eo confirmari, atque in univerſo ejus regno recipi poſtulabant. Placuit Regi Patrum ſententia, unde die ſeptima Julii hujus anni Pragmaticam Sanctionem (quæ a nonnullis Eccleſiæ Gallicanæ propugnaculum dicebatur) confici

xander in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica ad Sæculum XV. & XVI. Diſſert. XI. artic. VI.

confici jussit; Hac ipsa lege vix non omnis beneficia conferendi, & de causis Ecclesiasticorum in illo regno cognoscendi potestas abrogatur, Rexque in dicta Pragmatica hunc in modum effatur: *Inscrutabilis divinæ Altitudinis providentia potestatem Regiam ad hoc inter cetera ordinavit in terris, ut Ecclesiam sanctam, ejusque Ministros fideliter protegeret, atque tueretur, & sanctorum antiquorumque Patrum decreta saluberrima, spiritu Dei promulgata, quibus nervus disciplinæ Ecclesiasticæ viget ac solidatur, sinceriter exequi faceret, illibateque observari: sed & speciali debito Juramenti, in insigni nostri diadematis susceptione ad idipsum adstringimur pariter & obligamur.* Postea subjungit, quod *sacrosancta Generalis Synodus Basileensis tam ex Constantiensis & Senensis decretis, & ordinatione, quam duorum Romanorum Pontificum Martini V. & Eugenii IV. ad reformandum debite in capite & in membris statum Ecclesiasticum divina pietate inspirante coadunata fuerit. . . . Quæ quidem generalis Synodus certa Decreta, certasque ordinationes & statuta solemnia fecit & condidit, quæ per suos Oratores & Nuncios præcipuos Nobis & Ecclesiæ Regni præsentari fecit, & exhiberi,* necnon recipi postulavit. *Quibus attente consideratis habita super his magni Consilii nostri deliberatione præmatura, Prælatos Regni, divini & hu-*

Sæcul. XV. A. C. 1438.

Sæcul. XV. A.C. 1438.

mani Juris Magiſtros, Doctores & ſcientificos Viros Univerſitatum ſtudiorum generalium convocari fecimus, & congregari; in qua quidem Congregatione aſſiſtentibus nobis pluribus Principibus ac Regni Proceribus, ipſius ſummi Pontificis, necnon & ſanctæ Synodi generalis prædictæ ſolemnes Oratores ad nos deſtinatos ſuper his & aliis ſtatum Eccleſiæ Dei plurimum concernentibus audivimus, attenteque audiri fecimus. Poſtea narrat, ſibi a ſuis Prælatis expoſitum fuiſſe, quantum in ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio fides Catholica, & diſciplina Eccleſiaſtica in Galliis efflorueſſet, quantaque bona ex obſervatione antiquorum decretorum profluxiſſent: cum econtra ex eorum contemptu morum corruptiones, & ex ambitione & avaritia extrema pene ſtatus Eccleſiaſtici ruina proceſſiſſet, quorum malorum cauſſæ præcipuæ fuiſſent Dignitatum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum reſervationes, & gratiæ expectativæ, unde factum, ut beneficia plerumque perſonis ignotis, & non probatis, nec reſidentibus, aut linguam non intelligentibus conferrentur, ex quo ingens animarum, & Eccleſiarum atque etiam Univerſitatum, & Doctorum, proborumque virorum detrimentum emerſiſſet, multaque alia incommoda, vitia, ac pericula prodiiſſent, necnon gravisſimum Coronæ Regiæ juribus, totique Regno

Regno damnum fuisset illatum: Demum declarat, quod Ecclesiæ Gallicanæ Præsules tot malis, ac corruptelis commoti, in hoc Bituricensi conventu a Basileensibus quædam statuta receperint, & *præhabita inter eos multimoda, diutinaque discussione, atque digestione memorata ipsius sacræ Basileensis Synodi Decreta, Ordinationes & statuta, aliqua simpliciter, ut jacent, alia vero cum certis modificationibus, & formis, non hæsitatione potestatis & auctoritatis condentis, & promulgantis, ipsius scilicet sacræ Basileensis Synodi, sed quatenus commoditatibus, temporibus, & moribus Regionum & Personarum Regni nostri congruere, convenireque conspexerunt, illico & indilate recipienda censuerint, & acceptanda deliberaverint.*

Secul. XV. A.C. 1438.

§. CIII.

Pragmatica a Regis Galliæ Legatis ad Basileenses delata.

Rex Sanctionem Pragmaticam ita conceptam per suos Legatos ad Basileenses deferri jussit. Constat illa titulis viginti tribus, qui ex decretis ejusdem Concilii petebantur, & præcipue ex illis, quæ respiciunt Generalium Conciliorum auctoritatem, collationes, electiones, gratias expectativas, appellationes, Annatas, ceterasque exactiones, item divini

Sæcul. XV. A.C. 1438. officii celebrationem, interdicta, & alia plura, ita tamen, ut ex illis nonnulla, ut supra meminimus, explicata, vel adhibita eorum interpretatione temperata fuerint.

§. CIV.

Articuli Pragmaticæ Basileensis Synodi Decretis omnino consoni.

Primus Pragmaticæ Sanctionis articulus excerptus est ex prima Basileensis Concilii Sessione, ac Conciliorum generalium auctoritatem spectat, & præcipit, ut singulis decenniis Concilia convocarentur, necnon consentiente Synodo per Papam futuri Concilii locus designaretur. Secundus habetur in Sessione II. ejusdem Synodi, & confirmat auctoritatem Synodi supra Papam, quam ab ipso Christo Domino *immediate* recepisse, eique ipsummet Pontificem obedire teneri asserit. Hunc articulum nullo adjecto limite circumscriptum fuisse liquet. Tertius agit de electionibus, de quibus duo exstant Concilii decreta. Horum primum in Sessione XII. approbatur, alterum Sessionis XXIII. statuit, *ut electiones sine impedimento aut obstaculo fiant* per eos, quibus ex jure competit. Isto decreto particularibus dignitatum electivarum reservationibus, quæ a summis Pontificibus

fuæ ſedi frequenter factæ fuerant, obviare ſtuduit. Nihilominus relicta eſt Pontifici poteſtas, ut accedente Cardinalium conſenſu ejusmodi electionem alias etiam canonicam, ſi forte in perturbationem Eccleſiæ, in Patriæ, vel boni publici præjudicium vergere timeretur, tanquam nullam declarare, eaque rejecta totam cauſſam ad Capitulum, cui jus eligendi convenit, remittere valeat, ut tempore a legibus præſtituto ad aliam electionem procedatur. Binis hiſce decretis Eccleſia Gallicana ſubjunxit, quòd ille, cujus electio ſummi Pontificis confirmatione ſtabilietur, ad ipſum Ordinarium remittatur, niſi *in Curia* inaugurari deſideret, ſi vero ibidem conſecretur, illico ad ſuum Superiorem redeat, obedientiam eidem delaturus. Inſuper ſtatuit pœnam in eos, qui præterhabito ſuo Superiore extra Curiam per alium, impetrata etiam Pontificis licentia, confirmari petierint, taxata in transgreſſorem mulcta pecuniaria centum aureorum, quorum una pars Ordinario, altera fabricæ Eccleſiæ ſuæ cedat. Articulus quartus continet abrogationem reſervationum, qui integer ex Seſſione XXIII. Baſileenſis Synodi mutuatus, atque in Pragmatica approbatus fuit. De hiſce reſervationibus jam alibi amplior facta eſt mentio. Articulum quintum reperire eſt in Seſſione XXI. ejus-

Sæcul. XV. A.C. 1438.

Vide lib. CVII. §. 6.

Sæcul. XV. A.C. 1438.

dem Concilii post secundam Synodi dissolutionem Anno millesimo quadringentesimo trigesimo octavo celebrata, quæ tractat de collationibus beneficiorum, atque gratias expectativas, tanquam *gravem ordinis, & status Ecclesiastici perturbationem* execratur, ac conqueritur, *frequentius Ecclesiis datos fuisse ministros non probatos, nec cognitos, ac ordinariis collatoribus suum ministerium subtrahi.* Hoc Decretum Ecclesia Gallicana approbavit, adjectis tamen moderationibus notatu dignis. I. Necessarium esse declarat, a Synodo Basileensi etiam invocato, si opus fuerit, sæculari judicio, temporales pœnas omnibus imponi, qui gratiis expectativis uti præsumpserint, aut harum ope beneficia obtinuerint. II. Ecclesia Gallicana nunquam assensu suo accedere voluit illi Synodali Decreto, quo cuilibet Pontifici integrum erat, ut *tempore Pontificatus sui de uno beneficio ad collationem, in qua fuerint quinquaginta, disponere* (*), & eo eventu Ordinarios prævenire valeat.

Eadem Sessio XXXI. sextum complectitur articulum, quo agitur de cautis, quas omnes *in Provinciis ultra quatuor diætas*

(*) Basileenses in hoc decreto Sessionis XXXI. Papam *duo*, ubi fuerint quinquaginta Beneficia conferre posse declarant.

diætas a Romana curia distantibus apud illos judices, quibus de jure competit, terminandas declarat, exceptis majoribus in jure expresse enumeratis, & electionum Ecclesiarum Cathedralium, & Monasteriorum, quas immediata subjectio ad Sedem Apostolicam devolvit . . . quodque nec ad quemcunque, etiam ad Papam, omisso Ordinario judice, appelletur; Si vero quispiam ad ipsam Sedem duxerit appellandum, causam Papa judicibus in partibus committat. Titulus septimus in Sessione XX. contra frivole appellantes expressus habetur. Octavus ex Sessione XXI. desumptus tractat de pacificis possessoribus; utriusque Articuli dispositio fuit approbata. Pariter nonus, quo in Sessione XXIII. Cardinalium numerus præscribitur, consensu quidem acceptatus, non tamen usu receptus est. Decimus de Annatis, seu de redditibus unius anni ex quolibet beneficio percipiendis a Sessione XXI. dimanat, in qua Annatarum exactores declarantur simoniaci. Non solum articulus iste, sed omnes ceteri absque ulla adjecta restrictione approbati fuere, & in Sessionibus XX, XXI, & XXIII, quæ consuli possunt, continentur.

Omnium, quæ in Bituricensi Ecclesiæ Gallicanæ conventu gesta, ac decreta fuerant, synopsin exhibuimus; Ultimo tandem congregati Præsules humili-

Sæcul. XV. A.C.1438.

ter Regi Carolo VII. supplicarunt, ut res in Congregatione stabilitas Regia sanctione firmaret. Ille legem condidit, quæ *Pragmatica* vocatur, eamque in toto suo Regno observari præcepit, & ad Parlamenti Curiam transmisit: illa tamen nonnisi anno sequenti vigesima tertia Julii a Senatu Parisiensi ad acta est relata, atque promulgata. Præcipuus hujus legis cardo in eo vertitur, ut in regno Franciæ Ordinariorum jurisdictio salva esset, & priusquam ad Romanam Curiam recurreretur, illi adirentur, nec non electiones ad pristinam suam formam reducerentur, Concilii œcumenici auctoritas Pontificiam superare crederetur, ac tandem gratiæ expectativæ penitus abolitæ censerentur. Lex ista regnante Carolo VII. in Franciæ Regno altas radices egit, quamvis Eugenius IV. pro illius abrogatione extremos, vano tamen ac frustraneo labore, adhibuerit conatus. Ex Historiæ nostræ contextu intelligemus, quam valide hæc lex impugnata, & tandem erectis inter Leonem X. & Franciscum I. concordatis omnino sub ruinis suis sepulta fuerit (*).

§. CV.

(*) Opportune in hanc rem adjicimus Illustrissimi Spondani Galliarum Episcopi verba dicentis: *An vero hinc dicetur, Ecclesiam Galli-*

canam

Sæcul. XV.
A.C.1438.

§. CV.

Judicii acta adversus Eugenium a Basileensibus continuata.

Itaque Caroli VII. Oratores Basileam abierunt, rogantes, ut Concilii Patres sanctionem Pragmaticam Synodica auctoritate firmarent, necnon judicium contra Eugenium abrumperent. Præterea eosdem certos esse jubebant, ipsum Regem pacem Papam inter & Patres toto studio procuraturum. Ast Synodus omnis moræ impatiens, judicii acta contra Papam prosequi statuit, declaravitque in quadam Congregatione Generali Mense Augusto habita, quod omnes, qui vel ad Eugenium vel Ferrariam sub specie Synodi

Acta Patrit. to.13. Conc. p.1556.

---

canam approbasse, ac recepisse Concilium Basileense! Nugæ hæ sunt, & impostura. Absit a puritate, & dignitate Ecclesiæ Christianissimæ tanta calumnia! Si quid ejus illa recepit, non ut ab ejus auctoritate obligatoria recepit, sed velut a proponente, quæ utilia, & conducibilia existimabat, ita ut libitum esset, quæ vellet recipere, quæ nollet rejicere, uti & fecit tam hac in re, quam nonnullis aliis auctoritate Regia, ac propria. Ita ille in sua hist. ad hunc annum num. 22.

Sæcul. XV. A.C.1438.

Synodi accederent, vel sese quoquo modo Basileensi Concilio opponerent, pœnas in Synodo latas ipso facto incursuros.

§. CVI.

Conventus primus Norimbergæ a Principibus Germaniæ celebratus.

Germaniæ Principes, literis Eugenii ad se datis permoti, apud Norimbergam, urbem superiori, & inferiori Germaniæ conterminam, conveniunt, tum ut res Imperii, suorumque statuum tractarent, tum etiam ut de illa, quæ inter Eugenium Papam, & Basileenses vigebat, discordia tandem tollenda, ac restauranda pace deliberarent. Intererant quoque Basileensium Oratores, quibus Imperatoris, atque Principum legati exponebant, se illis pacis Papam inter, & Synodum conciliandæ arbitrium relinquere. Id muneris Basileenses omnino recusabant, quo facto iidem aliquo ex post tempore judicii acta contra Eugenium restaurabant, & quamvis non modo Principum Legati, sed etiam Hispaniæ, Navarræ & Mediolanensis ditionis Prælati vehementer obluctarentur, nihilominus in quadam Congregatione die decima sexta Octobris celebrata decernebant, Eugenio Papæ, ut accusationibus contra se prolatis responderet, diem esse dicendam.

§. CVII.

§. CVII.

Sæcul. XV. A.C. 1438.

Alter Norimbergenſis Conventus.

Hoc anno in eadem Norimbergenſi civitate ſecundus agebatur Conventus. Aderant (præter Legatos Baſileenſium, quorum Princeps erat Patriarcha Aquilejenſis) Legati ab Eugenio miſſi, nempe, Nicolaus Albergatus Cardinalis S. Crucis; Joannes Archiepiſcopus Tarentinus; Petrus Dinienſis Epiſcopus; Joannes de Turrecremata Hiſpanus, poſtea S. R. E. Cardinalis; & Nicolaus de Cuſa Germanus. Albergatus mox, ubi nihil in eo conventu agi perſpexit, in Italiam rediit, Ferrarienſi Synodo adſtiturus. Porro in cœtu iſto proponebatur, optimum fore, ſi tertius eligeretur locus celebrando Concilio univerſali commodus, in quo & Ferrarienſes, & Baſileenſes cum Græcis, & ſummo Pontifice convenirent. Verum ſententiam hanc Baſileenſium Legati vehementer improbarunt. Intelligebant etenim, ſe huic conſilio acquieſcere non poſſe, quin ipſo facto in Synodi ſuæ diſſolutionem conſentirent, ad cujus tamen auctoritatem diutius tuendam edito etiam juramento ſeſe obſtrinxiſſent. Quapropter Principum Oratoribus reſponderunt: Nullam ea ſuper re a Synodo accepimus poteſtatem, unice poſtulamus reſponſum ſuper iis, quæ pridem jam poſtula-

Secul. XV. A.C. 1438.

ſtulavimus, nimirum ut decreta adverſus Eugenium a Patribus condita reciperentur, & Synodi ſecuritati conſuleretur. Ad legati eis haud aliud in reſponſis dabant, quam Cæſarem & Principes ſuo tempore Concilii Patribus per ſuos nuntios ſententiam declaraturos.

§. CVIII.

Hujus Conventus decretum.

Act. Patrit. n. 3. p. 1558.

Ceterum Regis Francorum Oratores Baſileenſibus auctores erant, ut tres illas civitates, quas jam olim elegiſſent, nempe Baſileam, Avenionem, & Sabaudiam denuo proponerent, ſi ſpem haberent, eas a Papa, & Græcis acceptandas; ſi vero hi dictas urbes rejicerent, plures alias nominarent, & harum nonnullas, quas Pontifex juſte recuſare non poſſet. Verum nec hoc conſilium Baſileenſibus arriſit, eorumque Deputati in bivio hærebant, nec quidquam hac in re decidebant, donec Imperatoris & Principum Germaniæ Oratores advenirent. Hi vero Baſileam ingreſſi, Synodi Patribus declarabant, Germanos quidem haud diffiteri, concilium Baſileæ congregatum eſſe œcumenicum, Imperatorem quoque illis, qui eidem aſſiſterent, plenam ſpondere ſecuritatem; de cetero tamen omnes Prælatos, Princi-

Principes, populumque pari obsequio & Eugenium Papam, & Synodum venerari, nihilominus tamen eosdem neutrius partibus adhærere; ipsis quoque pro bono pacis omnino videri, tertium locum esse eligendum, ad quem Basileenses simul cum Ferrarienſibus Patribus convenirent. Accesserunt huic Legatorum Germanorum sententiæ ceterorum quoque Principum Oratores, iisdem adjectis conditionibus. Tandem post multas ultro, citroque habitas altercationes conclusum, a Basileensibus nominandas esse urbes, Argentinam, Constantiam vel Moguntiam, ea lege, ut intra mensem Imperator harum civitatum electionem Papæ, atque Græcis significaret; hi vero alterutram istarum urbium elapso altero mense omnino eligerent, & Pontifex Synodi decreta confirmaret, Basileenses autem latam contra Papam suspensionis sententiam revocarent. Ast hoc consilium nec Eugenio, nec Synodo probabatur, & a Basileensibus haud aliud extundi poterat responsum, quam quod promitterent, missuros se nuncios ad novum conventum Francofordiæ cogendum Calendis Martii anni proximi, qui tamen ob pestem ibi grassantem Moguntiæ celebratus est.

Sæcul. XV. A. C. 1438.

§. CIX.

Sæcul. XV. A. C. 1438.

§. CIX.

Ferrarienſis Synodus continuata.

Stupebant Græci, ubi evoluto jamjam tempore ad proſequendam Synodum Ferrarienſem præſtituto, nullum ex Baſileenſibus, & pauciſſimos ex aliis regionibus præſentes viderunt; unde jamjam a priſtino ſuo ardore remittere incipiebant, quamvis Eugenius nil intentatum relinqueret, ut eis omni rationum pondere perſuaderet, ibi univerſalem, veramque Eccleſiæ Catholicæ Synodum conſtitui, ubi ſummus Pontifex præſens adeſſet cum Imperatore Græcorum, & Patriarcha Conſtantinopolitano, ceterorumque Legatis, atque Cardinalibus. Præterea non modice angebantur Græci, veriti, ne forte, ſi in decidendis cauſſis Nationum ſuffragia computarentur, Latinorum, qui aderant, numero impares votorum collectione ſuperarentur; verum hæc quoque dubitatio evanuit, dum ſtatutum eſt, ut non ſuffragiis res ageretur, ſed quisque ſuam ſententiam aperte, ac libere proferret. His ita compoſitis, communi conſenſu decretum, ut Oecumenici Concilii Seſſiones celebrarentur, atque ante omnia tractaretur de duabus illis quæſtionibus I. Utrum fas eſſet quicquam Symbolo addere II. An additio *Filioque* pietati conſona ſit, atque probari debeat. Cum vero

vero Eugenius Papa podagra detentus ad Ecclesiam, ubi Synodus fuerat indicta, accedere non posset, in amplo Pontificii palatii Sacello convenere Patres, eodem ordine, & apparatu, quem prima vice stabilitum, & observatum vidimus in majori templo S. Georgii, ubi Synodo solemne datum erat Principium. Sæcul. XV. A. C. 1438.

§. CX.

Sessio I. Ferrariensis Synodi Græcorum simul, & Latinorum.

Ergo die octava mensis Octobris Feria quarta cum Græcis prima celebrata est Sessio, ante cujus principium Imperator eos, qui habitis intererant congregationibus, scilicet sex illos illustriores Archiepiscopos magnum Chartophylacem, magnum Ecclesiarcham, duos Abbates tresque Doctores ad se vocavit, rogans, quæ dogmata ante omnia forent discutienda. Hi in diversas abiere sententias; vicit tamen potissima eorum pars, quæ disputationi initium dandum esse censebat a secundo articulo: An Ecclesiæ latinæ dogma de Processione Spiritus sancti orthodoxum esset, ac eundem a Filio procedere, jure additum fuisset? Elegerunt Græci, atque Latini utrinque senos Prælatos, fueruntque illis ante altare, in quo liber Evangeliorum positus erat, sedilia *Labbe Conc. to. 13. p. 34.*

Sæcul. XV. A. C. 1438.

dilia collocata, Latinis ad partem Pontificis, Græcis vero ad Imperatoris, & Patriarchæ latus considentibus, ita ut vultus mutuo ad se conversos tenerent.

§. CXI.

Doctores in hac Sessione ad disputandum selecti.

Ex Latinorum agmine in arenam descenderunt duo Cardinales, Albergatus, & Julianus; Andreas ex Ordine S. Dominici Archiepiscopus Colossensis, Ludovicus Episcopus Forolivienſis Ordinis Minorum cum tribus Theologis Joanne de Montenigro ordinis F. F. Prædicatorum Lombardiæ Provinciale, Petro Perquerio ordinis Minorum, & Joanne de S. Thoma Eremitarum S. Augustini Alumno. Ex Græcis ad disputandum nominabantur tres Metropolitæ, Marcus Eugenius Ephesinus, Isidorus Ruthenus, & Bessarion Nicænus, qui quidem ætate juvenis, sed scientia ac modestia grandævus ceteris omnibus magis unionem promovit, eamque usque ad finem constanter defendit, quo tamen studio Græcorum, quibus hæc conjunctio non placuit, invidiam in se concitavit, adeo, ut in Italia hærere coactus esset, ubi tamen postea in virtutis suæ præmium Cardinalium purpura decoratus claruit. Præfatis hisce Metropo-

tropolitis adjungebantur Theodorus Xanthopulus magnus Scevophylax, seu vasorum, & sacræ suppellectilis in Ecclesia S. Sophiæ custos; Michael Balsamon magnus Bibliothecarius ejusdem Ecclesiæ; necnon Georgius Gemistius, Vir per totam Græciam doctrinæ fama celebratissimus. In utriusque confidentium ordinis medio parvum collocabatur scabellum Nicolao Sagundino seu Secundino ex Insula Eubæensi destinatum. Andreas a S. Cruce solius Cardinalis Juliani mentionem facit, existimans, Cardinalem S. Crucis inter concertantes non fuisse recensitum, cum non nisi sex Viros hinc inde ad disputandum vocandos esse decretum fuisset. Secundinus interfuit tanquam interpres ea, quæ utrinque Græco idiomate proferrentur, latine redditurus. Vir erat utraque lingua disertissimus, ac disputantium verba, atque sententias tum Græce, tum latine prolatas mira celeritate ultro citroque non fidelius, quam elegantius reddidit. Sæcul. XV. A.C. 1438.

§. CXII.

Bessarionis oratio in hac Sessione.

Huic Sessioni initium dedit Bessarion prolixum satis sermonem dicens, in quo totus erat in deprædicandis concordiæ fructibus, exponens, quam ardenti- *Labbe Conc. to. 13. p. 35.*

Sæcul. XV. A. C. 1438.

bus votis pax expetenda foret, dum procul abesse cerneretur: quanta vero sollicitudine fovenda, atque conservanda, quando quis beata illius fruitione potiretur. Postmodum Fideles ad spiritus lætitiam excitabat, gratulatus, quod membra Ecclesiæ tamdiu a se invicem disjuncta brevi tempore unionis vinculo consociarentur, ejusdemque capitis membra & partes, & unius Pastoris ovile efficerentur: Denique magnificis celebrabat encomiis summi Pontificis, Imperatoris, & Patriarchæ sanctum, piumque desiderium, quo pacem ac concordiam revocare impigro labore conarentur, eosque hortabatur, ut forti animo fausta exordia ad supremum perfectionis terminum perducere satagant. Absolutam a Bessarione orationem Marcus Ephesinus suo sermone excipere parabat; verum inclinato jam in vesperam die ad sessionem sequentem dilata est dicendi copia.

§. CXIII.

Secunda Synodi Ferrarienſis Seſſio.

Idem p. 46. Nihilominus Marcum nonnisi in Sessione III suam habuisse Orationem constat; nam in secunda, die Sabbati undecimo ejusdem mensis Octobris celebrata, Andreas Colossensis (sive Rhodius) Episcopus

copus ex parte latinorum in idem, quod Bessarion pertractabat, argumentum excurrebat, & latina, gravique oratione Pontificis, Imperatoris, Patriarchæ, totius denique Synodi laudes, & gloriam profusa encomiorum amplitudine deprædicavit, ac tanta orationis ubertate, & dicendi studio abreptus est, ut nonnisi ingruente vespere verbis finem faceret: quapropter nihil amplius ea Sessione gestum erat, indicto rursus tertio consessu ad sequentem Martis diem. Intermedio hoc temporis intervallo deliberatum est, quo ordine disputatio dirigenda, item quod dogma præ reliquis discutiendum; quinam primi vel ex Græcis, vel Latinis certamen aggressuri essent, & num interrogationibus, ac responsionibus utendum, vel potius ex utraque parte elucubratis Dissertationibus pugnandum esset. Decretum tandem, disputationes dialectico more succinctis argumentis instituendas: Græcis vero, ut ante Latinos in tertia Sessione disputationi initium darent, relinquendum esse. Sæcul. XV. A.C. 1438.

§. CXIV.

Sessio tertia Ferrariensis Synodi.

Sessione III. die Martis decimo quarto Octobris habita, Marcus Ephesinus de charitate in ipso disputationum æstu ser- *Conc. ibid.*

Sæcul. XV. A. C. 1438.

vanda verba fecit, seque a quæstione circa additionem vocis *Filioque* agitanda eorsurum haud obscure insinuavit. Ad hæc Andreas Colossensis Latinorum nomine respondit: *Et nos, ut eandem præstitis & ipsi dilectionem, rogamus, & si verbum aliquod prolatum fuerit asperius, adscribatur materiæ disputationis, non Personis disputantibus.* Cum vero de additione verbi *Filioque* orationem inchoaret, cursum sermonis intercepit Marcus Ephesinus, dicens: necdum tempus opportunum ad hujus articuli responsiones advenit; cumque assereret, quod ab Ecclesia Romana pax, quam nunc vehementer exoptat, primis temporibus neglecta fuerit, pronunciavit, quod de unione actum erit, nisi primæ dissensionis radices ex integro tollantur, moxque subjunxit: *Primo loco recitentur Sanctorum illorum Patrum definitiones, nisi tempus impediat, ut ostendamus nos eadem sentire, quæ illi, & sequi eos non modo ordine, sed etiam sensu. Hoc autem necessarium esse arbitramur,* priusquam quæstioni propositæ, ac disputationibus locum concedamus. Andreas Rhodius ægre admodum tulit Romanam Ecclesiam a Marco Ephesino insimulatam fuisse neglectæ pacis, quæ tantopere præsenti temporis cursu exoptaretur; quapropter Marco responsurus inquit: *miror oblitum te esse, Romanæ Ecclesiæ tantæ semper curæ fuisse,*

fuisse, ac esse Orientalem Ecclesiam, ut nunquam coorta fuerit in illis partibus tempestas cujuscunque hæreseos, ad quam sedandam Ecclesia Romana non tulerit auxilium omnibus modis, tum literis, tum Legatis suis, & quacunque alia re facultas tulit. Marcus Ephesinus Rhodio quidem respondit, sed de ipso dogmatis articulo in hac Sessione ulteriori disceptationi supersedit. Sæcul. XV. A. C. 1438.

§. CXV.

Sessio IV. Ferrariensis Synodi.

Celebrata est feria quarta die decima quinta Octobris Sessio quarta, quæ tota nonnisi sermonibus inter Marcum Ephesinum, & Andream Rhodium absumebatur, nec ulla certa quæstio pertractabatur. Ipse etiam Bessarion Nicænus Marci partes tuendas suscepit, dicens: *necesse est, ut dicenti liceat proferre, quæ vult, deinde vero, qui illum audit, aut probabit, aut reprehendet, coarguetque sermones, ut non veros, ac non necessario concludentes.* Græcis enim sermonis prærogativa fuit concessa: latinorum igitur est ea, quæ proponerent Græci, audire, nequaquam vero illos interrumpere, sed postmodum, si quæ a Græcis minus fundate fuissent prolata, convellere. Ad hæc Bessarionis dicta Julianus Cardinalis respondens, de proponendi methodo tracta- *Conc. Labb. tom. 12. p. 58.*

Sæcul. XV. A. C. 1438.

vit; Sic tota Seſſio inani fere verborum certamine abſoluta eſt, rei ſumma pene indeciſa permanente. Eodem tamen die, cum finita eſſet Seſſio, in domo Patriarchæ, præſentibus Imperatore, Cardinalibus, Prælatis, ceterisque Viris Eccleſiaſtica dignitate conſpicuis habita eſt Congregatio, in qua Græci primo loco ſanctorum Patrum, & Symboli definitiones recitari iteratis precibus efflagitarunt, conteſtati, ſe haud ultra acceſſuros Synodum, niſi voti damnarentur; Ergo eorum poſtulatis omnino acquieſcere oportuit.

§. CXVI.

Seſſio V. Ferrarienſis Concilii.

Labbe Conc. tom. 13. p. 63.

Quapropter Marcus Epheſinus in Seſſione quinta, quæ die decima ſexta Octobris feria quinta celebrata eſt, primæ & ſecundæ Synodi Generalis decreta veluti Eccleſiæ Catholicæ, ac fidei fundamenta prælegi poſtulavit, & paucis a Cardinale Juliano interjectis, Marcus edixit: *Recitabuntur non integræ definitiones; id enim longum eſſet; ſed partes earum, quæ ſpectant ad præſens negotium.* Igitur lecta eſt expoſitio fidei ſeu Symbolum trecentorum decem & octo Patrum, qui olim Nicæam convenerant; huic additum eſt decretum, quo Epheſinæ Synodi Patres ſtatuebant, nulli fas eſſe huic Symbolo quic-

quicquam adjicere. Marcus Ephesinus hanc prohibitionem multis exaggerabat, eamque Sancti Cyrilli, atque Cælestini Papæ testimonio confirmabat. Insuper Concilii Chalcedonensis, & aliorum, quæ inter generalia quartum, quintum, sextum & septimum dicuntur, definitiones referebantur, quibus Symbolum ulla additione immutari prohibitum fuit. His perlectis Ephesinus in horum Conciliorum generalium, præcipue in septimi, seu Nicæni II. decreta prolixo admodum sermone excurrebat. Tandem vero Latini manuscriptum septimæ hujus Synodi librum in medium protulerunt, contendentes, hunc codicem pervetustum esse, atque in eo Spiritum sanctum a Filio procedere, disertis verbis exprimi. Nihilominus Græci huic Codici nullam fidem attribuebant, asserentes, quod luculentum adeo, atque decretorium quæstionis testimonium, si genuinum foret, nequaquam a ceteris Latinis additionis hujus propugnatoribus præclarissimis neglectum, sed absdubio jam dudum prolatum fuisset. Sæcul. XV. A. C. 1438.

§. CXVII.

Sessio VI. Ferrariensis Synodi.

Die vigesima Octobris feria secunda habita est Sessio sexta, in qua mutuo consensu pactum, ne ex Conciliis in causa *Labbe Conc tom. 13. p. 86.*

Sæcul. XV. A. C. 1438

Photii celebratis, nec etiam ex illa, quam Latini æque ac Græci Synodum octavam appellare solent, quoddam testimonium peteretur. Quo facto, Andreas Rhodius copioso sermone ostendere nitebatur, positionem illius vocis *Filioque*, non propriæ additionem, ut Græci appellabant, nec mutationem esse, sed tantum explicationem illius, quod jam præcontineretur in principio suo, ex quo per necessariam consecutionem deducitur: Hanc in rem attulit exemplum ex Evangelio; ab hoc enim tanquam a suo fonte ac origine Symbolum dimanat. Dein suam quoque sententiam Patrum Græcorum oraculis confirmavit, præcipue Sancti Joannis Chrysostomi testimonio usus, qui dixit: *Quæcunque habet Pater, habet & Filius, nisi quod Filius non est Pater. Omnia est filius, quæcunque Pater, eo uno dempto, quod non est Pater, secundum ipsius Domini vocem in Evangelio S. Joannis cap.* 16. *dicentis: Quæcunque habet Pater, mea sunt* (*). Itaque sequitur, *ut qui intelligit Spiritum produci a Patre, necessario intelligat, eundem produci quoque a Filio.* Certum autem est,

S. Chrysost. hom. 38. *in Joan.*

(*) *Quæ Continuator noster S. Joanni Chrysostomo adscribit, Andreas Rhodius ex divi Basilii sermone* de fide *recitavit in hac Sessione, in sequenti vero etiam attulit Chrysostomi verba ex Hom.* 38 *in Joannem.*

est, ajebat, quod ejusmodi explicatio, quæ nil nisi amplior veritatis in Symbolo contentæ dilucidatio foret, nequaquam interdicta esset, & quamvis, quæ a nobis declarationes dicuntur, additamenta vocarentur ex eo, quod aliis vocibus atque Syllabis exprimerentur, nihilominus & hæc legitima Ecclesiæ Auctoritate Symbolo inseri potuerint, quoties id pro fidelium informatione necessarium fore duxisset. Sæcul. XV. A. C. 1438.

§. CXVIII.

Sessio VII. Ferrariensis Synodi.

Celebrata est die Sabbati vigesimo quinto Octobris Sessio septima, in qua Andreas Rhodius orationis suæ argumentum denuo assumpsit, & Conciliorum monumentis a Marco Ephesino allatis respondere aggressus est. *Conc. Labbe tom.13.p.99.*

§. CXIX.

Rationes ad vindicandam additionem vocis Filioque a Latinis allatæ.

Igitur Rhodius in rem suam trahebat ea ipsa expressa Decretorum verba ex singulis Synodis allata, quibus fidem a symbolo diversam *componere, aut volentibus converti ad scientiam veritatis tradere*, interdicitur, ex his demonstrabat. I. Quod hæc lex nullatenus referatur ad ejusmodi notationes, quibus explicata Symboli

Sæcul. XV. A. C. 1438.

veritas nihil ab avita fide alienum exhibet, sed nonnisi amplior, magisque clara ejusdem omnino dogmatis explanatio est. II. idem comprobat ex ipso facto eorumdem omnium Conciliorum, quæ priori Symbolo non pauca adjecerunt verba, ut fidei veritates minus perspicue expressas contra recens exortas Hæreses luculentius explanarent. In clarum hujus rei testimonium adduxit secundam Synodum, quæ nihil morata, quod Nicæni Patres omnem additionem prohibuissent, atque Ephesini Præsules eandem legem innovassent, Nicænum tamen Symbolum pluribus adjectis auxerat. His ergo Decretis duntaxat cautum esse ostendit, ne Symbolo contrariæ additiones fierent aliam item dem, diversumque dogma referentes.

Præterea ut Spiritum sanctum a Filio æque ac a Patre procedere demonstraret, ex ipsis Græcorum Patrum verbis arma mutuavit, præcipue autem Sancti Cyrilli, & sancti Maximi testimoniis insistebat. Cum vero Græci postremi hujus Doctoris textum fuisse adulteratum exciperent, ideo Andreas Tarasii quoque Patriarchæ Constantinopolitani testimonium, necnon pervetustum septimæ Synodi manuscriptum, in quibus hæc vox, *Filioque* addita legebatur, in medium protulit, imo ex ipso etiam Photii silentio caussæ suæ patrocinium quæsivit, de quo non

non constaret, *quod unquam Latinos ob additamentum in Symbolo accusasset.* Cum autem Marcus Ephesinus veluti ex alterius mente scisciteretur, cur Patres tertiæ Synodi prætermisso Constantinopolitano symbolo, primi tantum Nicæni Symboli mentionem fecerint? huic suo dubio ipsus occurrebat, hoc ex eo factum, quod *hæc duo symbola ab illis ut unum accepta fuerint*, cum verba in secundo Concilio longe fusius adjecta, nonnisi veritatum in prima Synodo obscurius contentarum explicatio fuissent, ideo hoc Marci responsum Andreas æque ac Cardinalis Julianus in rem suam verterunt, Latinorum quoque accessionem duntaxat magis distincta dictione, non autem sensu diversam esse comprobantes. Itaque cum Græci tam ante, quam post coactam Ephesinam Synodum Symbolo propter hæreses subinde in Orientali Ecclesia subortas nonnulla adjecerint verba, pari quoque jure inferebant illi, quod eadem ex caussa Ecclesia Latina Symbolo unicam addere potuerit vocem, cum mera esset expositio cujusdam fidei dogmatis, quod ab Hæreticis illo ævo in Occidente recens natis impugnabatur. In eandem rem ambo Andreas, & Julianus Sancti Cyrilli, & Agathonis Papæ opponebant testimonia, quibus fidei doctrinam stabiliendi, atque declarandi potestatem Romanæ Ecclesiæ con-

Sæcul. XV. A. C. 1438.

Sæcul. XV. A. C. 1438.

conceſſam eſſe demonſtrabant. His utrinque allatis Seſſioni finem imponebant.

§. CXX.

Seſſio VIII. Ferrarienſis Synodi.

Græci ea, quæ Andreas Rhodius nomine Latinorum propoſuerat, habita inter ſe conſultatione diſcuſſerunt, & Beſſarionem Nicænum nominarunt, qui horum argumentis ſatisfaceret, quod etiam præſtitit in Seſſione octava die Sabbati prima Novembris celebrata.

§. CXXI.

Sermo Beſſarionis contra additionem vocis: Filioque.

Conc. gener. to. 13. p. 130. & ſeq.

Præprimis Beſſarion probatum reddere conabatur, lege cautum eſſe, ne ullo ſymbolo fieret additio; quocirca, inquit, *quid vobis erit uſui, quod probaveritis vocem illam, ex Filio, explicationem eſſe vel non?* nam ut a nobis rejiciatur, ſatis ſuperque eſt, noſſe, quod a vobis quicquam additum fuerit, haud ecquidem fidem explicare interdictum eſt, ejusmodi tamen explicationes ſymbolo intrudere, omnino prohibitum: imo demus etiam vobis, quod talis additio permiſſa fuerit usque ad tempus, quo ſecunda Synodus celebrabatur: aſt cum tertium Concilium id

id diserte prohiberet, haud amplius erat licitum; explodenda enim, ac superva- Sæcul. XV. A. C. 1438.
canea foret ista Synodi lex, si tantum ea, quæ antiquæ fidei contraria sunt, addere vetuisset; hoc enim nunquam permissum, sed semper interdictum fuit. Quinimo hujus Concilii Patres *vocem illam (Deipara) id temporis adeo necessariam, quæque in sacro Symbolo continetur apertissime, quamvis opus esset addere, non addiderunt, legem a se latam facto comprobantes.* Denique ipsa Concilia, quæ subsequebantur, suas definitiones, etsi tantum doctrinæ in Symbolo contentæ explicatio fuissent, eidem tamen inferere non præsumpserunt.

§. CXXII.

Sessio IX. Concilii Ferrariensis.

Habita est die Martis quarta Novembris Sessio ordine nona, in qua Bessarion, suam orationem præcedenti Sessione cæptam, ob angustias temporis tamen intermissam repetiit, integre argumentis, quæ Andreas Rhodius proposuerat, responsurus. Pluribus itaque demonstratum ibat, Sanctum Cyrillum, & Agathonem Papam non modo ea, quæ ipsam fidem labefactarent, symbolo addere vetuisse, sed etiam quamcunque additionem rejeciisse. Cum vero Rhodius Romanam Ecclesiam sua auctoritate ac potestate quicquam *Conc. Gener. tom. 13. p. 150.*

Sym-

Sæcul. XV. A. C 1438.

Symbolo adjicere potuisse, assereret, respondit Bessarion: *Scimus quidem, quæ sint jura & prærogativæ Romanæ Ecclesiæ, nihilominus scimus etiam, prærogativæ ejus quos terminos habeant. Norint tamen Græcis facultatem hanc negari universæ Ecclesiæ, Synodo etiam Oecumenicæ; si ergo universali negamus Ecclesiæ, multo magis negabimus Romanæ, negamus autem non ipsi a nobis, sed arbitramur hoc Patrum decretis negatum.* Bessarion ubi suum sermonem absolvit, Latini ad disputandum selecti, collatis aliquamdiu inter se consiliis, Papam adeunt, & suas sedes ex ejus literis positas repetunt, nec eo tempore quemquam eorum a Bessarione propositis occurrisse liquet. Tandem vero Andreas Rhodius seu Colossensis respondere aggressus est; attamen, cum oratio ejus extemporanea esset, nimium in superflua excurrisse, nonnunquam etiam a proposito sermonis scopo defeciisse credebatur. Tandem vero ad ipsam dogmatis summam transiit & oratio ejus usque adeo nullis adstricta erat propositi argumenti legibus, ut ille qui conscribendis hisce disputationibus nominatus erat, affirmare non dubitaverit, Andreæ dicta haud quaquam actis inserenda, eo vel maxime, quod & Græci iisdem respondere detrectassent.

Acta Conc. Flor. to. 13. Conc. Labb. p. 154.

§. CXXIII.

§. CXXIII.

Sæcul. XV.
A. C. 1438.

Sessio X. Ferrariensis Concilii.

Ibidem.

Joannes Episcopus Forojulienſis, ſeu Forolivienſis in Seſſione decima Sabbato octava Novembris die celebrata in certamen vocatus eſt, ut Beſſarionem oppugnaret; Igitur Joannes quamvis initio ſermonis ſui ſe & brevitate uſurum, & iis, quæ in utraque poſteriori Seſſione dicta fuerant, plene ſatisfacturum ſpopondiſſet (*), ſuam tamen orationem juſto longius protrahebat, ac vocem *Filioque* nequaquam additionem, ſed meram eſſe dogmatis explanationem pluribus in unum collectis argumentis perſuadere conabatur, quibus tamen antiquam crambem recoquere videbatur. Quandam, inquiebat, Symbolo adjicere explicationem non modo nulla omnino lege vetitum eſt, ſed nequidem ulla unquam ætate, vel quacunque auctoritate ejusmodi facultas Eccleſiæ interdici poteſt: hac itaque lege

(*) In actis Joannem in *hunc* modum dixiſſe legimus: *Quæſo, ne duo a me inter ſe pugnantia ſimul contendatis, ut & brevitate utar reſpondendo, atque omnibus, quæ dicta ſunt, plene ſatisfaciam, reſpondebo itaque ad graviora, ad quædam haud prolixa utemur oratione, ſed de omnibus ſummatim quodammodo dicemus.*

Sæcul. XV. A. C. 1438.

ge tantum privati homines comprehenduntur, qui ejusmodi additiones omni auctoritate destituti assuere præsumunt. *Si enim juxta S. Augustinum,* inquiebat ille, *tanta mysteriorum novi Testamenti copia, quod implicite includeretur in lege veteri, non dicitur additio, si sensum spectes, mirum non est, si qua horum explicatio non dicitur simpliciter & proprie additio, videlicet, secundum sensum, sed potius complicatæ rei evolutio.* Orationis hujus epilogus in actis Concilii desideratur.

§. CXXIV.

Sessio XI. Ferrariensis Synodi.

Acta Conc. Flor. tom. 13. Conc. Labb. p. 170.

Hæc cum prolixe fuissent disputata, Julianus Cardinalis in Sessione undecima feria tertia die undecima Novembris celebrata præfatam quæstionem absolvit, atque Synodi Ephesinæ interdictum pluribus explanavit animadversionibus, quæ erant sequentes. I. Sensus hujus legis omnino repetatur ex iis, quæ illius ferendæ occasionem præbuerunt; porro nequaquam Carisii Symbolum (*) utpote plene

(*) *Charisius iste, Presbyter & Ecclesiæ Philadelphicæ œconomus ad Ephesinæ Synodi Patres detulit, Nestorianos quoddam Fidei Symbolum conscripsisse, eandemque Quartodecimanis ad*

plene orthodoxum, sed spurium illud a Nestorianis confictum, & a Synodo damnatum in caussa fuit, ut prædicta lex conderetur. II. Hæc Synodus non solum cavit, ne quidquam adderetur, sed ut nequidem nova fidei expositio fieret: si ergo ejusmodi interdictum ad Ecclesiam, vel aliquod Concilium extendi deberet, ipsi quoque Ecclesiæ novam fidei expositionem proponere vetitum foret, quod tamen proprio Græcorum judicio falsum esse constat. III. Si vero Ephesina Synodus duntaxat Symboli Nicæni mentionem fecisset, pronum esset inferre, quod additiones, quas Constantinopolitanum Concilium Symbolo adjecit, ipsa damnaverit. IV. Nec Ephesinæ, ac Chalcedonensi Synodo, nec Sancto Cyrillo, & divo Leoni aliud fuit propositum, quam prohibere, ne nova doctrina traderetur, ac permitteretur. Julianus hisce suis observationibus finem imponens universo Patrum Sena-

Sæcul. XV. A. C. 1438.

ad Ecclesiam redeuntibus subscribendum dedisse. Postquam Synodus hanc fidei expositionem hæreticorum erroribus infectam perlegisset, prohibuit, ne quæ alia fidei Professio, quam Nicæna vel proponatur, vel scribatur, Episcopis & Clericis depositionis, Laicis vero anathematis pœna comminata est. Vide Histor. Eccles Fleury Tom. IV. Lib. XXV. § 56.

Sæcul. XV. A.C. 1438.

Senatui declaravit, haud operæ pretium esse, quæstioni minoris momenti diutius immorari, cujus materia jam penitus exhausta foret, satius esse, quod animus, ac studia converterentur in principalem, juxta ac decretorium articulum, scilicet ad ipsum dogma Latinorum de processione Spiritus Sancti, *nam si probatis*, inquit Cardinalis, *Spiritum Sanctum non procedere a Filio, profiteor plane, quod Ecclesiæ Romanæ non licuit illud Symbolo addere*, nec nostris definitionibus, prout tamen Marcus Ephesinus nobis indulget; *sed si hoc demonstrare non poteritis, imo vero si demonstrabitur potius oppositum, tunc certus sum, quod non faciatis difficultatem, an potuit illa declaratio poni* ad explicandum mysterium, cujus veritas impugnatur.

Absoluto hoc sermone, Bessarion e loco suo surrexit, atque obsequiosa salutatione Juliano Cardinali congratulatus est, eoquod ipsum controversiæ nodum attigisset, nihilque intactum reliquisset, quod dictu necessarium fuisset, *Respondebimus tamen*, inquit ille, *ad hæc in proxima Sessione, nam in præsenti non videtur mihi tempus commodum ad respondendum, quia surgendi tempus jam est, & quia sicuti pulchra, ita etiam fuere multa*, ad quæ dare oportet responsum. Nec tamen Bessarionem fidem datam liberasse, invenimus, alii

alii enim in arenam descenderunt, ubi in proxima Sessione initum est certamen non minus diuturnum, quam crebris utrinque contentionibus fervidum. Sæcul. XV. A. C. 1438.

§. CXXV.

Sessio XII. Concilii Ferrariensis.

Die Sabbati, quæ erat decima quinta Novembris, habita est Sessio duodecima, Marco Ephesino & Juliano Cardinale ad disputandum convenientibus. Præcipuum disceptationis argumentum circa Charisii Symbolum, & Ephesini interdicti explicationem versabatur. *In tertia Oecumenica Synodo*, inquiebat Marcus, *Charisius quidam oblato adversus Nestorianos libello, factaque fidei suæ expositione aliter ac Nicæna fides exposita est, se habente, non fuit a Synodo redargutus, constat igitur ex hoc, non alteram simpliciter fidem, sed contrariam esse vetitam: ita se habet argumentum tuum, responde.* Proponentem excepit Julianus Cardinalis dicens: *Non opus est, ut ex me tua Reverentia nunc quærat; cum sessione proxima omnia plane, clareque dixerim, imo etiam scripta tradiderim.* Ast cum Marcus Ephesinus certum responsum sibi dari postularet, Imperator dixit; *Si opus est, alii Patres respondeant.* Cum vero Julianus haud obscure cognosceret, magis *Ibid. p. 179.*

Sæcul. XV. A. C. 1438.

ſuum quam alterius Cæſari placere re- ſponſum, in hunc modum effatus eſt: *Chariſius obtulit Synodo fidem ſuam, qua ſane catholica erat; poſtea confictum a Neſtorianis Symbolum recitatum eſt. Sy- nodus reprobavit confictum Symbolum, non expoſitionem fidei a Chariſio factam. Quod ſi Chariſio non licuiſſet exponere; profecto Synodus abrogaſſet illam, ac rejeciſſet. Dixi etiam, expoſitionem & confeſſionem fi- dei Chariſii ſimilem plane eſſe Nicæno Sym- bolo, exceptis duabus, aut tribus dictioni- bus, quæ etiam veræ ſunt, & piæ.* Multis defenſionibus, atque exceptionibus ultro citroque hac ſuper re iteratis non mo- cum temporis ſpatium abſumebatur.

Sub finem diſputationis Julianus Car- dinalis opportune Græcis obtrudebat, iſta quoque verba: *Qui deſcendit de cæli*, uti & hæc, *ſecundum ſcripturas*, in non- nullis Conſtantinopolitani Symboli ma- nuſcriptis Codicibus deſiderari, præterea Latinos has voces addidiſſe: *Deum de Deo*, nec propterea unquam a Græcis objurgatos, ſicut tamen propter illam vo- cem: *Filioque* reprehenderentur. Andreas Rhodius quoque in ſuo ſermone, illa verba: *Deſcendit ad inferos* Symbolo, quod Apoſtolorum vocant, adjecta fuiſſe affir- mabat. His peractis Marcus Epheſius aliam quæſtionem ordiri meditabatur, ſcilicet, an Eccleſiæ Romanæ, & ſummo Ponti-

Pontifici quicquam Symbolo addendi potestas competat? Verum Julianus Cardinalis hanc controversiam opportuniori tempori reservandam censuit, iterum, iterumque obsecrans, ut *ad disputationem de Sancti Spiritus processione accederent, quod si*, inquiebat ille, *convenerimus in ea, quæ est de Spiritu Sancto, controversia, persuasum mihi est fore, ut etiam in aliis facile, pleneque conveniamus.* Sæcul. XV. A.C. 1438.

§. CXXVI.

Sessio decima tertia Concilii Ferrariensis.

Sessione XIII. die Jovis vigesima septima Novembris celebrata, Patres exceperunt Legatos a Philippo *bono* Burgundiæ Duce ad Synodum missos, qui numero quatuor erant; scilicet Teruanensis, sive Morinensis, Cabillonensis, & Nivernensis Episcopi unacum Cistertiensium Abbate. *Acta Conc. Flor. to. 13. p. 207.*

§. CXXVII.

Ducis Burgundiæ Oratores ad Synodum admissi.

Verum parum abfuit, quin importuna Oratorum morositas hucusque bene cæpta unionis negotia dissiparet; cum enim ad Synodi locum veniissent, ac sum-

Sæcul. XV. A. C. 1438.

mo Pontifici de more salutem dicerent, atque ejus dexteram, & faciem deoscularentes, assignatas sibi sedes occuparent, Joannem Palæologum Imperatorem nullo omnino reverentiæ signo honorabant. Qua de re Imperator graviter offensus, palam ac diserte profitebatur: *Nisi iterum Synodus conveniat, & Oratores Ducis accedant, mihique debitum honorem deferant, ut fieri solet Imperatoribus, non amplius conveniam, sed neque Synodus fiet.* Verum Papa, operam suam sedulo navante Patriarcha Constantinopolitano, componendæ hujus controversiæ arbitrum se præbuit, adegitque Legatos, ut in proxima Sessione Imperatori debita honoris obsequia se delaturos promitterent.

§. CXXVIII.

Sessio decima quarta Ferrariensis Concilii.

Acta Conc. Flor. to. 13. Conc. Labb. p. 297.

Igitur Burgundiæ Ducis Oratores, qui præcedenti Sessioni intererant, hanc quoque quarta die Decembris celebratam accedebant atque Imperatori, uti promiserant, reverentiam suam exhibebant, quamvis adversante nonnihil, ac repugnante animo id fieri, compluribus adstantium videretur. Quinimo & ipse Imperator satis aperte idipsum animadvertit

vertit; ac inde se animo commoveri sen- Sæcul. XV.
sit; verum præhabito promovendæ pa- A.C.1438.
cis studio, dolori temperandum censuit. Ergo Patres ad discutiendum articulum de voce *Filioque* Symbolo adjecta redeunt, Marco Ephesino, & Juliano Cardinale hac super re disputantibus. Marcus sermonis prærogativa honoratus, hunc in modum exorditur. *Propter dicendi ubertatem atque facundiam habitos esse longos sermones, propterea paucis esse agendum, & responsiones reddendas nuda propemodum affirmatione & negatione.* Moxque subjunxit: *Charisium nihil ipsis attulisse, quod carum, gratumque esset.* Hæc cum Ephesinus dixisset, protinus Cardinalis Julianus objecta multis argumentis diluens, sermonem adeo prolixum habuit, ut dicentem dies omnino deficeret, totumque Sessionis tempus sibi soli vendicaret, Marco nequidem unius verbi copia relicta.

§. CXXIX.

Sessio decima quinta Concilii Ferrariensis.

Igitur ulterior hujus articuli discussio di- *Ibid. p. 210.*
lata est ad Sessionem decimam quintam feria secunda octavo Decembris die celebratam, cui Patriarcha Constantinopolitanus non interfuit, adversa valetudine

Sæcul. XV. A.C. 1438

præpeditus. Marcus Epheſinus ſermone longius protracto, non eſſe licitum Symbolo vel vocem, vel ſyllabam addere, comprobare nitebatur, quo tandem finiente Julianus Cardinalis tam prolixæ hujus orationis ſummam in duodetriginta capita diſtribuit, & raro an dicam perſpicaciæ vel memoriæ exemplo ad ſingula reſpondit, necnon argumentis tum ex Philoſophia, tum ex ſacra Pagina petitis, vocem *Filioque* licite appoſitam fuiſſe propugnavit. Haud ſegnius inſtitit Marcus, & oratione Juliani Cardinalis in octo partes diviſa, adeo prolixum pro ſua aſſertione ſermonem inſtituit, ut diſputationem potius interrumpere, quam abſolvere velle videretur. Ad quæ Juliano nequaquam hæſit aqua, ſed intrepide reſpondit: ſi decem proponeret Marcus argumenta, decem millia ſe redditurum ei. Res tamen indeciſa permanſit diſſidentium animis ſemper in diverſa abeuntibus. Latini enim impenſe flagitabant, ut quæſtio de proceſſione Spiritus Sancti agitaretur, qua utrinque penitus diſcuſſa, ſi Spiritum Sanctum a perſona Filii procedere manifeſte pateret, omnino vox illa jam recepta, Symbolo inſerta relinqueretur, ſi vero ex hoc examine deprehenderetur, quod doceri non valeat, Spiritum Sanctum a Filio procedere, hæc additio omnino a Symbolo elimi-

eliminaretur. Ex adverso Græci ante omnia hanc vocem *Filioque* a Symbolo expungendam dicebant, postmodum autem ipsum dogma examini subjiciendum, & si Latinorum doctrina comperiretur orthodoxa, eam tandem definiendam esse; si vero convinceretur erronea, protinus damnandam. Vigente hac opinionum dissensione, per aliquod tempus ab ulterioribus consultationibus cessatum est. Sæcul. XV. A.C. 1438.

§. CXXX.

Concilium Florentias transferendum Græcis a Papa propositum.

Haud obscure cognoscebatur, Græcos Ferrariæ hærere pertæsos, & haud ægre laturos, si Synodus penitus dissolveretur, ut ipsi in patriam suam reverti possent. Hi enim eo ardentius reditum meditabantur, quo apertius perspicerent, fieri haud posse, ut Latini ad vocem illam *Filioque* de symbolo tollendam inducerentur; eo vel maxime, cum & ipsi hanc additionem nullo pacto acceptare decrevissent. Hæc dum ita agitantur, Papa Imperatori & Patriarchæ suam de Concilio Florentiam transferendo sententiam aperuit. Cogebat ad id tum pestilentia Ferrariæ grassans, cujus major adhuc violentia transacta hyeme

Sæcul. XV. A.C. 1438.

timebatur, huic præcipue acceſſit, quod Eugenius ad Græcos Ferrariæ commode alendos deinceps neceſſarios ſumptus ſuppeditare haud poſſet, ac ob id a Florentinis pecuniam mutuo petere compelleretur, quam & ipſi dare polliciti ſunt, ea tamen lege, ut ad eorum civitatem Synodus transferretur. Unde Imperator in Seſſione decima quinta hanc loci mutationem proxime futuram Græcorum Prælatis ſignificabat, eorum conſilium hac ſuper re exquiſiturus. Illi autem Imperatori reſpondebant: *Nos vellemus Ferraria non excedere: quandoquidem in ea ſtatutum eſt, non alibi Synodum celebrari. Ceterum Imperii tui potſtas declarabit, cur debeamus eo proficiſci. quid enim hic minime dixerimus, quod illic dicamus? Quid poterunt Latini efficere Florentiæ, quod hic non poſſunt? eſtne ſymbolo expunctum iri ab illis additamentum e Symbolo? an vero perſuadere nobis volunt, ut illud noſtro Symbolo adjiciamus? hæc ſunt utrique parti impoſſibilia: quare non dari alio nos conferre.* Tandem vero ob rerum inopiam, qua laborare cæperant, Florentias migrare, atque Synodi translationem, calculo ſuo comprobare compulſi ſunt.

§. CXXXI.

§. CXXXI.

Sæcul. XV. A.C.1438.

Synodus cum Græcorum conſenſu Florentiam translata.

Hæc translatio promulgata eſt in Seſſione decima ſexta, quæ inter Ferrarienſes poſtrema, & nonniſi decima Januarii die anni ſequentis habita eſt. Papa Græcis aliquam eorum, quæ illis debebantur, ſubſidiorum partem numerari juſſit; Conſtantinopolin quoque nonnulla pecuniarum ſubſidia miſſa fuere, ac præterea conventio olim cum Græcis facta innovabatur, qua omnes ſumptus, ut Florentiam petere, ibidemque commorari, ac tandem ad ſua reverti poſſent, liberaliter ſuppeditatum iri promittebatur, ſive demum Eccleſiarum unio ſequeretur, ſive non. Quibus ita compoſitis quisque ſuo ſeſe itineri accinxit. Nos autem, donec Græcos Florentiam perveniſſe continuata hiſtoriæ ſeries monuerit, ad alia in hunc annum memoratu digna excurremus.

Conc. gener. to.13. p.218

§. CXXXII.

Burgundiæ Duciſſa Galliam inter & Angliam pacis conciliatrix.

Cum Francia adverſus Angliam continuis bellis involveretur, Iſabella ſeu Eliſa-

Sæcul. XV. A. C 1438.

Elisabetha Burgundiæ Ducissa nil intentatum reliquit, ut hæc duo regna optato pacis fœdere rursus conjungeret. Stimulabatur ad opus tam pium vehementi desiderio, ut tandem Dux ejus Maritus optata quiete potiri posset, nec ingrata Anglis erat hæc pacis conciliatrix, utpote quæ, cum secundum lineam maternam ex inclyto Lancastriæ Ducum stipite descenderet, proin ipsum Regem sanguine contingeret, minus quam nemo alius Anglis suspecta esse debebat. Hæc igitur ab utroque Rege impetraverat, ut

Oye

suos quisque Legatos Ogiam (insula est Caletum inter & Gravesinam sita) destinaret. Legatione hac nomine Angliæ Regis fungebatur Cardinalis Vicc-

Basoche

nienſis; Raynaldus vero Girardus Basociæ Toparcha unacum Roberto Malenis rationum Præfecto pro Galliarum Rege hunc conventum, cui & eodem anno Mense Junio initium datum, sua præsentia honorabat. Intererat quoque Burgundiæ Ducissa, Aurelianensis Dux, Vin-

Dunois

docinensis, & Dunensis Comites unacum Archiepiscopo Rhemensi Galliæ Cancellario, pluribusque aliis Proceribus, ac Regii consilii Patribus;

§. CXXXIII.

Sæcul. XV. A.C.1438.

§. CXXXIII.

Pacis articuli Anglis propoſiti.

Ad redintegrandam pacem Anglis offerebatur, ut Cadomienſem, Cotentinam, & Ebroicenſem Provincias, ac quidquid in Aquitannia poſſiderent, integre eorum imperio cederetur, excepto S.Michaelis monte, ac Alenconii Ducatus ſuprema jurisdictione & ſubjectione Gallis reſervata: præterea obtinerent Caletum, Aquitanniam, ceterasque urbes, quæ in Picardia eis parebant; Galliarum tamen Regi itidem ſubditorum fidelitas, homagium, ac ſupremi Dominii jura omnino ſalva remanerent, Galli econtra ab Anglorum Rege poſtulabant, ut omnia, quæ in Galliis occupaverat, tam pro ſe, quam pro poſteris ſuis abdicaret; nec ultra ſe Franciæ Regem nuncupari permitteret, minus Regni inſignibus uteretur; irritum ac nullum declararet, qualecunque ad Galliæ ſceptrum jus obtendere poſſet; ac denique, ut nullo vel ſaltem nonniſi modico lytro Aurelianenſem Ducem libertati reſtitueret. Hæc pacta neutiquam probabantur Vinconienſi Cardinali, quapropter oblatis aliis conditionibus expoſcebat, ut omnes Provinciæ, terræ, ac ditiones, quibuscunque Anglia ante ereptum ſibi Galliæ diedema potiebatur, redde-

Sæcul. XV. A.C. 1438.

redderentur, præterea Caletum, Aquitania, cum omnibus annexis juribus, pleno ac supremo Dominio, Anglis relinquerentur, ac subditi a fidelitate, homagio ac Gallorum jurisdictione penitus absolverentur. Nempe Cardinalis expressa Provinciarum, terrarum, ac ditionum nomine, totam Normanniam, Andegavum, Cenomanum, Aquitanniam, Vascoviam, Turonium, Pictavium, Montrolium, Britanniæ Ducatum, & comitatum Flandriæ complectebatur cum omnibus ceteris Dynastiis, quas olim Angliæ Reges sibi vendicarunt, & quæ inter mox recensitas provincias non comprehenduntur.

§. CXXXIV.

Hæ conditiones rejectæ.

Quamquam vero omnes pacem conditionibus adeo duris restitutum iri minime crederent; nihilominus Burgundiæ Ducissa nequaquam animum despondebat, sed alteram potius ineundæ concordiæ viam aperuit, ac die vigesima nona Julii proposuit, quod Anglis per quindecim, viginti, vel omnino per triginta annos jurium suorum usus indulgeretur: quo temporis decursu Rex Angliæ titulo Regis Galliæ renuntiaret, perpetuo tamen jure Aquitanniam, Normanniam & Picardiam possideret; Britannia vero

vero Francorum Regi fidem ac obsequium interea profiteretur: absoluto autem hoc temporis intervallo, si Rex Angliæ prætenso suo juri cedere vellet, pacem concludendam esse; secus vero eidem, ut jus suum armorum potentia persequeretur, liberum fore. Verum cum non solum Gallis, sed etiam Anglis hoc consilium minime probaretur, conventus omnino dissolvi cæpit, & pace necquidquam expectata, belli flamma denuo revixit. Sæcul. XV. A C 1428.

§. CXXXV.

Rerum status in Regno Neapolis.

In Italia Cardinalis Vitellescus armis suis, atque victoriis universum Neapolis Regnum, pulso Alphonso Arragonio, qui illud sibi subjicere nitebatur, haud difficili negotio aut Romanæ Ecclesiæ, aut Renato Duci Andegavensi legitimo hæredi vindicare potuisset; ille vero sive vano metu perterritus, sive alia occulta de caussa, a feliciter cæptis ignominiose destitit, in hoc vel maxime reprehendendus, quod inducias Alphonso concessisset: nisi forte eum in finem id fecerit, ut eo cautius consilia, quæ contra hunc Regem foverat, occultaret; hunc enim, dum nil sollicitus in vico quodam Natale Domini celebraret, ex insidiis interficere

Summont. hist. Neap. l. 4

Antonin tit. 22. c. 11. §. 20.

Sæcul. XV. A.C. 1438.

cere constituerat, quod & executus fuis set, nisi Alphonsus de proditione edo ctus, celeri fuga sibi consuluisset.

§. CXXXVI.

Neapolis ab Alphonso cincta, sed pau post liberata.

Marian. l. 21 c. 13. Surita 14. c. 50.

Renatus Andegavensis, postquam liber tatem suam a Burgundiæ Duce pre tio redemerat, triremibus Genuensium stipatus, Neapolim venit, multisque op pidis qua vi qua deditione occupatis, Al phonsum ad pugnam provocavit. Hi vero oblatam prælii copiam accepta simulans, post varias, fictasque copiarum suarum circuitiones Neapolim totius Re gni caput obsidione cinxit, quam urbem Renato absente, & ejus exercitu in subi gendis aliis locis occupato, facili negot tio in suam potestatem redigere spe rabat: nihilominus Alphonsus ab urbe recedere coactus est. Hanc obsidionem Mariana, aliique Hispani Scriptores, quo rum chronologiam sequimur, ad præ sentem annum revocant: Itali vero eam sequenti recensent. In dicta obsidione Petrus Alphonsi Regis frater tormenti globo ad terram illiso, & inde quaterno vicibus refracto percussus illico occubuit. Hic erat Princeps præclaris animi dotibus

bus illustris, atque optima, & liberali indole longe præstantissimus. Sæcul. XV. A.C. 1438.

Lacerabatur reliqua etiam Italia continuis belli furoribus, quibus Philippus Mediolanensium Dux, & Veneti simul ac Florentini adinvicem collidebantur. Inter alia Historicorum testimonia reperitur, quod Cretensis quidam, nomine Sorbolus, cum in subsidium urbis Brixiæ necessaria classis deesset, duas triremes, quatuor celoces, ac scaphas viginti quinque per ducenta amplius passuum millia, perque inaccessas ferme altissimorum montium rupes, ac scopulos feliciter, summo licet labore ad urbem deduxisset, totumque opus trium mensium spatio perfecisset. Simile quoque facinus Mahometes in obsidione Constantinopolis edidisse refertur. *Blondus l. 5. Decad. 8. 9. 10.* *Vide. Lib. CX. §. 101.*

§. CXXXVII.

Eduardi Lusitaniæ Regis obitus.

Hoc anno die decima nona Septembris, juxta Spondanum Eduardus Lusitaniæ Rex rebus humanis excessit ad Thormare cœnobium, quo se ad evitandam pestem, quæ regnum suum affligebat, contulit, sed eodem morbo ibidem correptus obiit. Petavius in sua chronologia Regis hujus mortem in nonam Decembris currentis anni millesimi quadringentesimi trigesimi octavi incidisse *Mariana lib. 21. c. 13.*

Sæcul. XV. A C. 1438.

obſervat. Agebat Eduardus annum vitæ ſuæ quadrageſimum ſeptimum, Regni vero quintum. Tres reliquit Filios ſub cura & tutela Eleonoræ Matris, quorum natu major Alphonſus ejus nominis quintus Patri ſucceſſit; Aſt cum non niſi ſexennis eſſet, primo quidem Eleonoræ ejus Matri Regni adminiſtratio a Luſitanis delata eſt, hæc vero dein Caſtellam ſe recipere coacta, ibidem miſere vitam finivit. Regina adeo indigne expulſa, Luſitani Petrum Conimbricæ Ducem, pueruli Regis patruum, Regni adminiſtratorem conſtituerunt. Hic Alphonſo Filiam ſuam nuptui dedit. Poſtea tamen & ipſe in exilium pulſus in pugna propriis Alphonſi manibus occubuit, ejusque corpus inter occiſorum cadavera aliquamdiu inſepultum jacuit, nemine Petri funus curante.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER CVIII.

EUGENIUS IV. PAPA.
ALBERTUS II. OCCIDENT. JOANN. VII. PALÆOLOGUS ORIENT. IMPERATORES.

§. I.

Ultima Ferrarienſis Seſſio. Synodus a Papa Florentiam translata.

Cum Synodum Ferraria Florentiam transferre utrinque firmiter decretum eſſet, ad diem decimam Januarii indicta eſt Seſſio ultima, in qua translatio illa promulgaretur. Itaque Archiepiſcopus Neapolitanus conſuetas præmiſit preces, quibus perſolutis, Papa Pontificali Sæcul. XV. A. C. 1439.

Sæcul. XV. A. C. 1439.

tificali ornatu insignis, Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque Prælatis stipatus consessum adiit, & Archiepiscopum Gradensem ambonem conscendere jussit, ut translationis Bullam perlegeret, qua latino idiomate recitata Archiepiscopus Mitylenensis Imperatoris jussu eandem Græce redditam promulgavit. Ea hisce verbis concepta erat: *Convenerat Ferrariæ Synodus Oecumenica eo consilio, ut illam inibi absolveremus, sed quia eam urbem pestis mortifera obsidet, idque hyberno tempore, ne vere etiam grassetur, secundum leges & Canones Synodum hanc Ferrariæ transferimus Florentiam.*

§. II.

Papa cum Græcis Ferraria Florentiam abit.

Conc. Gen. Labb. to. 13. p. 219.

Hoc diplomate promulgato, mox Papa de necessario commeatu, aliisque itineris subsidiis liberaliter Græcis provideba, atque eisdem die duodecima Januarii pro quatuor mensium spatio bis mille quadringentos duodecim florenos numerari præcipiebat, ac undeviginti florenorum millia Constantinopolim mittebat, ut urbs illa adversus Turcarum impetus muniretur. Tandem sexta decima Januarii Ferrarienſem civitatem reliquit: ante illum præferebatur juxta aviam

Sguropul. hist. Conc. Flor. sect. 7. cap. 14.

tam ſummorum Pontificum ita facientium consuetudinem Sacratiſſima Euchariſtia in arcula quadam repoſita, quam Viri plurimi accenſos cereos geſtantes comitabantur. Poſtea Eugenius tiaram in capite gerens Pontificali amictu, atque Majeſtate inſignis equo vehebatur, Marchione Ferrarienſi frænum tenente, donec Eugenius extra urbem egreſſus eſſet. Hoc comitatu delatus eſt ad Monaſterium S. Antonii, quod, utpote cuidam flumini proximum, peropportunum judicabatur, ut Papa navem conſcenderet, indeque Mutinam, urbem Ferrariam inter & Florentiam via pauliſper ad dexteram declinante ſitam, concederet. Ergo in dicto Monaſterio ſubſtitit, & eodem die diverſatus eſt, hymnumque veſpertinum decantari juſſit; celebrabatur enim ibidem S. Antonii vigilia; poſtera autem die decima ſeptima Januarii Mutinam perveniens prandio ſe refecit. Inde itinere terreſtri Florentiam contendit, illum ſemper comitante Marchione Ferrarienſi, & præſidiaria armatorum manu ejusdem latera cingente. Hæc de itinere Eugenii ex Græcis concilii Florentini actis mox relata, ægre concordari valent cum iis, quæ S. Antoninus, & Sguropulus nobis teſtata reliquerunt; Narrant illi, quod Papa tantum viginti domeſticis ſtipatus, cum hoſtium inſidias ſummopere vereretur, non-

Sæcul. XV. A.C. 1439.

Antonin. tit. 22. c. 11. Sguropul. loc. cit.

Sæcul. XV. A. C. 1439.

Labbe Conc tom. 13. p. 1032. & 222.

nisi sub alieno habitu per aversa, ac devia itinera periculum evaserit. Ex iisdem græcis hujus Synodi actis, quæ Imperatoris & Patriarchæ in urbem Florentinam ingressum summopere deprædicant, discimus, Græcos, Papa jamjam discedente paucos adhuc dies Ferrariæ commoratos fuisse.

Ubi omnes Florentiæ advenerant, Græci in Palatio Imperatoris congregati de Sessionibus, quomodo essent peragendæ, consilium habuerunt, ac ex suis quosdam ablegarunt, qui Latinis significarent, ex parte sua præsto esse omnia, nihilque reliquum, quam ut ipsi Sessiones inchoarent. Latinis vero scisscitantibus, an conventus publice, vel privatim haberi desiderent, responderunt Græci, magis sibi privata probari colloquia. Igitur ad evitandum confusionis periculum conclusum est, ut deinceps in summi Pontificis prælatio conventus agerentur. Jamque ad illud accedere parati erant omnes, & ecce! Patriarcha gravi morbo corripitur, tamque pertinaci pedum tumore tenetur, ut nequidem moveri valeret. Quapropter Patres Sessionem primam Concilii Florentini ad feriam quintam secundæ hebdomadæ in quadragesima, quæ erat vigesima sexta Februarii dies, distulerunt, ingenti Patriarchæ desiderio, qui saltem pri-

primæ huic Seſſioni intereſſe optaverat, ſatisfacturi. Sæcul. XV. A. C. 1439.

§. III.

Prima Concilii Florentini Seſſio.

Cæpta eſt ergo præſtituto die prima Florentinæ Synodi ſeſſio, cui tamen non minus ac ſubſequentibus Patriarcha adverſa valetudine præpeditus, aſſiſtere haud poterat. Totam hanc Seſſionem tenuit prolixus admodum Dialogus inter Imperatorem doctrinæ ſplendore illuſtrem, & Cardinalem Julianum, tandemque concluſum, ut ad conciliandam concordiam utrinque opportuna excogitarentur media, ac propterea convenirent Græci, de modo ineundæ pacis deliberaturi, ſuumque conſilium in proxima Seſſione aperturi. Quo comperto Imperator unacum Prælatis Patriarchæ domum acceſſit, & de via in hoc rerum cardine aggredienda conſilium iniit. Verum cuncti Præſules Imperatori reſpondebant: *Nos medium ullum nec habemus, nec proponimus: ſed quia die Sabbati debemus reſpondere latinis, prompti quidem ſumus, ſed petat Imperium tuum, ut pars utraque privatim convenianus, & Deus de unionis modo providebit.* Idcirco Græci ſeptem ex ſuis eligebant, qui Latinorum argumentis reſponderent: hi erant, Antonius Hera- *Conc. to. 13. p. 223.*

Sæcul. XV. A.C. 1439

cleenſis, & Gregorius Protoſyncellus, Iſidorus de Ruſſia, & Marcus Epheſinus, quorum duo priores Alexandrini, duo autem poſteriores Antiocheni Patriarchæ Vicarii erant; Doſitheus Monembaſienſis, qui Patriarchæ Hieroſolymitani vicas agebat; Beſſarion Nicænus, & Dorotheus Mitylenenſis. His igitur plenam conceſſere facultatem conferendi, & de quinque controverſis Articulis tranſigendi cum Latinis, qui pari ratione ſeptem nominarent Prælatos, cum Græcis in arenam deſcenſuros. Verum Papa privatos hoſce conventus minus utiles autumans, Græcis acquieſcere noluit, aſſerens, ſi rem non niſi diſputatione agere vellent, ſatius fore, ut eadem publice inſtitueretur; ſic enim nec rerum, quæ ibidem palam pertractarentur, notitia verſuto quodam ſilentio ſuppreſſum iri, nec calumniantibus integrum fore, impune conviciari, ac ſi alterutra pars clandeſtinis artibus decepta, & cauſſæ, cujus defenſio ſuſciperetur, juſtitia turpiter violata fuiſſet.

§. IV.

Seſſio II Florentinæ Synodi.

Pontifex, cum ſatis perſpectum haberet, quod Græci de proponendo conficiendæ concordiæ modo nihil ſint ſolliciti, ſed unice rem diſputando agere vellent, ad

ad proximam feriam secundam, quæ iti- Sæcul. XV.
dem secunda mensis Martii dies erat, al- A. C. 1439.
teram Sessionem indixit, in qua, præside ipsomet summo Pontifice, absente tamen Græcorum Imperatore inter Joannem Dominicanorum Provincialem, & Marcum Ephesinum disputatio cæpta est de processione Spiritus sancti, utroque non minori argumentorum apparatu, quam verborum asperitate differente.

Joannes Latinorum Theologus accepta ab Eugenio Papa benedictione disputationem aggressus est ab iis, quæ ad fidem spectant, invicte stabiliendis: præprimis, quid hoc nomen: *Processio Spiritus sancti* significet, explanabat, & S. Dionysii testimonio confirmabat; ad quæ Marcus confestim respondebat, Vocem hanc processionis communem esse productioni Filii ac Spiritus a Patre, eoquod ipse quoque Filius Dei *Joannis cap.* 16. dixisset: *Exivi a Patre*, nihilominus *peculiariter secundum exactam Theologiæ rationem soli productioni sancti spiritus tribui a sacra Scriptura, tum a Sanctis omnibus, atque hoc nomine distingui productionem, qua Spiritus sanctus suum esse accipit, a productione Filii, nam hæc vocatur generatio.* Hæc Marci dicta Julianus excepit, ab illo scisitatus: *Estne procedere idem ac recipere ab alio existentiam, sive proprietatem?* Marco talem omnino se intelligere productionem

Sæcul. XV. A. C. 1439.

replicante, acrius sequenti argumento institit Joannes: *Habemus conclusionem hanc: Spiritum sanctum accipere esse a Patre perinde esse, atque ab ipso procedere, dico ergo: A quo Spiritus sanctus accipit esse in divinis, ab eo etiam procedit, dicitur autem Spiritus accipere esse a Filio, ergo Spiritus sanctus procedit a Filio, juxta propriam processionis significationem.* Ast Marcus Spiritum sanctum a Filio suam essentiam accipere negabat, quocirca Joannes id ipsum pluribus ac longe solidissimis comprobavit argumentis. Cetera, quæ in hac disceptatione dicta fuere, eadem concernebant dogmata.

§. V.

Sessio tertia Concilii Florentini.

Conc. Gen. tom. 13. p. 258.

Habita est quinta Martii die Jovis sessio tertia, in qua Joannes ad propositam quæstionem rediit, atque Sacras Literas, traditiones, Græcorum Patrum testimonia, & præclaras, validasque rationes ex Theologia petitas adduxit, quibus Spiritum sanctum a Patre, Filioque tanquam ab unico principio, & per eandem productionem suum esse accipere, tanta perspicuitate demonstrabat, tamque solide cunctis sibi objectis occurrebat, ut Marcus Ephesinus non raro obmutesceret, nec ingenii sui felicitas, nec expedita, atque uber-

uberrima in dicendo facundia, qua inter Græcos eminebat, quicquam eidem suffragaretur.

Sæcul. XV. A. C. 1439.

§. VI.

Sessio quarta Florentinæ Synodi

Die Sabbati septima mensis Martii celebrata est Sessio quarta, in qua Joannes Marcum Ephesinum velut fulmine tactum vehementer perculsit, dum ex pluribus pervetustis Sancti Basilii codicibus, qui tam Constantinopoli, quam ex aliis Græciæ urbibus consulto afferebantur, hunc Sanctum Doctorem in suis contra Eunomium libris Spiritum sanctum non solum a Patre, sed simul a Filio procedere, disertis omnino verbis docuisse, manifeste ostendit, ac præterea insignem Græcorum perfidiam, qui in ejusdem sancti Patris exemplaribus verbum, *Filioque*, studiose expunxerant, clare detexit. Cum vero Marcus, quid ad hæc responderet, non inveniret, Imperator Nationis suæ honori consulturus, Joannem interpellavit, dicens, nequaquam standum esse codicibus hisce in medium adductis; plurimos enim alios in Græcia reperiri, in quibus absque omni depravationis nota, vox illa desideraretur; *Verum Domine Imperator*, reposuit singulari modestia Cardinalis Julianus, *cum decreveritis ad certamen*

Ibid. p. 279.

S. Basil. l. 3. contra Eunom.

Sæcul. XV. A. C. 1439.

tamen venire, oportuit Magnificentiam vestram arma vestra vobiscum adducere, non in certamine ipsa expectare. Hæc nobis relata reliquit S. Antoninus, qui hisce disputationibus ipsum sese interfuisse testatur.

S. Antonin. tit. 22. c. 11.

§. VII.

Sessio quinta Synodi Florentinæ.

Labbe Conc. tom. 13. p. 303.

Sessione proxima, quæ erat quinta, decima mensis Martii feria tertia celebrata, rursum de testimonio S. Basilii agebatur. Marco disputationem auspicanti Joannes confestim solido responso occurrit, pluribus itidem confirmans, quæ in præcedenti Sessione dixisset, ac demum demonstrans, hanc esse mentem S. Basilii, & sententiam veriſſimam, quod Spiritus sanctus æque a Filio ac Patre procedat, in cujus argumentum unum de ejus libris produxit, in quo S. Basilius in homilia de Spiritu sancto Latinorum sententiam diserte tradidit. Disceptatio hæc usque adeo protracta est, ut Imperator eam tandem absolvi petierit, eoquod Græcis respondendi tempus haud amplius suppeteret. Quocirca dimissa Synodo decretum est, ut Sabbato convenirent.

§. VIII.

Sessio sexta Concilii Florentini.

Ergo die Sabbati decima quarta Martii con-

convenientes Seſſionem ſextam habuerunt, atque eandem S. Baſilii auctoritatem denuo ad examen vocarunt. Ibi Joannes Marcum adverſarium ſuum tanto argumentorum pondere in arctum coegit, ut illum prorſus elinguem reddiderit. Marco Epheſino obmuteſcente Imperator verba fecit dicens: *De re propoſita neceſſe eſt dubitare; hoc autem forſan opportuno tempore agitabitur.* Nec tamen diſputationi finem imponebant, ſed Joannes ex libris S. Baſilii contra Eunomium, aliisque pluribus locis ex eodem S. Patre doctrinam fidei aſſerere, animo invicto perrexit. Sæcul. XV. A. C. 1439 *Ibid. p.* 323.

§. IX.

Seſſio ſeptima Florentini Concilii.

Idem quoque diſceptationis argumentum totam tenuit ſeſſionem ſeptimam feria tertia die decima ſeptima menſis Martii celebratam. Græci deſperatæ ſuæ cauſſæ remedium quaquaverſus quærebant, tandem in quadam S. Maximi Epiſtola opem ſeſe inveniſſe arbitrabantur. Hanc ad calcem hujus Seſſionis in actis Græcis relatam reperire eſt, in qua Sanctus ille affirmat, Latinos, dum Spiritum ſanctum etiam ex Filio procedere docent, *nequaquam aſſerere, Filium eſſe cauſſam Spiritus, unam quippe norunt cauſſam Filii ac Spiri-* *Ibid. p.* 347.

Sæcul. XV. A. C. 1439.

Spiritus Patrem, illius quidem ſecundum ge-
nerationem, hujus autem ſecundum proceſſio-
nem, ſed ſignificare, quod per ipſum etiam
procedat, eaque ratione oſtendere ejusdem ſ-
ſentiæ nulla cum varietate communionem.
Ipſe Imperator hanc effugiendi rationem
detexit; cum enim probe intellexiſſet, di-
ſputationum æſtu unionis negotium adhuc
non peractum iri, ut potius majora inde
diſſidia enaſcerentur, opportunum ſed
concordiæ medium reperiſſe exiſtimabat,
ſi omnibus notum faceret, ipſosmet Lati-
nos fateri, quod Pater unica, & ſola ſit
ſet cauſſa Filii, & Spiritus ſancti. Quin
imo omnes omnino Græci, ſolo excepto
Marco Epheſino, & Heracleenſi Archi-
epiſcopo, uno ore exclamabant: *Si Lati-*
ni recipiunt hanc Epiſtolam ſancti Maximi,
ejusque ſententiam, *cum ipſis conjungi-*
mur, nihil aliud requirentes. Imperator in
eadem hac Seſſione ad Patres Synodi
ſermonem habens, ſubjunxit, cum tota
Latinorum doctrina ideo reprobanda
Græcis videretur, quod hi duo principia,
a quibus Spiritus ſanctus procederet, de-
ſtruxiſſent, jam non ſine injuria ac per-
tinaciæ nota ulterius impugnari poterant
illi, qui doctrinam omnino oppoſitam
aperte profitentur. Quare de communi
totius Synodi aſſenſu præcepit Imperator,
ut pro plena dogmatis diſcuſſione abſque
contentione, aut diſputationum ſtrepitu
omnes

omnes quiete ea perciperent, quæ Joannes FF. Prædicatorum Provincialis reſponderet, atque ſibi a Græcis objecta dilueret, nova, ſi quæ contra eos occurrerent, argumenta proponeret, ac doctrinæ ſuæ veritatem comprobatam redderet, quibus omnibus utrinque perceptis, collatisque conſiliis juxta plurimorum ſententiam ultimato deciſio fieret. Porro ad præcavenda cuncta optatæ unionis obſtacula Imperator Marcum Epheſinum, & Archiepiſcopum Heracleenſem hiſce congreſſibus intereſſe prohibuit, quorum primus jam aliunde in nuperis cum Joanne, & Cardinale Juliano habitis diſputationibus adeo acerbe exceptus erat, ut ipſi lingua ſimul & aqua hæreret, totoque vultu rubore perfuſo, neque quod ageret, neque quod reſponderet, tunc promptum haberet, imo nequidem comparere auſus juxta nonnullos Hiſtoricos, inſanire crederetur. Cum enim aliquando ad eum veniſſent, qui illum ad abſolvendam, quam cæperat, diſputationem invitarent, invenerunt eum in lecto ſuo jacentem, & vocibus inconditis ſtridentem atque dicentem: *Non poſſum venire; hac enim nocte venerunt Cardinales ſublato domicilii tecto, & membra mea virgis igneis cæciderunt*, illisque relictas in corpore ſuo plagas ſe oſtendiſſe putabat, quamvis ne minimum quidem verberum veſtigium appareret.

Sæcul. XV. A. C. 1439.

Joſeph. Methon. ad libell. Marci Epheſ. to. 13. Conc. p. 678.

§. X.

Sæcul. XV.
A. C. 1439.

§. X.

Sessio octava Florentini Concilii.

Labbe Conc. to. 13. p. 378.

Itaque solus Joannes Dominicanorum Provincialis in Sessione octava, quæ Sabbato die vigesima prima Martii habebatur, comparuit, hunc in modum exorsus: *Vellem, hic esset Marcus Ephesius & coram nobiscum adesset in hac Sessione, ut dictorum suorum solutiones audiret*, sed cum vincere desperaret, sua eum fuga victum declarat. Imperator Joannem interrumpens exposuit, Græci hodierna die nequaquam ad disputandum venerunt, sed unice, ut Latinorum votis satisfacerent, & pacta mutuo conventa adimplerent, hancque ob caussam Marcus Ephesinus comparere noluit; idcirco in hac sessione solis Latinis dicendi copia fiet. Græci vero nullam omnino responsionem dabunt. Ergo Joannes interruptum prosecutus sermonem denuo sancti Basilii doctrinam explanavit, docentis, *Spiritum sanctum habere suum esse a Filio, sicut a Patre, & nihilominus Patrem unam caussam esse Filii & Spiritus sancti, ut principaliter a Patre Filius producat Spiritum sanctum.* Hanc in rem allegavit illa Evangelii verba: *Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit &c. Joan. c. 15.* Ubi voci illi, *mittam*, fortiter institit, & senten-

sententiam suam pluribus ex S. Leone Papa, S. Gregorio, S. Ambrosio, Sancto Hieronymo, S. Augustino, aliisque Patribus allatis testimoniis strenue corroboravit. His peractis Sessio soluta est. Sæcul. XV. A. C. 1439.

§. XI.

Sessio IX. Concilii Florentini.

Feria tertia die vigesima quarta Martii habita est Sessio inter Florentinas nona, in qua denuo Joannes solus differendi copiam habuit, & quidem postremo disputare auditus est; absoluta enim hac sessione in nulla alia de controversis istis articulis actum est, Græcis paulo post ad sua remeantibus. Ipse vero Orthodoxæ fidei veritatem rursus novæ legis testimoniis pro viribus propugnavit, maxime secutus explanationes omnium antiquorum Ecclesiæ Doctorum, qui in sæculis III. IV. & V. floruerunt, proin longo intervallo Photii schisma antecesserunt, & quorum doctrinam ipsa Ecclesia Græca tanquam apprime orthodoxam semper venerata est. Postmodum cuncta, quæ in præcedentibus disputationibus ad impugnandum dogma tam solide stabilitum attulerant, ordine suo distincte retulit, ac invictis argumentis confutavit, manifeste demonstrans, inter omnes Græcos Patres, qui de Processione Spiri- *Labbe Conc. to. 13. p. 382.*

Sæcul. XV. A. C. 1439.

tus ſancti mentionem fecerunt plures aut diſertis omnino verbis, aut tantumdem exprimentibus docuiſſe, Spiritum ſanctum a Patre & a Filio procedere, ſuamque eſſentiam accipere; plurimos autem, eundem a Patre per Filium procedere affirmaſſe, quæ tamen in idem reciderent: nonnullos autem eorum dixiſſe, Spiritum *ex* Filio & *per* Filium procedere; omnes illos, qui illum a Patre (quod veriſſimum eſt) procedere aſtruerent, nec vel ſemel quidem Filium excluſiſſe; quod tamen, ſi Spiritus Sanctus a Filio non exiret, ſine dubio fecisſent.

§. XII.

Summum Imperatoris ſtudium pro unione Græcorum.

Poſtremo Joannes Gallæciæ, ac Toleti Conciliorum decreta ſubjunxit, quæ omnino conſentanea eſſent doctrinæ, quam Sanctus Leo Papa in reſponſo ad Turibium Epiſcopum tradidit: Quem ſummum Pontificem Synodus Chalcedonenſis ſummis laudibus celebravit, nominavitque *Virum nullius erroris vulneri patentem Propugnatorem, quem Deus Romanæ Eccleſiæ Papam providit, ad victoriam præparavit, doctrinis eum per omnia veritatis attingens.*

Poſt-

Postquam igitur Joannes solidissimis, atque invictissimis argumentis, necnon incomparabili eruditionis copia in duabus hisce Sessionibus integras octo horas de hoc articulo disseruisset, totius disputationis suæ summam Græcis scriptam porrexit, ut in suis privatis congressibus opportuno otio cuncta ad trutinam vocare possent. Verum in diversa abierunt Græci, nonnullis unionem abnuentibus, aliis eandem anxie expetentibus, & ad peroptatum illius exitum omnia media conquirentibus; quibus ipsemet Imperator accessit, ardentissimis votis anhelans, ut concordiam quovis etiam dispendio certam, firmamque redderet. Quare in alia Congregatione ejus hortatu quosdam ablegari decretum est, qui summo Pontifici significarent, disputationibus operam perdi, atque aliam proinde unionis viam excogitandam esse. Quibus Papa respondit: *Si satisfactum vobis est per clarissimam & evidentem demonstrationem, Spiritum Sanctum procedere ex Patre & Filio, bene est, sin minus, ex sacris Scripturis auctoritates contrarium asserentes iis, quæ dicuntur a nobis, proferatis. Si hæc non vultis, conveniamus simul, fiatque Synodus: conficiat sacrum Sacerdos, jusjurandum demus Latini pariter & Græci: proferatur libere veritas per juramentum, & quod pluribus videbitur, hoc am-*

Sæcul. XV. A.C.1439.

Sæcul. XV. A.C. 1439.

plectamur, & nos, & vos. Nulla enim alia magis prompta animos conciliandi tio ſuppetit. Imperator ſimul ac ſumm Pontificis dictum ad ſe delatum pene piſſet, miſſis ad Eugenium Oratoribus eidem hunc in modum reſpondit, „ma „ dium a tua Sanctitate ad procurandam „ unionem propoſitum usque adeo in „ congruum videtur, ut potius inde no „ va diſſenſionum ſemina ſpargerentur „ quoniam res, de qua dubitatur, pe „ viam judicii decidenda foret, cum ip „ men Græci nec judicare, nec judicari „ velint: quapropter rogamus, ut San „ ctitas tua de alio unionis modo provi „ dere ſollicita ſit.„ Cuncta hæc co loquia integrum bimeſtre & amplius te nuerunt, Græcis interea ſingulas partes ſcripturæ, quam Joannes FF. Prædica torum Provincialis conſignaverat, ſolli tiſſima cura excutientibus. Quo facto Marcus Epheſinus non modo Latinorum dogma acceptari non poſſe defendit, ſed etiam illud hæreticum appellare audebat. Ex adverſo Beſſarion Nicænus pe perte profitebatur, dandam eſſe gloriam Deo, ac ingenue fatendum, Latinorum dogma nec latum unguem a potiſſimo rum, atque antiquiorum Orientalis Eccle ſiæ Patrum doctrina diſcrepare; & ſi qui ex illis obſcurius locuti fuiſſent, verum eorum ſenſum ab aliis, qui in propoſita quæ-

quæstione clarius sese explicassent, pe- Sæcul. XV. A.C.1439.
tendum esse; ignominiosum enim fore ad tantas redigi angustias, ut tot tamque evidentia Patrum testimonia haud alio eluderentur effugio, quam cum Marco Ephesino in arctum coacto dicendo, Græcorum Patrum opera a Latinis fuisse corrupta, cum tamen apertissime constet, & omnium notitia probetur, omnes istos vetustos Codices ex Græcia ad Latinos fuisse delatos, ac ab ipsismet Græcis jam pluribus retro sæculis descriptos.

§. XIII.

Oratio Georgii Scholarii pro unione.

Georgius Scholarius ejusdem erat cum Bessarione opinionis, quam ser- *To.13. Conc. Gen. Labbe. p.573 & seq.*
mone in Actis Concilii relato pluribus confirmavit, ostenditque, nullum dedecus esse timendum ex mutatione sententiæ, quam nova, eaque clarissima veritatis agnitio postularet. In iisdem actis tres habentur orationes ab eodem Viro plane doctissimo concinnatæ, in quarum prima summam ineundæ pacis necessitatem demonstrat, in altera exponit media, quibus ea obstacula, quæ unionem impedire possent, submoverentur. Denique tertia exhibet planas o-

Sæcul. XV. A.C. 1439.

mnino vias, per quas unionis negotium ad felicem exitum perduci valeret.

§. XIV.

Beſſarionis Nicæni Oratio in unionis negotio.

Eadem Florentinæ Synodi acta nobis exhibent ſatis prolixam Beſſarionis Nicæni orationem. Hic ob aſſiduum conficiendæ pacis ſtudium ſummam illorum, quibus diſſenſionem fovere præplacuit, in ſe concitabat invidiam, ac propterea in Italia remanere cogebatur, ubi tamen poſtea ſacro Cardinalium Collegio adſcriptus, eximio eruditionis ſuæ, prudentiæ, pietatisque ſplendore purpuram plurimum illuſtravit. In hac ſua Oratione Latinorum dogma de proceſſione Spiritus Sancti defendit, & quidem I. ſchiſmatis cauſſas exponit docens, quod *tametſi ante Generale Concilium aliqua Græcis de ſua a Latinis diviſione excuſatio fuiſſet, nunc tamen jam celebrato Concilio Oecumenico, non poſſint ipſi absque ſcelere dividi ab eis, niſi illos a veritate deviare probarent.* II. Oſtendit, quod neceſſario ſancti *Doctores tum Occidentales, tum Orientales invicem debeant eſſe concordes.* III. Declarat, quod *quamvis nulla omnino ſit in S. Doctorum dictis contradictio, ſi tamen aliquid tale ſaltem apparenter eſſet, oportet*

Ibid. p. 391. & ſeq.

ret eos reducere ad concordiam, cum id sum-me necessarium esset ad fidem. IV. Probat, quod *ad intelligentiam illorum Doctorum, qui obscurius locuti sunt, utendum sit illis Patribus, qui apertius & clarius loquuntur.* V. Explicat, qualiter hæ duæ præpositiones, *per*, & *ex*, quibus S. Doctores ad exprimendam Processionem Spiritus Sancti usi sunt, intelligi possint. VI. Recenset *Auctoritates sanctorum Doctorum, in quibus Spiritus Sanctus ex Filio prodire dicitur, quodque non gratia Spiritus non subsistens, sed ipsa persona Spiritus dicatur profluere a Filio.* VII. Demonstrat Orientalis Ecclesiæ Patrum cum Occidentalibus concordiam, & quidem ex ipsismet auctoritatibus, quas Latini in Congregationibus habitis contra Græcos in medium protulerunt. Denique sequitur *solutio frivolæ responsionis, qua Græci ad auctoritates Occidentalium responderunt.* Postrema tandem populares suos pathetice adhortabatur ad amplectendam unionem. Hæc Bessarionis oratio, æque ac illa Georgii Scholarii fuit oblata Græcis, ut omnia maturo examine ponderarent, & tandem proborum desideria, ac perfectam utriusque Ecclesiæ unionem præstolantium vota adimplerent.

Sæcul. XV. A. C. 1439.

§. XV.

Congregatio in domo Patriarchæ pro unionis negotio habita.

Conc. Gener. to 13. p 467. & 474.

IMperator cauſſæ finem omnibus modis exoptans, tranſactis Paſchalibus feſtis in domo Patriarchæ conventum egit, huic quoque interveniebat Cardinalis Julianus, qui Græcos inducere conatus est, ut hactenus intermiſſas ſuas diſputationes denuo repeterent. Aſt Imperator huic Cardinalis conſilio acquieſcere nolens, ipſus ſummum Pontificem adiit, & ex ejusdem conſenſu utrinque decem Doctores nominari petiit, qui conventus ſuos ſeorſim celebrarent, & quilibet eorum alterno ordine ſuam ſententiam diceret, quodnam tandem opportunius conſequendæ unionis medium videretur.

§. XVI.

Alii conventus ad conciliandam utramque partem habiti.

ERgo Beſſarion in primo colloquio propoſuit, Epiſtolam S. Maximi, quam Latini in ſenſu Græcis minus accepto interpretabantur, tam a Græcis, quam a Latinis absque omni explicatione omnino acceptandam eſſe. Poſtea Marcus Epheſinus, additionem Symbolo factam penitus

penitus expungendam enuntiavit. Alii veluti normam præscribendam censuerunt professionem fidei a Patriarcha Tarasio editam, in qua Spiritum Sanctum a Patre per Filium procedere dicitur. Tandem in quinque conventibus hac super re habitis diversa proponebantur media: nullum tamen utrique dissidentium parti probatum fuit. Sæcul. XV. A.C. 1439.

§. XVII.

Professio fidei Latinorum de Processione Spiritus Sancti.

Postmodum Latini condiderunt professionem fidei, in qua anathema dixerunt adstruentibus duo principia, vel duas causas in sancta Trinitate, *Nos autem* inquiunt illi; *fatemur unum principium, Patris & Filii actionem, & productivam potentiam, & non dicimus, Spiritum Sanctum procedere etiam ex Filio, ut ex alio principio & causa, sive quia Filius Spiritum Sanctum primordialiter producat: unam quippe novimus causam, & radicem & fontem Deitatis, Patrem. Neque vero unam dicimus personam Patris & Filii, quia unicam asserimus actionem, hoc enim absurdum est, sed duas Hypostases dicimus, & unam actionem, & unam virtutem productivam, & unum quod producitur ex substantia & hypostasi Patris & Filii. Idcirco*

Sæcul. XV. A.C. 1439.

etiam in sacro Symbolo explicatum est, ut paulatim ii, qui affirmant Filium non esse causſam Spiritus, laberentur in dogma, tempus constituentes inter Patrem & Filium. Etenim qui negant, Spiritum Sanctum etiam ex Filio procedere, profecto manifeste decla-rant, quod ex solo Patre: si vero ex solo Patre, fuit ergo, quando non erat Filius: si vero dicant, quod ex sola paterna hypo-stasi, separant reipsa substantiam ab hypo-si, atque ita per ipsos substantia in partes secabitur, quod absurdum est. Hanc fidei Professionem die vigesimo nono Mensis Aprilis Latini ad Græcos miserunt; cum vero hi sibi necdum plane satisfactum esse censerent, eis aliam porrigere oportu-

§. XVIII.

Altera Latinorum fidei professio.

In hac secunda fidei formula Latini explicabant processionem Spiritus Sancti a Patre & Filio, ita tamen, ut unam Filii & Spiritus Sancti causſam, nempe Patrem profiterentur. Post & Græci suam fidei professionem Latinis transmittebant, in qua declarabant, *se quoque sequi, fontem & radicem Filii ac Spiritus Sancti esse Patrem, ac Filium emittere, & ex se scaturientem effundere Spiritum, atque a Filio emanare, profluere, & effundi Spiritum Sanctum.* Cum vero Latini a Græcis

cis harum vocum explanationem poſtularent, quo nimirum ſenſu, & utrum eas de æterna ac ſubſtantiali proceſſione vel duntaxat de temporali miſſione intelligerent, tandem poſt nonnullas contentiones profeſſionem fidei ediderunt, his verbis conceptam. Sæcul. XV. A. C. 1439.

§. XIX.

Profeſsio fidei a Græcis edita pro Latinis.

Nos Latini aſſerimus, quod id, quod dicimus Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere, non hac mente dicimus, ut excludamus Patrem, ut non ſit principium totius Deitatis, Filii ſcilicet & Spiritus Sancti; aut quod id, quod Spiritus Sanctus procedit a Filio, Filius a Patre non habeat, ſive quod duo aſſeramus principia, ſive duas ſpirationes, ſed quod unum tantum aſſerimus eſſe principium, unicamque ſpirationem Spiritus Sancti, prout hactenus aſſeruimus. Nos quoque Græci eodem ſenſu, eadem anima, eademque mente conſentimus & concordamus, & ita profitemur, quod Spiritus Sanctus ex Patre & Filio æternaliter eſt, & ex utroque tanquam ab uno principio & unica ſpiratione procedit, & quoniam omnia, quæ Patris ſunt, Pater ipſe Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem, hoc ipſum, quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio,

Sæcul. XV. A.C. 1439. *Filio, ejus Filius a Patre æternaliter habet, a quo etiam æternaliter genitus est.*

Hæc professio fidei in Græcorum conventu perlecta, a nonnullis approbata, ab aliis rejecta est. Nihilominus illam plurimorum suffragiis acceptatam, ad Summum Pontificem mittere decreverunt, qui diversas adhuc explicationes eidem inseri postulavit. Græcorum confilia rursus in diversas abiere sententias, Bessarione Nicæno, & Russiæ Archiepiscopo propugnantibus, omnino credi posse, sive ut Latini affirmant, quod Spiritus Sanctus ex Patre & ex Filio procedat, sive ut Græcorum Patres loquuntur, ex Patre per Filium, dummodo Spiritum Sanctum a Patre, & Filio tanquam a uno principio, & ab una sola caussa procedere teneatur: hacque via Patrum doctrinam, qui sibi invicem adversari videtur, conciliari, & unionem facili negotio perfici possit. Econtra Marcus Ephesinus, Patriarcha Heracleensis, pluresque alii sententiæ unionis omnino reluctati sunt, dicentes, inter ista duo: *Spiritus Sanctus procedit a Patre per Filium, & Spiritus Sanctus procedit ex Patre & ex Filio,* ingens discrimen intercedere.

§. XX.

Sæcul. XV. A.C.1439.

§. XX.

Græcorum dissensio circa unionem.

Fervebant non minus acres, quam diuturnæ inter Græcos disceptationes, & dissidentium animos in unam cogere sententiam, non exigui laboris res erat. *In unam*, inquit Actorum Concilii Scriptor, *ivimus sententiam Præsules numero decem, qui sunt hi: Ruthenus, Nicænus, Lacedæmonius, Mitylenensis, Rhodius, Nicomediensis, Distrensis, Gannensis, Dramensis, & Melenicensis Episcopi.* Ex quibus inferri posse videtur, quod ipse Melenicensis fuerit eorumdem Actorum scriptor, qui sese ultimo loco numeravit, quamvis ei in subscriptionibus Dramensis postponatur, qui hic priori loco recensetur. Subdit idem, ejusdem cum ipsis sententiæ fuisse Gregorium Patriarchæ Alexandrini Vicarium, necnon Pachomium Abbatem. Accessisse postea Præsules Cyzicenum & Trapezuntinum, præter Heracleensem, & alium quemdam Episcopum, quorum ille secundus Alexandrini, hic vero olim unioni vehementissime repugnans Hierosolymitani Patriarchæ Vicarii erant. Imperator cum eos, qui Latinorum caussæ accedere, & unionem exoptare videbantur, & numero & animo indies crescere cognosceret,

Conc. Gener. to. 13. p. 467. & seq.

Sæcul. XV. A. C. 1439

ret, tertia die Junii omnes ad Patriarchæ domum convocari jussit, ut suam quisque sententiam rogatus diceret.

§. XXI.

Congressus in domo Patriarchæ.

Patriarcha ceterorum primus hunc in modum sententiam tulit, quamvis sanctorum Patrum aliqui asserant Spiritum Sanctum procedere ex Patre, & Filio, alii ex Patre per Filium, cumque vox per *Filium* æquivaleat termino *ex Filio*, ego tamen omissa voce *ex Filio* dico, quod Spiritus Sanctus ex Patre per Filium æternaliter, & substantialiter tanquam ab uno principio, & caussa procedat, ita ut particula *Per* hoc loco significet caussam, ex qua Spiritus Sanctus procederet. Præstea subjunxit, quapropter Orientalibus accedo, qui asserunt, Spiritum Sanctum ex Patre, & Filio esse, haud tamen existimo, id Symbolo adjiciendum, sed unionem esse faciendam, retentis Græcorum ritibus. Imperator ad particularem quæstionem non descendit, sed hunc in modum sententiam suam dixit: *Ego præsentem hanc & generalem Synodum nulla ex parte inferiorem existimo omnibus antehac celebratis, igitur pronuntio, me hujus sacræ Synodi constantissime sequi sententiam, quia censeo S. Ecclesiam in sacris dogmatibus mi-*

lo modo posse errare, hoc tamen posito, ut neque sacro nostro Symbolo quicquam addere latini nos cogant, neque ex ritibus nostræ Ecclesiæ aliquid immutetur. Hinc Isidorus Russiæ Archiepiscopus Antiocheni Patriarchæ vices gerens doctrinam Patrum Occidentalium suscipiendam edixit, & Spiritum Sanctum habere esse ex Filio, & Patrem ac Filium unum esse principium Spiritus Sancti. Bessarion Nicænus idem omnino sentiens, longiori etiam oratione suam sententiam comprobavit. Sæcul. XV. A.C.1439.

His nihilominus contradixere Marcus Ephesinus, Dositheus Monembasiensis Episcopus, Patriarchæ Jerosolymitani Vicarius, & Sophronius Anchialensis, qui Filium causſam esse Spiritus Sancti in sensu, quo apud Græcos vox *causſa* pro principio accipi usuvenit, profiteri detrectabant. Sguropulus Magnus Ecclesiarcha, & Historiæ de Concilio Florentino Græco sermone editæ, & a Creygthone Anglo latine redditæ Auctor, eidem sententiæ adstipulatus est, non tamen mentem suam dato suffragio manifestavit. Verum contradicentium numerum longe superavit ceterorum unioni applaudentium frequentia, quos inter non infimi erant Præsules mox a nobis recensiti, omnesque Imperatoriæ aulæ Proceres, excepto solo Principe Demetrio *Sguropul. hist. Conc. Florent.*

Sæcul. XV. A. C. 1439.

trio Imperatoris Germano, qui ab unione alienus sententiam suam pronunciare recusavit. Nihilominus huic concordiæ accesserunt Principum, & Græcorum populorum Oratores, exceptis iis, quos Iberi ablegarunt. Tandem etiam Cyzicenus, Trapezuntinus, Heracleensis, & Monembasiensis, mutata sententia, cæteris adhæserunt. Ergo inter omnes Græciæ Episcopos Marcus Ephesinus, & Sophronius Anchialensis soli sententiam majoris partis amplecti, invicta pertinacia renuerunt.

§. XXII.

Professio fidei Latinis atque Græcis communis.

Conc. Labb. to. 13. part. Conc. Flor. p. 1130

Omnibus hisce ab Imperatore pro futura unione ex animi sententia compositis, communi consilio Græci decreverunt, professionem Fidei duntaxat circa articulum de processione Spiritus Sancti condendam esse. Hæc paucis admodum differt ab illa superius a nobis relata, cujus tenorem impræsentiarum referimus: *In nomine sanctæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, in hac doctrinam sancta ac Deo grata unione eodem sensu, eadem anima, eademque mente nos Latini & Græci consentimus, & concordamus, ut ab omnibus Christianis hæc fidei veritas,* &

& ſuſcipiatur, & ita profitemur, quod Spiritus Sanctus ex Patre & Filio æternaliter eſt, & ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio, & unica ſpiratione procedit, declarantes, quod id, quod ſacri Doctores & Patres dicunt ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc ſignificetur, Filium quoque eſſe ſecundum Græcos quidem cauſſam, ſecundum Latinos vero principium ſubſiſtentiæ Spiritus Sancti, ſicut & Patrem. Et quoniam omnia, quæ Patris ſunt, Pater ipſe unigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem, hoc ipſum, quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ejus Filius a Patre æternaliter habet, a quo etiam æternaliter genitus eſt.

Sæcul. XV. A.C. 1439.

§. XXIII.

Pacta Pontificem inter & Imperatorem Græcorum.

Imperator, prius quam hæc formula ab utraque parte acceptaretur, & propriæ manus ſubſcriptione firmitatem obtineret, de ſubſidiis ſibi neceſſariis cum Pontifice paciſci conſtituit. Quare Ruſſiæ Archiepiſcopum deſtinavit, qui cum Eugenio hac ſuper re conferret. Papa Archiepiſcopum unacum tribus Cardinalibus remiſit, ut Imperatori nomine Eugenii ſequentia promitterent. I. *Beatiſſimus*

Acta Græca Conc. Flor. to. 13. Conc. Labbe p. 486.

Sæcul. XV. A.C. 1439. *Pater in præsenti sumptus tibi dabit, qui sat satis, ac triremes ad reditum totius tui populi, & Orientalis Ecclesiæ Constantinopolim.* II. *Trecentos milites custodiæ urbis, qui Beatissimi Patris sumptibus perpet alentur.* III. *Suis sumptibus triremes du tutamento ejus præsto erunt.* IV. *Hieros lymitana peregrinatio fiet Constantinopol magnæque triremes, quæ navigantes s sepulchri vivifici adorationem vehunt, Co stantinopolim venient.* V. *Cum opus erit Imperatori longæ naves ad subsidium, sum ptibus Papæ dabuntur viginti armatæ p menses sex: si autem velit decem, per annu eas habebit.* VI. *Si opus erit illi terr stris exercitus, & copiæ, Papa sollicite t rabit, ut Christianæ gentes subsidio illi v niant.*

§. XXIV.

Omnes Latinis uniti, excepto Marco Ephesino.

Ibid. p. 487. Pactis hisce utrinque firmatis, Imperator postera die feria quarta, quæ erat tertia mensis Junii, omnes Græcos ad domum Patriarchæ convenire jussit, ubi cuncti in Patriarchæ sententiam iverunt, & ipse eam sequentibus enuntiavit: *Quoniam Latini non ex seipsis, sed ex sacris Scripturis exponunt, processionem Spiritus Sancti esse etiam per Filium, assen-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tior, & illis, & ferendo ſententiam dico; iſtam præpoſitionem, PER, dare Filio cauſſalitatem Spiritus Sancti, & amplector unionem & communionem eorum. Omnes eandem ſententiam amplectebantur profitentes: *Quod Spiritus Sanctus procedat ex Patre & Filio, ut ab uno principio & una ſubſtantia: & procedat per Filium ut connaturalem & conſubſtantialem ex Patre; & ex Filio, ut per unicam ſpirationem & productionem.* Solus Marcus Epheſinus contumax perſtitit, ac proceſſionem Spiritus Sancti a Patre & Filio perfricta fronte pernegans, concordiæ a conſratribus ſuis jamjam concluſæ accedere renuit; quæ ejus pertinacia, quo diuturnior erat, eo graviores turbas, Marco Conſtantinopolim redeunte, ſuſcitavit. Sæcul. XV. A. C. 1439.

§. XXV.

Communi conſenſu utriusque Eccleſiæ unio ſtabilita.

Die quinta menſis Junii hæc fidei definitio in ſcripturam redacta eſt, cujus tria exemplaria confecta fuere, quorum unum ad Pontificem, alterum ad Imperatorem, tertium denique ad Patriarcham Conſtantinopolitanum deſtinabatur, poſtera die ſexta ejusdem menſis primum ad Eugenium & Cardinales pervenit, qui illud gratum, ratumque habuerunt,

Sæcul. XV. A.C. 1439.

buerunt, decretumque, ut illico decem Viri utrinque deligerentur, huic professioni ultimam applicaturi manum; subortа enim erant ob vocem *Per*, nonnulla dubia, brevi tamen sublata, ubi Græci hac super re mentem suam apertius indicarunt, quæ eorum *declaratio* unanimi Latinorum consensu acceptata fuit. Igitur scripta hæc formula a Græcis, Latinisque approbata, die octava ejusdem mensis Junii Græco-Latino sermone concepta, palam perlecta est, cunctis utriusque partis festive applaudentibus, ac cum ingenti communis gaudii significatione in pacis oscula, necnon in mutuos amplexus ruentibus.

§. XXVI.

De reliquis articulis Græcos inter & Latinos controversis actum.

Acta Græca Conc. Flor. p. 490. to. 13. Conc. Labbe

Postridie delecti sunt Metropolitæ, Rhotenus, Nicænus, Trapezuntinus, & Mitylenensis, qui summum Pontificem adirent, ac communis concordiæ nuncium deferrent, quibus Papa respondit, *Nos Dei beneficio sumus conjuncti, & convenimus in præcipuo dogmate, de quo ambigebatur, & nihil est, quod amplius de eo dicamus. Age nunc de Purgatorio quoque igne, & Principatu primæ Sedis, & de fermentato & azymo, deque divino sacrifi-*

cio

cio dubitationem agitemus. Patriarcha, tam salutare unionis negotium, priusquam mors ei oculos occluderet, omnibus numeris absolutum intueri desiderans enixe flagitavit, ut postrema adhuc Sessio celebraretur, in qua utriusque Ecclesiæ consensio solemni decreto sanciretur. Verum pio Seni reponebatur, ad plenam perfectamque unionem requiri, ut etiam in reliquis articulis communis daretur assensus: bono interim animo eum jubebant esse, dicentes de illis brevi futuram optatam quoque sententiam, eoquod Deputati, quos Ferrariæ nominatos sciret, ut controversas hasce quæstiones intra semestre a prima Sessione usque ad secundam excurrens in particularibus Congregationibus discuterent, jamjam potissimam earum partem, præcipue articulum de purgatorio, feliciter absolvissent. Sæcul. XV. A.C.1439.

§. XXVII.

Josephi Patriarchæ Constantinopolitani obitus.

Hanc ob caussam Patriarcha ultimo, quod adeo expetierat, solatio privatus est, ad vesperam eodem adhuc die 9. Junii subitanea morte præventus, postquam pridie ante suum obitum adhuc professionem fidei de processione Spiritus Sancti *Part. II. Conc. Flor. to. 13 p. 1131 Onuphr. in chron. Phranz. l. 1. c. 36.*

Sæcul. XV A.C. 1439

manu sua subscripserat. Historicorum nonnulli eundem die decima ejusdem mensis animam exhalasse referunt. Id tamen certum est, quod post solis occasum in cubile suum secesserit, ac conscriptis ultimæ voluntatis suæ tabulis, acutissimis doloribus correptus, vix emenso unius horæ spatio vitæ finem imposuerit. Hic Anno MCCCCXVI. decedente Euthymio in Patriarcham Constantinopolitanum electus est, unde Onuphrius hallucinatur, cum annum Domini millesimum quadringentesimum vigesimum quartum designat.

§. XXVIII.

Scripta Patriarchæ professio fidei.

Acta Græca Conc. Flor. p. 494. tom. 13. Conc. Labbe.

Cum repentinæ hujus mortis Fama universam urbem pervolaret, omnes Græcorum Prælati confestim ad Patriarchæ domum accurrunt, in ejusque cubili scripturam a se paulo ante confectam reperiunt, atque ultimum, quo sententiam suam declaravit, fidei monumentum publice perlegunt, hisce verbis conceptum: *Joseph miseratione divina Archiepiscopus Constantinopolis novæ Romæ, & Oecumenicus Patriarcha: quoniam ad finem vitæ meæ perveni, soluturus jam communem debitum, Dei gratia scribo & subscribo sententiam*

tentiam meam aperte universitati Filiorum meorum. Omnia igitur, quæ sentit, & quæ dogmatizat Catholica, & Apostolica Ecclesia Domini nostri JEsu Christi senioris Romæ, ipse quoque sentio, & iis me acquiescentem do, ac dico. Profiteor quoque Beatissimum Patrem Patrum, & maximum Pontificem, & Vicarium Domini nostri JEsu Christi, antiquæ Romæ Papam ad certam omnium fidem, necnon purgatorium animarum: in horum quippe fidem scriptum est die mensis Junii nona, millesimo quadringentesimo trigesimo nono, indictione secunda. Fuit autem summi Pontificis jussu cum summo honore, & ampliſſima funeris pompa terræ mandatus in templo Fratrum Dominicanorum, in quorum monasterio vivus diversabatur. Græcorum Prælati ritu suo, interveniente quoque Imperatore, sacris operabantur, cunctis Cardinalibus, omnibusque Latinorum Episcopis has exequias præsentia sua honorantibus. Andreas de S. Cruce epitaphium tumulo ipsius versibus latinis adscriptum refert, quod Maffeo illius ævi Poetæ attribuitur, & in Actis Concilii recensetur.

Sæcul. XV. A.C. 1439.

Conc. Flor. part. II. pag. 1131. apud Spond. hoc an. n. 10.

§. XXIX.

Quæstio de pane azymo discussa.

Justis ita Patriarchæ persolutis actum est cum Græcis de reliquis articulis antea

Conc. Gener. to. 13. p. 1141 & seq.

Sæcul. XV. A.C 1430.

tea propositis, & in prima consultatione quæstio de pane azymo agitari cæpit, Joanne de Turre-cremata hoc super articulo perorante, ac plurimo rationum apparatu comprobante, non minus validum esse consecrare panem azymum, quam fermentatum; imo in hac rei controversia consultius esse, Latinorum consuetudinem sequi, eoquod Christus Dominus in institutione Sacramenti Corporis sui duntaxat azymum adhibuisset panem, quod ipse pluribus testimoniis ex sacro Evangelio petitis ostendit. Græci in eandem sententiam abeuntes conferunt, ut sive panis azymi, sive fermentati æqualis usus esset, dummodo alias consecratio fieret in pane ex tritici granis cocto, nec non a Sacerdote rite ordinato, simulque in loco solemniter consecrato.

§. XXX.

De verbis consecrationis.

Ibid p. 1153. Joannes Turre-cremata in secundo suo sermone ex Patrum testimoniis, validisque rationum momentis docuit, quod per sola Christi Domini verba admirabilis illa substantiæ panis & vini transmutatio in corpus ac sanguinem Christi efficiatur; Nuntiatum enim erat Pontifici, hanc apud Græcos invaluisse sententiam

tiam, quod Eucharistici Sacramenti forma non solum sint illa Christi Domini verba, sed etiam preces illæ, quæ pro invocatione Spiritus Sancti a Sacerdote in Lithurgia recitari solent. Verum Russiæ Metropolita professus est, Græcam Ecclesiam in hoc articulo a Latinis nequaquam dissentire, sed ipsam quoque credere, quod sancta divini sacrificii mysteria per sola Christi Domini verba conficiantur. Sæcul. XV. A.C. 1439.

§. XXXI.

De Purgatorio.

Controversam de Purgatorio quæstionem quod attinet, censuerunt Græci, omnino standum esse illis, quæ jamjam Ferrariæ, antequam Synodi Sessiones fierent, in privatis conventibus agitata, atque concluſa fuissent. Itaque de hoc piaculari carcere fidem suam sic expressere Græci: *Sanctorum animas perfectas in cælis adeptas esse coronam, quatenus animæ sunt: Peccatorum Animas perfecte luere pœnas; Medias autem esse in loco tormentorum credimus, sed sive ignis sit, sive caligo ac turbo, sive quid aliud, non contendimus. Nihilominus in die judicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem.* *Ibid. p. 1231.*

Sæcul. XV. A.C. 1439.

§. XXXII.

De Primatu Papæ.

Pars II. Conc. Flor. tom. 13. pag. 1136. & seq.

Verum articulus de primatu Pontificis pertinaciori longe contentione agitabatur. Imperator quidem haud difficulter consensit, ut summus Pontifex generatim agnosceretur, non vero speciatim in tantum, ut appellationes a definitionibus, atque sententiis aliarum Patriarchalium Sedium ad eum fierent, aut liberum eidem facultas esset celebrandi Synodos Oecumenicas absque Imperatore, & Patriarchis, quorum privilegia in omnibus salva esse petebat. Hac ex caussa Imperator die septima mensis Junii Græcos Prælatos congregari voluit, qui tamen unanimi voce concordiam propterea nullatenus retardandam censuerunt, ac proxima die Dominica Romani Pontificis privilegia examinantes, illa omnino admittenda edixerunt; exceperunt tamen duo mox relata, nimirum, *Ne Pontifex convocet Synodum Oecumenicam sine Imperatore, ac Patriarchis*, & quod si quis a Patriarcharum sententia appellaverit, Papæ integrum non sit, caussam istam ad Romanam Curiam evocare, *sed mittat in Provinciam inquisitores, & ibi per eos in partibus injuriam passi jus suum obtineant.* Verum, cum summus Pontifex utrumque jus suum sibi

sibi salvum peteret, parum abfuit, quin Imperatore discessum meditante, desperatum propemodum fuisset unionis negotium. Nihilominus paucis ex post diebus Græcorum Prælati circa hunc quoque articulum de Pontificis auctoritate in hanc convenere sententiam: *De primatu Papæ; fatemur ipsum summum Pontificem, & procuratorem, locum gerentem, & Vicarium Christi, pastorem, & Doctorem omnium Christianorum, regentem & gubernantem Dei Ecclesiam, salvis privilegiis & juribus Patriarcharum Orientis, & Constantinopolitanum quidem secundum esse post Papam; deinde Alexandrinum, post hunc esse Antiochenum; postremo Hierosolymitanum.*

Sæcul. XV. A. C. 1439.

§. XXXIII.

Græcorum consensus in omnes hosce articulos.

Igitur cum Papa Eugenius & Cardinales huic Græcorum declarationi acquiescerent, communi omnium voce sancitum est, ut postera dies decreto unionis conscribendo consecraretur.

§. XXXIV.

Altercatio de modo conficiendi Decretum.

Verum adhuc alii difficultatum scopuli erant superandi. Primo quippe lis move-

Sæcul. XV. A. C. 1439

movebatur, cujusnam nomen Decreti unionis præfigi deberet: Latini Pontificis nomen præponendum edicebant, Imperator econtra contendebat, hanc sibi prærogativam deberi. Tandem habitis ultro citroque altercationibus res eum in modum composita est, ut nomen Pa exprimeretur, his tamen additis verbis *Consensu Serenissimi Imperatoris, & Patriarchæ Constantinopolitani, cæterorum Patriarcharum.* Altera quæstio concernebat modum, quo Papæ privilegia indicarentur; Latini enim scribi postulabant quod *illa habeat* Pontifex *juxta determinationem Sacræ Scripturæ, & dicta Sanctorum.* Displicuit Imperatori hæc concipiendi forma, exclamans: *An si pro Sanctorum in Epistola honorat Papam, accipiet hoc pro privilegio?* Propter hæc significavit Pontifici, ut vel ista verba corrigeret, vel necessaria ad Græcorum reditum pararet. Papa his verbis commotus inquit: *Qua Imperator affectus molestia hoc dixerit, valde miror,* & missis ad eum Cardinalibus ab eo scisciatus est: *Unde melius possit habere primatum, quam ex scriptis Sanctorum?* Verum Imperator hæc verba minime sibi probari, constanter asserens, illa addi voluit: *juxta tenorem Canonum.* Papa, quamvis ægre admodum, Imperatoris tamen voluntati cessit. Cum autem Archiepiscopus Russiæ, & Bessa-

Acta Græc. Conc. Flor. to. 13. p. 506. Collect. Conc. Labbe.

rion

rion Nicænus anathema in eos, qui huic decreto refragarentur, fulminari postularent, Trapezuntinus Archiepiscopus, & Protosyncellus fortiter obluctati sunt, eorumque sententiæ Imperator quoque accessit. Sæcul. XV. A. C. 1439.

§. XXXV.

Nonnulli ad conficiendam decreti formam nominati.

Tandem post colloquia admodum frequentia, in quibus diffidentium animos in unum cogere, non parvi erat negotii, quædam literarum unionis forma concepta fuit, quæ etiam perlecta demum communi utriusque partis consensu approbata est. Ergo ex tribus illis Synodi Ordinibus quatuor nuncupantur Delegati, qui concordiæ hujus Bullam instruerent. Horum prima classis Cardinales, Metropolitas, & Episcopos, secunda, Ordinum Generales, Abbates, atque Religiosos, tertia demum Doctores, aliosque Ecclesiastica dignitate conspicuos complectebatur. Integro octiduo insudatum est huic operi, cum singulis diebus bina vice in unum convenirent. Denique in Congregatione Generali die quarta Julii Bulla præsentibus summo Pontifice, & Imperatore perlecta, & universali omnium applausu approbata est, quam & biduo post in postrema Latinorum, atque Græ-

Sæcul. XV. A. C. 1439.

Græcorum Seſſione, ſolemni ritu publ candam eſſe decreverunt. Cum vero Pe pa in decreto nihil omnino de conſecra tionis forma apponi voluiſſet, niſi Græ ſe etiam in hoc articulo Latinorum ſe tentiæ accedere publice profiterentur omnes Græciæ Patres, paucis excep adverſa valetudine præpeditis, ad ſumm Pontificis Palatium acceſſerunt, & Be ſarion omnium nomine, præſentibus cae ctis Cardinalibus, aliisque Prælatis fr Congregatis, ejusmodi ſententiæ decla rationem pronuntiavit.

§. XXXVI.

Beſſarionis Nicæni declaratio, Græcorum nomine.

Acta Horatii Juſtiniani Collat 22. num. 9 ex to. 13. Labbe. Conc. p. 1163.

Beatiſſime, & ſanctiſſime Pater, & ve verendiſſimi Cardinales, & omnes qu præſentes reverendiſſimi Domini, & Patres Quoniam in præcedentibus Congregationib inter alias diſcuſſiones de differentiis inter no orta eſt dubitatio de conſecratione divini Sa cramenti Euchariſtiæ, & aliqui ſuſpicati ſun nos & Eccleſiam noſtram non credere illud ſacramentum pretioſiſſimum confici per verb Domini noſtri. Propter hanc cauſſam beatiſſi me Pater, adſumus, ad certificandum San ctitatem veſtram, aliosque Reverendiſſimos Patres, quod ab omnibus S. Doctoribus, ma xime ab illo beato Joanne Chryſoſtomo no

audiverimus, verba Dominica esse, quæ mutant, & transsubstantiant panem illum in corpus Christi, & vinum in sanguinem, & quod divina verba illa Salvatoris omnem virtutem transubstantiationis habent, de necessitate ipsum Doctorem, & eandem suam sententiam sequimur. Præterea Pater beatissime, nec nos ignoramus quatuor requiri in consecratione pretiosissimi, & venerabilis Sacramenti, Primo materiam, quæ debet esse panis triticeus, aut fermentatus, aut azymus, quia in utroque conficitur veraciter, item quod minister sit Sacerdos, qui habeat sacerdotium ab Ecclesia secundum Canones. Item tertio formam, quæ est verba Salvatoris secundum sententiam S. Joannis præfati. Quarto beatissime Pater, intentio Sacerdotis, ut habeat intentionem consecrandi panem sibi propositum & vinum. Hæc breviter, Pater beatissime, de hac quæstione & sufficienter ad certificationem Sanctitatis vestræ & aliorum Patrum diximus, & quod semper Pater sancte fuerimus, & futuri simus in hac sententia, Sanctitatem vestram certissimam reddimus.

Sæcul. XV. A. C. 1439.

§. XXXVII.

Pontificis responsum ad hanc declarationem.

Pontifex, qui attenta aure hanc dogmatis expositionem perceperat, sermone ad Græcos converso paucis, sed gravibus admo-

Sæcul. XV. A.C. 1439.

admodum, atque Pontificia Majestate dignis dixit: *Intellexímus, quæ per venerabilem fratrem nostrum Nicænum dicta sunt: & quamvis in mente nostra non esset aliud, tamen gratum fuit audiisse, quæ relata sunt, quia ista est doctrina sancti Joannis Chrysostomi, & aliorum Sanctorum, qui præcesserunt, & qui secuti sunt: & hanc doctrinam secuta est, & semper sequetur cum gratia Dei sancta Romana Ecclesia: & gratum fuit audire; ut qui aliud existimassent, sint certi de vestra bona opinione.*

§. XXXVIII.

Decima ac ultima Florentinæ Synodi Sessio cum Græcis habita.

Comperta hac Græcorum declaratione unica hæc, qua ratione decretum conficeretur, sollicitudo omnium animos occupabat. Singula illius verba ad Latinam vocata, & tum a Græcis tum a Latinis severe ad trutinam examinata fuere, tandem secundis curis exacte emendatum, ac Græco latinoque Sermone conceptum prodiit: Ergo die lunæ sexta Julii, quæ erat octava dies festi SS. Apostolorum Petri & Pauli; ultima Græcos inter & Latinos celebratæ Synodi habetur Sessio, ad quam omnes in Ecclesia Cathedrali Florentina conveniunt, atque ordine nuper Ferrariæ observato considunt,

id

id tantum si excipias, quod Pontificis so- Sæcul. XV.
lemni ritu Sacrum celebraturi thronus A. C. 1439.
ante Altaris faciem collocatus fuerit. Ceterum universus Reipublicæ Magistratus intervenerat, omnesque non solum Latini, sed & Græci servato dignitatum suarum ordine ad summum Pontificem accesserant, illique profundam reverentiam exhibentes, manum ejus religiosissime deosculabantur. Postea Hymno *Veni Creator Spiritus* ab Imperatoris Musicis concinne decantato, summus Pontifex ritu latino rem divinam fecit, qua absoluta thronum suum ad dextrum Altaris latus positum repetiit, ac Imperator læva ex parte solium suum occupavit, ceterique omnes Præsules sacris vestibus induti, in humilioribus longe scamnis consederunt: Dein a Juliano Cardinale sequens unionis decretum latine primum, postea a Bessarione Niceæ Metropolita Græce perlectum est. En illius tenorem.

§. XXXIX.

Decretum Concilii Florentini de unione Græcorum.

Eugenius Episcopus, Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam, consentiente ad infra scripta carissimo in Christo Filio nostro Joanne Palæologo Romæ Imperatore illustri, & loca tenentibus venerabi- Conc. Labbe tom. 13. p. 510.

Sæcul. XV. A.C. 1439.

lium Fratrum noſtrorum Patriarcharum, & ceteris Orientalem Eccleſiam repræſentantibus. Lætentur cæli & exultet terra: ſublatus eſt enim de medio paries, qui Occidentalem Orientalemque dividebat Eccleſiam, & pax atque concordia rediit, illo angulari lapide Chriſto, qui fecit utraque unum, vinculo fortiſſimo charitatis & pacis utrumque jungente parietem, & perpetuæ unitatis fœdere copulante, ac continente; poſtque longam mœroris nebulam, & diſſidii diuturni atram ingratamque caliginem, ſerenum omnibus optatæ unionis jubar illuxit. Gaudeat & Mater Eccleſia, quæ filios ſuos hactenus invicem diſſidentes, jam videt in unitatem pacemque rediiſſe, & quæ antea in eorum ſeparatione amariſſime flebat, ex ipſorum mutua mira concordia cum ineffabili gaudio omnipotenti Deo gratias referat. Cuncti gratulentur fideles ubique per orbem; & qui Chriſtiano cenſentur nomine, Matri Catholicæ Eccleſiæ collætentur. Ecce enim Occidentales, Orientalesque Patres poſt longiſſimum diſſenſionis atque diſcordiæ tempus, pro maris ac terræ periculis exponentes, omniſque ſuperatis laboribus, ad hoc ſacrum Oecumenicum Concilium, deſiderio ſacratiſſimæ unionis, & antiquæ charitatis redintegrandæ gratia, læti alacresque convenerunt, & intentione ſua nequaquam fruſtrati ſunt. Perſolutis hiſce aliisque gratiarum actionibus, decretum proſequitur:

Con-

Sæcul. XV. A. C. 1439.

Convenientes Latini ac Græci in hac sacrosancta Oecumenica Synodo, magno studio invicem usi sunt, ut inter alia etiam articulus ille de divina Spiritus sancti processione summa cum diligentia & assidua inquisitione discuteretur. Prolatis vero testimoniis ex divinis Scripturis, plurimisque auctoritatibus sanctorum Doctorum Orientalium & Occidentalium aliquibus quidem ex Patre & Filio, quibusdam vero ex Patre per Filium, procedere dicentibus Spiritum sanctum, & ad eandem intelligentiam aspicientibus omnibus sub diversis vocabulis, Græci quidem asseruerunt, quod id, quod dicunt Spiritum sanctum ex Patre procedere, non hac mente proferunt, ut excludant Filium, sed quia eis videbatur (ut ajunt) Latinos asserere Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere tanquam ex duobus principiis, & duabus spirationibus, ideo abstinuerunt a dicendo, quod Spiritus sanctus a Patre procedat & Filio. Latini vero affirmarunt, non se hac mente dicere, Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere, ut excludant Patrem, quin sit fons ac principium totius Deitatis, Filii scilicet ac Spiritus sancti aut quod id, quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, Filius a Patre non habeat; sive quod duo ponant esse principia seu duas spirationes, sed unum tantum asserant esse principium, unicamque spirationem Spiritus sancti, prout hactenus asseruerunt. Et cum ex his omnibus unus, & idem eliciatur veri-

Sæcul. XV. A.C. 1439.

tatis ſenſus, tandem in infra ſcriptam ſanctam, & Deo amabilem eodem ſenſu, eademque mente unionem unanimiter concordarunt, & conſenſerunt.

In nomine igitur ſanctæ Trinitatis, Patris & Filii, & Spiritus ſancti, hoc ſacro univerſali approbante Florentino Concilio definimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus Chriſtianis credatur, & ſuſcipiatur, ſicque omnes profiteantur, quod Spiritus ſanctus ex Patre & Filio æternaliter eſt, & eſſentiam ſuam ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre, ſimul & Filio, & ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio & unica ſpiratione procedit. Declarantes, quod id, quod ſancti Doctores & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum ſanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc ſignificetur, Filium quoque eſſe ſecundum Græcos quidem cauſſam, ſecundum Latinos vero principium ſubſiſtentiæ Spiritus ſancti, ſicut & Patrem. Et quoniam omnia, quæ Patris ſunt, Pater ipſe unigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem, hoc ipſum quod Spiritus ſanctus procedit ex Filio, ipſe Filius a Patre æternaliter habet, a quo etiam æternaliter genitus eſt. Definimus inſuper, explicationem verborum illorum, Filioque veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſſitate, licite ac rationabiliter ſymbolo fuiſſe appoſitam.

Item,

Sæcul. XV. A. C. 1439.

Item, in azymo sive fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem. Item, si vere pœnitentes in Dei charitate decesserint antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint & omissis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari, & ut a pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesiæ instituta; illorumque animas, qui post Baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus (prout superius dictum est) sunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum trinum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius: Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, aut solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.

Item, definimus sanctam Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium,

Sæcul. XV. A. C. 1439.

totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere; & ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro JEsu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur. Renovantes insuper ordinem traditum in Canonibus ceterorum venerabilium Patriarcharum, ut Patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Romanum Pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, & quintus Hierosolymitanus; salvis videlicet privilegiis omnibus, & juribus eorum. Datum Florentiæ in Sessione publica Synodali solemniter in Ecclesia majori celebrata, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo tricesimo nono pridie Nonas Julii (id est sexta) Pontificatus nostri anno nono. Ceterorum omnium primus ipse summus Pontifex subscriptus legitur.

§. XL.

Decreti unionis subscriptio.

In actis hujus Concilii summi Pontificis subscriptio præmittitur, dein Latinorum nomina leguntur, nempe, octo Cardinales, ex quibus quatuor erant Presbyteri Cardinales tit. S. Crucis; tit. S. Clementis; tit. S. Marci; & tit. S. Sabinæ,

qui erat Cardinalis Julianus; item Cardinalis de Bononia Oſtienſis Epiſcopus; Cardinalis Placentinus, Epiſcopus Portuenſis, Proſper Columna Cardinalis Diaconus tit. S. Georgii ad velum aureum, & alius quidam pariter Cardinalis Diaconus tit. S. Mariæ in via lata. Præter hos ex Latinis ſubſcripſerunt duo Patriarchæ, ſcilicet Hieroſolymitanus, & Gradenſis, duo Epiſcopi Burgundiæ Ducis Oratores, & octo Archiepiſcopi præter quadraginta ſeptem Epiſcopos, quos inter numerabantur nonnulli necdum conſecrati: Poſt illos quatuor Generales ordinum, Abbates quadraginta & unus, necnon Archidiaconus Trecenſis, qui dicti Burgundiæ Ducis Legatus erat. Ob id vero haud plures ſubſcripti leguntur, quia a Seſſione, quæ die vigeſima quarta Maji habita eſt, integrum trimeſtre cum dimidio præterlapſum fuerat, quin hoc decretum publica ceterorum ſubſcriptione munire-tur, quo intervallo Latinorum plurimi jamjam Florentia diſceſſerant. Sæcul. XV. A. C. 1439.

Græco autem auctographo ſubſcripti numerantur ſequentes, & quidem omnium primus nomen ſuum appoſuit Joannes Palæologus Imperator, quem Patriarcharum Vicarii ſequebantur, & præ ceteris Archiepiſcopus Heracleenſis, & Protoſyncellus Patriarchæ Alexandrini locum tenentes; Conſtantinopolitanus enim

Sæcul. XV. A. C. 1439.

Patriarcha jamjam mortem obierat: denique Archiepiscopus Russiæ Patriarchæ Antiocheni, & Archiepiscopus Monembasiensis Hierosolymitani Patriarchæ Vicarii; item Metropolita Cyzizi tam suo, quam Ancyrani nomine; Trapezuntinus Metropolita itidem proprio, & Cæsariensis nomine; Bessarion Nicænus pro se, & pro Metropolita Sardium; Nicomediensis, Tornobiensis, & Mitylenensis Episcopi, quorum ultimus Sidensis quoque locum supplevit; Metropolita etiam Mardoblechiensis suo, & Sebastiensis Episcopi nomine, item Amasiæ, Rhodi, & tandem Distrensis, Gannensis, Melenicensis, Dramensis, & Anchialiensis, omnes Episcopi, uti & magnus Scevophylax, magnus Chartophylax, magnus Ecclesiarcha, primarius Judex, & Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archipresbyter unacum Regii Monasterii in monte sancto Ecclesiarcha, & quatuor Abbatibus. Itaque cum omnes tam Græci, quam Latini decretum unionis signassent, manum Pontificis reverenti osculo venerati sunt, ac mutuis amplexibus se invicem consalutarunt omnes, pacis, ac perfectæ inter utramque Ecclesiam concordiæ velut perennaturum monumentum erigentes.

§. XLI.

§. XLI.

Secul. XV. A. C. 1439.

Imperatoris postulatio de danda Græcis facultate publice sacra faciendi.

Absoluta Decreti subscriptione, Imperator postera die Papam rogabat, ut sacrum Sacrificium in eadem Ecclesia celebrandum Græcis concedat, assistente ipso Pontifice, Cardinalibus, ac Præsulibus Latinis. Papa missis ad Imperatorem Cardinalibus, quanam Lithurgia uterentur, edoceri voluit; Cum vero illam Archiepiscopus Rhodius eis exposuisset, hi totam rituum rationem ad Pontificem referunt, qui, priusquam publice sacris operari græcis permitteret, aut ipsemet Papa eorum Sacrificio præsens interesset, consultius fore judicabat, si ex cujusdam Græci Sacerdotis Missa privatim, & juxta eorum ritum celebrata certius caperetur experimentum, utrum in eorum Liturgiis, quod offendere posset, quicquam occurrat. Græcorum Imperator comperto Pontificis responso sibi ab Oratoribus delato aquievit, nec amplius petitioni suæ institit.

§. XLII.

Quæstiones Imperatori Græcorum a Papa propositæ.

Pontifex apud Imperatorem plures alias,

Sæcul. XV. A. C. 1439.

quæ Græcorum Liturgiam respiciebant, movit quæstiones. Inter alia scisscitabatur, cur Orientalis Ecclesiæ Sacerdotes *panem postea offerendum in plures tum majores tum minores particulas dividant*, easque in oblatione pani divino ac Dominico, seu majori, quam in memoriam Domini offerunt, particulæ conjungant: *Quare incidunt capita, cum nondum consecrata deferunt sacra munera? Cur in sacrum Calicem aquam ferventem infundant? Quam ob causam Episcopi non inungant sacro Chrismate, sed Sacerdotes, cum tamen hoc Pontificibus sit reservatum? Quare mortuos non sepulturam oleo inungant? Cur Sacerdotes & Episcopi sacrum facturi, non prius confessionem emittant?* Quare post Consecrationis verba hanc subjungant orationem: *Fac panem quidem hunc pretiosum Corpus Christi tui: & transmutans ea Spiritu sancto tuo, Amen, Amen, Amen? Cur connubia dirimant? & tandem qua de causa non eligant hic Patriarcham, sed velint absque fine capite.*

Archiepiscopus Mitylenensis ad Papam destinatus *canonice omnia legitima dissolvit, præterquam duo, cur scilicet Matrimonia dirimantur, & Patriarcha non obtineatur.* Quid vero Præsul iste ad propositas quæstiones responderit, acta silent. Exstat tamen egregium ac longe utilissimum opus Petri Arcudii Presbyteri Con-

cyræi

cyræi: *De concordia Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis in septem Sacramentorum administratione*, ex quo plura perspicere licet. Sæcul. XV. A. C. 1439.

§. XLIII.

Sententia Græcorum de conjugiis.

De dissolutione Matrimonii tunc Græci nihil respondere poterant, nisi *quod matrimonia absque justis caussis non dirimant:* cum tamen præcipua controversia in eo versaretur, quod Græci existimarent, licitum esse matrimonium in caussa adulterii non modo dirimere, sed & novum contrahere: Latini vero propugnarent, conjugium quidem ob hoc crimen *quoad thorum, & cohabitationem*, ut Theologi loquuntur, non autem *quoad vinculum* dissolvi posse, ac proin nec ad alias nuptias transire permissum. Cujus doctrinæ veritatem idem Arcudius ex ipsis antiquorum tum Græcorum, tum Latinorum Patrum auctoritatibus invicte demonstrat. Insuper apud Ruardum Taperum insignem Lovaniensem Theologum legimus, Græcos sacræ paginæ testimoniis ad id demum fuisse in Synodo compulsos, ut Confirmationem vere esse Sacramentum agnoscerent, quod eos antea negasse idem asserit. Verum hac de re nulla omnino mentio in Actis Synodalibus occurrit. *Taper to. 2. art. 12. de Confirm.*

Post-

Sæcul. XV. A.C. 1439.

Posthæc Pontifex postulabat, ut Marcus Ephesinus ad allegandas suæ a Concilio separationis causas adigeretur, ejusque inobedientia debita animadversione coerceretur. Præterea idem Imperatori atque Prælatis exponebat, hanc illius temeritatem esse summam, quam nulla unquam Oecumenica Synodus toleraisset; præcipue vero Nicænum Concilium olim severe castigasset, dum Eusebium Nicomediensem, & Theognium Nicænum condemnatos, atque ab Imperatore Constantino punitos Synodus exauctorarat, eoquod condemnationis sententiæ in Arium latæ cum ceteris Patribus subscribere renuissent: minus toleranda est, subjunxit Papa, hujus Viri pervicacia, qui solus universali Synodo insultare præsumit, *quasi ceteris omnibus nobis sapientior esset, quem tamen scimus sæpe in disputationibus hæsisse, nec valuisse respondere ad ea, quæ Frater Joannes Dominicanorum Provincialis ab illo quærebat.* His auditis Græcorum Episcopi confestim inter se congressum cogebant, & Marcum Ephesinum in jus vocandum decernebant, ut pertinaciæ suæ, qua Synodo subscribere recusavit, rationem redderet, maximeque cum ipsum Concilium omnes, qui sese eidem submittere recusaverint, *ipso facto* excommunicatos declarasset.

Plusiad. apud Allat. lib. 3. cap. 1.

§. XLIV.

Sæcul. XV. A.C.1439.

§. XLIV.

Imperatoris petitum de puniendo Marco Ephesino.

Marcus Ephesinus hac citationis sententia velut fulmine ictus, ac exauctorationis suæ pœnam veritus, Imperatori supplex, ac lacrimis perfusus accidit, rogans, ut sibi induciæ concederentur, atque ætatis suæ decrepitæ ratio haberetur, nec Cæsar famam, suique nominis honorem publicæ ignominiæ exponi pateretur, præcipue coram universo Latinorum cœtu, qui sibi insolentius illuderent, si adeo probrose palinodiam canere cogeretur. Imperator alienæ miseriæ compati suetus, Marci fletibus se vinci passus est, rogavitque Episcopos, ut ejusdem verecundiæ parcerent, de cetero certi sint, se simul ac Constantinopolin redierit, auctorem fore, ut cum reliquis & ipse Marcus unionis decretum manu sua firmare compellatur. Verum dicta non probavit eventus.

§. XLV.

Papæ consilium de eligendo Græcorum Patriarcha.

Pontifex ardentius præ ceteris Græcos stimulabat, ut antequam discederent, in locum Josephi fatis functi, quemcunque vellent, Constantinopolis Patriarcham eligerent, quem ipse confirmare, atque

Secul. XV. A.C. 1439.

atque ad Patriarchalem ſedem ſuam redeuntem largo ac liberali viatico inſtruere vellet. Spondebat etiam, ſe illius, qui ex Latinis hucusque hujus Patriarchatus titulum habuiſſet, nomen, dignitatemque abrogaturum, adeo, ut deinceps nonniſi unicus eſſet, qui ejusmodi frueretur prærogativa.

§. XLVI.

Græcorum repulſa.

Conſtanter autem Imperator, ceteriqui Græci conſentire renuebant, cauſati, quod moris apud ipſos eſſet, Patriarcham Conſtantinopoli eligi, & juxta Ecclesiæ ſuæ conſuetudinem conſecrari. Nihilominus Græci ultro Pontificis nomen, quamvis minime ab eo rogati eſſent, ſuis dyptichis inſeri juſſerunt, ſaltem hac ex parte quodammodo Papam ſibi devinctum.

§. XLVII.

Græcorum preces Pontifici factæ pro Eccleſiis ſibi reſtituendis.

Idem rogarunt Papam, ut Eccleſias eorum Imperio ac poteſtati obnoxias, quas in Creta, Corcyra, aliisque Inſulis ſitas Latinorum Archiepiſcopi ſibi vendicaverant, ipſis reſtitueret, atque Latinis Præſulibus, qui hiſce Eccleſiis præeſſent, de aliis præbendis provideret, ne Græci ſuæ nationis Viros illis præficere impedirent.

direntur. Verum in reſponſis tulerunt, quod non deceat, Latinos ab Eccleſiis, in quarum poſſeſſione verſarentur, deturbari, nihilque in præſenti rerum articulo innovari poſſit. Nihilo ſecius Pontifex pollicitus eſt Græcis, quod poſſeſſio in illis Eccleſiis, quarum cura hactenus duobus nempe Græco ſimul ac Latino concredita erat, decedente prius Latino, ſoli Græco aſſerta maneret, nec alii, quam Græcæ nationis Viri, Latinis ſuccederent; ſi vero prior fatis cederet Græcus, Eccleſiæ regimen ſoli Latino relinqueretur, eoque demortuo ad ejusmodi Eccleſiam Epiſcopi electio perpetuo jure ad Romanum Pontificem devoluta cenſeretur. His concordatis acquieſcere compulſi ſunt Græci. Sæcul. XV. A.C.1439.

Rebus ita compoſitis, Pontificis juſſu quinque conſcripta fuere Decreti unionis tranſumpta, græco-latino idiomate concepta, & utriusque Eccleſiæ Patrum ſubſcriptionibus munita, quorum unum Græcis, alterum Latinis datum, tria vero, quæ ſupererant, Patriarchis fuere transmiſſa. Hæc geſta ſunt die vigeſima prima Julii. Pontifex ad omnes Principes literas perſcripſit, quibus eos de prædicta unione, atque concordia certiores reddidit, & ad communem lætitiam de tam proſpero eventu excitavit; necnon immortales Deo gratias rependit, in tam amplos laudum titulos

To.13. Conc. Gen. part.3. p.1182.

Sæcul. XV. A.C. 1439.

titulos effusus, quo solemnioribus vix ullus quam publici gaudii ubertas universo orbi nota fieri potuisset.

§. XLVIII.

Armenorum Legati Florentiæ.

Conc. Gen. Labbe to. 13. p. 527.

Fere in immensum crevit omnium jubilus, atque lætitia, cum adveniret etiam quatuor Constantini Armenorum Patriarchæ Legati, quos Eugenius æque ac ceteros omnes ad Synodum Oecumenicam vocaverat. Huic gaudio complementum addidit adventus Oratorum, quos Jacobitarum Patriarcha, necnon Æthiopiæ Imperator miserunt; Hi enim omnes Ecclesiæ Romanæ unionem quærebant. Harum Legationum successum in historiæ nostræ progressu memorabimus.

§. XLIX.

Imperator Græcorum Venetias profectus.

Interea temporis Imperator Græcorum cum suis Prælatis reditum in Patriam anhelans, subsidia ad singulos menses debita sibi exsolvi petebat, quæ etiam non liberalius, quam promptius numerata fuere. His igitur ad vota impetratis, omnes summum Pontificem accedebant, abeundi veniam petituri, quos Eugenius munificen-

nificentia tanto Principe ac animi sui celsitudine digna longe pluribus donis auxit, quam ex pacto promissa fuere. Ergo Imperator die vigesima sexta Augusti Florentia discessit, comitantibus eum tribus Cardinalibus, atque innumeris Prælatis, qui se eidem itineris socios usque ad Reipublicæ terminos adjunxerunt. Inde sexta Septembris die Venetias abiit, ubi Græci in quadam Latinorum Ecclesia ritu solemni sacra celebrabant mysteria, quod tamen Florentiæ ipsis denegatum erat. Venetiis aliquamdiu commorati, primum die undecima Octobris instructas conscenderunt triremes, Constantinopolim redituri, quam tamen urbem nonnisi die prima Februarii anni proximi ingressi sunt.

Sæcul. XV. A.C. 1439

§. L.

Continuatio Synodi Basileensis.

Basileenses Synodum suam adhucdum prosequebantur, consentientibus Imperatore, Galliarum Rege, aliisque Principibus, qui Concilii translationem ad urbem Ferrariensem minus gratam, ratamque habuere, nec, excepto Burgundiæ Duce, Legatos suos Florentiam miserunt; nihilominus tamen Basileensium decreta adversus Eugenium condita acceptare renuerunt; immota enim ac in-

Sæcul. XV. A. C. 1439

violabili fide eundem tanquam verum ac ſummum Pontificem venerati ſunt, ita tamen, ut nec Eugenio, nec Baſileenſibus plene adhærerent.

Vide ſup. lib. CVII. §. 108. & 109.

§. LI.

Comitia Principum Germaniæ, Moguntiæ celebrata.

Cum ea, quæ in Norimbergenſi conventu Anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo octavo concluſa fuere, nec Eugenio Pontifici, nec Baſileenſibus probarentur, totius negotii deciſio ad proxima Principum Germaniæ comitia Francofordiæ celebranda prorogata hebatur. Verum cum graſſantis peſtilentiæ vis hunc quoque conventum prepediret, comitia non niſi hoc anno menſe Martio Moguntiæ coacta fuere, ad quæ Baſileenſes ſuos quoque deſtinarunt Legatos, quos ampla facultate ſecretisque mandatis inſtruxerunt, dato negotio, ut ea ad effectum haud deducerent, niſi prævium Principum beneplacitum illis plenius ſuffragaretur. Ibidem Ludovicus Patriarcha Aquilejenſis hujus Legationis Princeps a Baſileenſibus miſſus, prærogativa Legati a latere muniebatur, omnemque auctoritatem alias Legatis concedi ſolitam prætendebat.

Ex

Ex Augustini Patricii actis discimus, quod solemni huic Moguntino cœtui Basileensium quoque Oratores interfuerint, nec non Cardinalis S. Petri ad vincula, & Trevirensis, Colonienſis, ac Moguntinus Archiepiscopi, sacrique Romani imperii Electores cum tribus aliis Germaniæ Episcopis. Ex iisdem etiam Actis liquet, quod Turonensis Archipræsul, & Trecensis Episcopus, necnon Legati ab Alberto Imperatore, Galliarum Rege, Mediolanensi Duce, pluribusque aliis Germaniæ Principibus missi præter Conchensem Episcopum Hispaniæ, seu Castellæ Regis Oratorem præsentia sua hunc conventum honoraverint. In eo habebantur plura colloquia, in quibus Principes a Basileensium Deputatis, ut adversus Eugenium Papam judicii acta prosequi cessarent, aut Concilii locum mutari consentirent, nullatenus impetrare poterant. Observat insuper idem Scriptor, nonnullos Pontificis nomine huic conventui clam interveniſſe, atque inter ceteros facile principem extitisse Nicolaum Cusanum, qui Eugenii innocentiam strenue defendit, ac Basileensium conventum nequaquam Oecumenicam esse Synodum, palam pronuntiavit.

Sæcul. XV. A.C. 1439.

Acta Patricii hist. Conc. Basil. tom. 13. cont. p. 1565.

Sæcul. XV. A. C. 1439.

§. LII.

Synodi decreta, exceptis iis, quæ contra Papam sancita sunt, recepta.

Post varias, plurimasque contentiones tandem visum est Principibus Moguntiæ congregatis, decreta Concilii in sua quoque Natione esse recipienda, exceptis tamen illis, quæ adversus Eugenium Papam condita fuissent: vicissim Basileensium Deputati operam se daturos polliebantur, ut Eugenius Imperatoris, Regum, ac Principum votis satisfaceret, hac tamen lege, ut & ipsi interpositæ fide, & auctoritate sua Concilium sub eadem norma, iisdem legibus, ordine, ac ritibus, prout hactenus Basileæ inchoatum esset, etiam post illius translationem continuandum urgerent; sique Eugenius intra præstitutam sibi temporis moram veritates a Concilio stabilitas ratihaberet renueret, nec illius statutis acquiesceret, omnes Principes abdicata ejus obedientia Synodum foverent, illiusque judicio starent. Hæc omnia die vigesima sexta Mensis Martii Moguntiæ actitata fuere, diserte tamen Conchensis Episcopus protestabatur, ejusmodi conditiones nec a summo Pontifice acceptari posse, nec unquam Germaniæ Principes illis

illis consensuros. Quapropter Basileen- Sæcul. XV.
sium Deputati, cum in principali Lega- A.C.1439.
tionis suæ negotio nihil omnino obtinere possent, re infecta discedere cogebantur. His abeuntibus duo, quos Pontificis Legati ablegarunt, Moguntiam adveniebant, atque, ut Principes suam de recipiendis Synodi decretis sententiam revocarent, omni opera ac studio connitebantur: sed optati successus spe frustrati, de Principum favore, quo Basileenses non sine Pontificiæ auctoritatis præjudicio prosequerentur, vehementer conquesti sunt, palam profitentes, talia, inaudito summo Pontifice, attentari non debuisse.

§. LIII.

De Judicio Westphaliæ.

Sub idem tempus Albertus Imperator datis ad Basileenses literis eos hortabatur, ut causam quamdam profanam ad *Judicium Westphaliæ*, quod *secretum* appellabant, remitterent. Hoc tribunal a Carolo Magno ideo institutum tradunt, ut Saxones tunc gentem adhuc barbaram ac ferocem, necnon cædibus, latrociniis, crebrisque seditionibus assuetam in officio contineret. Progressu temporis Imperatores istud judicium tanti fecerunt, ut ab illo provocantes ferme nun- *Acta Patric. l.cit. p.1566.*

Sæcul. XV. A. C. 1439.

quam audierint. In eo tamen tribunali etiam non vocati damnabantur, quo ritu vero id contigerit, haud ingratum erit percipere. Igitur cum aliquis de crimine quopiam ad judicium deferretur, in medio aulæ, ubi congregati sedebant Judices, quædam extendebatur chorda, quam illi, qui reum censebant necandum, extrema digiti parte tangebant, & ut hoc modo capitis damnatus id, quod gestum, nesciret, altum apud omnes silentium servabatur. Si vero hic uni ex hisce Judicibus, qui incogniti erant, obviam occurrebat, absque alia juris forma extremo supplicio mulctandus decernebatur, a præfato Judice virga leviter percutiebatur, adjectis his verbis: *Et alibi ita homo comeditur panis, uti hic.* His peractis ubicunque damnatus reperiebatur impune suspendi poterat. Illi, qui hoc Judicio præerant, *Scabini* dicebantur, qui jurisdictionem suam per universam Germaniam exercebant, nec unquam repertus fuit, qui Judiciorum arcana revelasset. Verum hoc judicium paulatim in corruptelas, & injustas vexationes degeneravit, cum interdum homines obscuris natalibus orti ad illud admitterentur, & negotia quoque civilia tractare auderent, quibus tamen solum de criminalibus permissa erat potestas. Ex his igitur Judicibus cum abusibus contigit, ut Fridericus III. Impe-

Imperator Alberti Succeſſor in comitiis Francofordienſibus anno Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſecundo ſtatueret, ut hæc *Judicia ſecreta* nonniſi honeſtis, probis, atque peritis hominibus committerentur, qui haud aliter in judicando procederent, quam juxta antiquam Caroli magni ſanctionem.

Sæcul. XV. A.C. 1439.

§. LIV.

Baſileenſium attentata in Eugenium Papam.

Dum interea Moguntiæ præfati cætus agebantur, inter Patres Baſileæ congregatos ſuborta eſt quæſtio: utrum Eugenius Papa ex eo, quod Synodo non obediret, & Eccleſiæ decreta contemneret, hæreticus declarari poſſet. Varia erat ſuffragantium opinio, aliis id omnino negantibus, affirmantibus aliis, quos inter nonnulli Eugenium hæreticum, alii etiam relapſum dicebant. Tandem vero multis ultro citroque diſputatis circa medium menſis Aprilis octo concluſiones Theologicæ propoſitæ ſunt, quæ his verbis conceptæ erant.

Sæcul. XV.
A.C. 1439.

§. LV.

Octo Propositiones a Basileensibus divulgatæ.

Æn. Sylv. l. 1. de gestis Basil. Conc. in Fascic. p. 4.

I. *Veritas est Catholicæ fidei, sacrum generale Concilium supra Papam, & alium quemvis potestatem habere.*

II. *Generale Concilium legitime congregatum sine ipsius consensu, nec dissolvere, nec transferre, nec prorogare ad tempus ex auctoritate sua potest Romanus Pontifex, idque veritatis ejusdem est.*

III. *Qui pertinaciter his veritatibus se opponit, hæreticus est censendus.*

IV. *Has veritates Eugenius Papa IV. oppugnavit, cum primo ex plenitudine potestatis Apostolicæ Basileense Concilium dissolvere, sive transferre attentavit.*

V. *Errores his veritatibus repugnantes monitus tandem per sacrum Concilium Eugenius revocavit.*

VI. *Dissolutio sive translatio per Eugenium secundum attentata prædictis est obvia veritatibus, inexcusabilemque circa fidem errorem continet.*

VII. *Eugenius iterato dissolvere, seu transferre Concilium tentans in revocatos errores prolabitur.*

VIII. *Commonitus per Synodum Eugenius, ut dissolutionem sive translationem secundo attentatam revocaret, post declaratam contu-*

contumaciam in rebellione perſiſtens, Ferra- Sæcul. XV.
riæque conciliabulum erigens, ſeipſum perti- A.C.1439.
nacem declarat.

§. LVI.

Hæc aſſerta a Panormitano oppugnata, & Eugenius ab eodem defenſus.

Hæ octo propoſitiones ita concinnatæ pleno in conſeſſu perlegebantur, præſentibus cunctis, qui Baſileæ congregati erant. Poſtquam omnes ut viritim ſuam edicerent ſententiam, rogati fuerant, potior eorum pars easdem calculo ſuo approbare aggrediebatur, cum ecce! ſubito conſurgit Archiepiſcopus Panormitanus, poſt accerrimus Eugenii Papæ hoſtis: Iſte hæc principia graviſſimis rationum momentis impugnavit, & cum in prima Synodi diſſolutione pro illius auctoritate ſtetiſſet, jam in hac poſtrema pro Eugenio Papa agmen duxit, eumque ob ſpreta Baſileenſis Synodi decreta nequaquam hæreticum eſſe, invicte demonſtravit. Hunc præter reliquos ſuos Oratores Alphonſus Arragoniæ & Siciliæ Rex ea tantum de cauſſa Baſileam deſtinaverat, ut omni via ac ſtudio Eugenium Papam defenderet. Burgenſis quoque Epiſcopus Pontificis partes tuendas ſuſcepit, aliquibus tamen duntaxat concluſionibus *Æn. Sylv. loc. cit. p. 4.*

Sæcul. XV. A. C. 1439.

sese opponens: cum enim harum tres priores quæstionem juris, reliquæ vero factum, & Eugenii Personam tangerent, ille omni nisu has posteriores utpote Pontifici injuriosas confutavit. Cuncta illa fuere agitata in quadam Congregatione, in qua præside Cardinale Arelatensi, Nicolaus Amici Parisiensis Theologus suffragia collegit, & Joannes Dienlisist relatione Scotus Secretarii munere functus est. Equidem Panormitanus in sua Oratione, cujus summam Æneas Sylvius recitat, Synodum Papa esse superiorem asserebat, ejusmodi tamen doctrinam ab fidei dogma extolli posse omnino negabat. *Quod si forsitan, inquit, in prima dissolutione peccasset Eugenius,* nequaquam tamen adversus ipsum tanquam hæreticum procedi posset. Ejus orationem laudatam magis, quam approbatam, ab tamen efficaciæ habuisse testatur Sylvius, ut postea verbum *Relapsum* ex conclusionibus tolleretur, in ejus locum substituta voce, *Prolapsum.*

§. LVII.

Joannes Segovienſis Panormitanum confutare conatus.

Panormitani orationem Joannes Segovienſis Theologus longe peritiſſimus ex Collegio Salmanticenſi confutandam ſuſce-

Sæcul. XV. A.C.1439.

fuscepit. Hic multa sermonis concinnitate, atque animi modestia ostendit, quod nihil validius adversariorum suorum causam pessumdaret, quam ipsa Panormitani argumenta. Nam si,' inquiebat ipse, ea, quæ ex decretis, & declarationibus Ecclesiæ elicitur, ad fidei articulos pertinent, manifestum est, Eugenium Papam in fidem Catholicam peccasse, eoquod Ecclesiæ leges transgressus esset, necnon jugum obedientiæ Concilio Constantiensi debitæ excussisset, illiusque decreta toties in Basileensi Synodo inculcata spreviſſet. Talia loquentem Panormitanus subinde interpellabat, ægre ferens suæ causſæ præjudicatum iri, sed Joannes Segovienſis nihil motus verba facere perrexit. Eidem quidam Episcopus auxilio fuit, sed tanta verborum asperitate, ut ad probra ac convitia ventum fuerit, de quibus veniam petere compulsus est. *Æn. Sylv. loc. cit. p. 6.*

Postero die habita est Congregatio Generalis, in qua Amadæus Lugdunensis Archiepiscopus, Regis Francorum Orator, postquam Eugenium esse hæreticum pluribus rationibus comprobavit, amare conquestus est, illorumque ignaviam, qui talem Virum Pontificio solio præfecerant, detestatus in exaggerandis Ecclesiæ calamitatibus tempus absumpsit. Ex adverso Burgensis Episcopus Regis Arragonum Eleemosynarius Euge-

nii,

Sæcul. XV. A.C. 1439.

nii innocentiam vindicare aggressus præfatas conclusiones in generales, ac particulares divisit, & harum tres primas rara eloquentiæ ubertate explanans, earum veritatem minime dubiam esse comprobavit, dummodo in canonem Articulorum fidei non referantur; illam enim adjectionem, quæ fidei faceret mentionem, sibi omnino dubiam videri asseruit. Dein prolixa admodum oratione ostendit, Synodum Pontifice superiorem esse, idque tam ex divino, quam humano jure demonstrare conatus, demum in argumenti sui confirmationem pro illius ævi more ipsum quoque Aristotelem adduxit. Verbo: tanta eruditionis amplitudine, tamque limato sermone peroravit, ut omnis omnium in se aures, animosque suspensos haberet. Ast cum declamare pergeret, tandemque sermonem ad postremas quoque quinque conclusiones converteret, eloquentiam siccioribus jamjam venis profluere, & rationum suarum robur vix non deficere videbatur; ita totus a se ipso degenerabat, ut omnes jam alium a Burgensi Episcopo perorantem sese audire existimarent.

§. LVIII.

Sæcul. XV.
A.C. 1439.

§. LVIII.

Thomæ de Corſellis oratio contra Eugenium Papam.

Lugdunenſis Archiepiſcopi ſententiam Abbas quidam natione Scotus, ſubtilis ingenii Vir; necnon Thomas de Corſellis Ambianenſis Canonicus roborare, atque Baſileenſium concluſiones propugnare aggreſſi ſunt; verum hos Burgenſis Epiſcopus pluribus objectis difficultatibus repreſſit. Æneas Sylvius Doctoris de Corſellis orationem copioſius recitat, ejusque modeſtiam non minus, ac ſcientiam plurimum commendat. In illa Thomas oſtendere conatus eſt, Papam ſubeſſe Concilio & Eccleſiæ, eoquod hæc errandi neſcia, ille autem erroris periculo expoſitus, illa Mater, hic Filius, Sponſa Chriſti illa, hic duntaxat illius Vicarius foret. Dein illa Evangelii verba explicabat: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Matth. c. 16. v. 18.* Ea vero Lucæ verba c. 22. v. 32. *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua,* de Eccleſia intelligenda eſſe, eoquod S. Petrus omnes ceteros Apoſtolos repræſentaret, nec privilegia, quæ Apoſtolorum Principi conceſſa fuiſſent.

Sæcul. XV. A.C. 1439.

sent, aliter data credi oporteret, quam quatenus universalis Ecclesiæ personam exhiberet, quem etiam ad Ecclesiam remisisset Dominus, cum dixit: *Dic Ecclesiæ*. Inde concludit, quod Papa, si Ecclesiam non audierit, tanquam Ethnicus & publicanus haberi debeat, illi vero, qui secus sentirent, aut quod Ecclesiæ competit, Concilio generali non æque convenire assererent, talia vel vanæ gloriæ vel præmiorum expectatione, & ambitionis excæcatione, adulatorie enuntiant, non tam ignorantiæ, quam pertinaciæ stimulis ad velitandum adacti, magisque verbosi, quam eloquentes. In reliqua totius sermonis sui parte, quam longa protraxerat, totus in eo erat, ut Concilium supra Papam esse comprobaret.

Georgius Vicentiæ Episcopus, qui paucis abhinc diebus Moguntia rediit, prioribus istis disceptationibus non interfuerat, nullis artibus persuaderi poterat, ut sententiæ, qua Eugenium hæreticum declarare nonnulli meditabantur, subscriberet. Huic Præsuli Amadeus Lugdunensium Archiepiscopus (quamvis contrarium sentiret) plurimum favebat, illiusque partibus accedere non dubitabat, veritus, Eugenii depositionem minium accelerari, & in re tanti momenti cæco, nimiumque præcipiti impetu procedi. Ejusdem cum plurimi quoque alii esset

Sæcul. XV. A. C. 1439.

essent opinionis, omnis deliberatio suspensa permansit, quamvis tres primæ (ut vocabant) Deputationes jamjam octo illas conclusiones omnino approbassent; quarta enim tres primas quidem admittendas, ceteras vero quinque rejiciendas declarabat. Jam equidem advenerat dies, scilicet feria sexta, qua Congregatio Generalis pro more haberi debebat; verum Mediolanensis, & Panormitanus Archiepiscopi unacum Arragoniæ Regis, & Mediolani Ducis Oratoribus fortiter sese opposuerunt, omnesque sibi adhærentes, ut strenue resisterent, adhortati sunt. Vocabantur etiam Cardinalis Tarraconensis, & Ludovicus Protonotarius, quorum prior Soloduri moram trahebat, alter vero ad Thermas secesserat, non tam ut corporis sanitatem curaret, quam nequid adversus conscientiæ suæ stimulos pro Eugenio agere compelleretur. Complures quoque Arragoniæ Episcopi fuere vocati, qui omnes pridie illius diei, qua Generalis Congregatio decreta erat, advenere.

Æn. Sylv. in Fasciculo de gestis Conc. Basil.

His nequicquam tentatis, nihilominus Congregatio habebatur, cui Principum Oratores intervenerant, atque una omnes velut ex condicto decisionem caussæ pro viribus impedire moliebantur. Unde utrinque contentio recruduit, ac præprimis Itali, & Hispani propositos articulos

Sæcul. XV. A.C. 1439.

ticulos nequaquam ſuſcipiendos eſſe, omni ope, & opera contendebant. Hos inter Legatos primus verba fecit Burgenſis Epiſcopus, qui rem, usquedum ceteri Principum Oratores ex Moguntino Conventu redirent, ſuſpendendam cenſuit. Hunc excepit Panormitanus, prolixum declamans ſermonem, cui illa Prophetæ Iſaiæ verba præfixit: *Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam. cap. 58. v. 1.* & vero altiſſime clamabat, ratus, ad præcavendam, ut inquiebat, imminentem Eccleſiæ ruinam, tantam vocis intenſionem oppido neceſſariam: tandem orationem ſuam abſolvit, comminatus ſe contra cunctos Baſileenſium auſus aperte reclamaturum, niſi ulterioribus contra Eugenium attentatis abſtinerent, ſcriptamque ſuam proteſtationem publice perlegi juſſit. Huic Ludovicus Protonotarius reſpondit, qui tamen hiſce contentionibus exiguo adhuc tempore ſuperſtes, e lue peſtifera, qua nonniſi triginta ſex horas decubuit, e vivis ereptus eſt, anno ætatis ſuæ trigeſimo. Illius memoriam Æneas Sylvius multis encomiis celebrat, necnon miram ejus in dicendo facundiam, profundamque eruditionem magnopere extollit.

§. LIX

Sæcul. XV.
A.C.1439.

§. LIX.

Cardinalis Arelatenſis Oratio pro exauctorando Pontifice.

Cum plures hac ſuper re ſententiam ſuam in hac Congregatione dixiſſent, tandem Arelatenſis Cardinalis diſputationis Præſes, ac totius Concilii arbiter, atque moderator aliorum dicta ſummatim repetebat, & de principali quæſtionis capite diſſerebat, necnon eorum, qui Eugenii exauctorationem ſuſpendendam putabant, argumenta confutare aggreſſus, non clamoſius quam audacius in ſummum Pontificem, illosque, qui ei adhærebant, invehebatur. Æneas Sylvius zelum ejus laurea Martyrii dignum fuiſſe, exiſtimat (*). Hujus Cardinalis Oratio omnes

Æn. Sylv. in Faſcic. p. 22.

(*) Hæc & plura alia Æneam Sylvium quondam de Baſileenſibus plenis buccis deprædicaſſe non inficiamur; verum Continuator vel una ſaltem vice annotare debuiſſet, eundem Auctorem in ſua retractatione faſſum fuiſſe, quod falſis calumniis per apertos ſchismaticos, rebelles Pſeudo-theologos in Baſileenſi conciliabulo contra Eugenium conſpirantes effuſis deceptus fuerit, exiſtimans, *eos mentiri non poſſe, qui neſciret ipſe mentiri.* O-

Sæcul. XV. A.C. 1439

omnes ſuſpenſos tenuit, quibusdam acris & felicis memoriæ vim deprædicantibus, aliis illius eruditionem ad ſydera extollentibus.

---

ptandum foret, ,ut Continuator noſter eadem fidelitate ex Sylvio deſcripſiſſet fraudes, violentias, tumultus, probra & contentiones, quarum ope Arelatenſis cum *ſuo Copiſtarum, Paedagogorumque grege velut alter Catilina*, ad *quem deſperati, & perditi omnes confugerunt*, impia ſua conſilia effectui dare conatus eſt. *Erat ubique clamor*, inquit Sylvius, *ubique ſtrepitus, ubique jurgia effundebantur, nullis jam feſtinatione loqui licuit, tantus exortus eſt clamor, quantus ſolet in prœliis tubarum clangor, & equorum fremitus audiri, cum ſignis collatis duo invicem concurrunt exercitus.* Hæc & cetera Continuator tam ex Sylvio, quam ex aliis Auctoribus Hiſtoriæ ſuæ inſerere debuiſſet, ut inde factioſorum Baſileenſium indoles, & contra Eugenium attentatorum injuſtitia Lectori patuiſſet, quæ Spondanus ex ipſo Ænea Sylvio expendens exclamat: *Nonne iſta ſunt praeclare ſanctèque in Spiritu Sancto concluſa! O propudium! o colluviem! niſi ipſemet Æneas coitionis ejusmodi manceps, hæc adeo virulenta, fraudulenta, violenta deſcripſiſſet, quis credere potuiſſet? aut quis ſanæ mentis res ſic geſtas credens, eas a Spiritu Sancto proceſſiſſe ſibi perſuadere valeat?* Attamen longe diverſa erant

Conti-

lentibus. Verum Catalani probe intelligentes, omnia Præſidis verba unice eo collimare, ut nullæ induciæ concederentur, Sæcul. XV. A. C. 1439.

Continuatoris ſtudia, hinc ex Auctoribus (quorum verba non raro in alienum ſenſum detorquet) ea, quæ ſummo Pontifici favent, miſſa facit, affectata nimis ſollicitudine, quæ quocunque modo Papæ auctoritatem deprimere, Baſileenſes extollere credebat, corradere, & exaggerare conatur. Panormitanus, ubi Papam Synodo ſubjicit, apud noſtrum Continuatorem in præfatione ad tomum XXV. ſolidiſſimo omnia probat, & objecta invicte confutat, dum vero Baſileenſium auſus reprobat, nonniſi verboſus declamator audit, §. LVIII. qui clamoribus ruinam Eccleſiæ præcavere neceſſarium duxit (NB. Æneas Sylvius inquit Panormitanum altiſſime clamaſſe, *quia plane & morate loquens exaudiebatur nemo.*) Jam Epiſcopum Burgenſem, dum ſynodalem auctoritatem Pontificiæ præfert, divina prorſus eloquentia diſſerentem jactat, mox cauſſam Papæ defendentem, quaſi ex prodigio, elinquem fingit. §. LVII. Jam Ludovicum Protonotarium, qui tamen cum Panormitano Eugenium tuebatur, Baſilea diſceſſiſſe narrat §. LVIII. ne contra conſcientiæ ſtimulum Pontifici favere cogeretur. Hæc & ſexcenta alia infidelitatis, livoris, & intolerabilis partium ſtudii exempla paſſim occurrunt, quibus condigna cenſura per-

Sæcul. XV. A. C. 1439.

tur, ante omnem aliam deliberationem Panormitani Episcopi protestationem alta voce perlegi postularunt. Quæ res novi tumultus causa fuit, & a verborum rixa atque vociferationibus tandem ad convitia, atque querelas deventum.

§. LX.

Conventus per Papæ Fautores turbatus.

Tum Patriarcha Aquilejensis Orationem ad Panormitanum convertit; hicvero sibi in Synodo dicendi libertatem Episcopi exclamabat, & suos adhortabatur, ut Concilium desererent, eoquod Patriarcha se eorum cervices fracturum comminatus esset. Enimvero Patriarcha in hasce minas temere effusus est. Nec credite, inquiebat, *rem sic abire, Germanorum mos-*

Æn. Sylv. de gest. Conc. p. 28. in Fascic.

tis mores: nempe si sic proceditur, neque quam fas erit integris hanc provinciam effere capitibus. Quapropter Joannes Co-

---

stringendis supersedemus, tum, ne tædium Lectori pariatur, tum quia cuncta adversus Ingenium a Basileensibus attentata ab aliis Auctoribus in omni Historia longe versatissimis satis superque confutata leguntur, & communi omnium calculo tanquam a seditiosis, schismaticis & acephalis nonnullis Sacerdotibus in hoc conciliabulo consarcinata rejiciuntur.

mes de Tierſtein, qui tunc locum Protectoris Concilii tenebat, offenſis omnem ſecuritatem promittebat, addens, ſe neutiquam paſſurum, ut ſecuritatis literæ ab Imperatore datæ quovis pacto violarentur, quin potius easdem ſe ad ultimum usque apicem religioſe obſervaturum. Inſuper & ipſum Patriarcham monebat, ut verba revocaret & intempeſtivo ſuo ardori imperare deinceps diſceret. Verum Patriarcha nil commotus, Joanni de Bachenſtein Cameræ Apoſtolicæ Auditori in mandatis dedit, ut ejus nomine verba a ſe prolata in melius interpretaretur; quod & ipſe præſtitit, dicens, non illud Patriarchæ fuiſſe conſilium, ut Prælatos inſultibus vexaret, aut ejusmodi minis, quæ Synodi libertatem turbare poſſent, terreret, ſed duntaxat eos adhortari voluiſſe ad conſtantiam, & ad fidem firmiter ſervandam, qua Eccleſiæ emendationem omni ſtudio ſe promoturos coram omnibus promiſiſſent; non ergo ea, quæ heri placuiſſent, hodie reprobanda eſſe; id enim animi levitatem prodere, quæ vere Clericalis ſtatus auctoritatem Laicorum contemptui exponeret. Haud tamen propterea clamores ceſſabant, quinimo quotiescunque articulorum contra Eugenium decretorum mentio fiebat, nil niſi querelæ, atque vociferationes audiebantur.

Sæcul. XV. A. C. 1439.

Sæcul. XV. A. C. 1439.

§. LXI.

Archiepiscopus Lugdunensis cum aliis tumultum sedare conatus.

Archiepiscopus Lugdunensis horum tr multu commotus, ante oculos posit tanta jurgia, atque rixas integris illis oct annis, quibus fere Synodus celebratur nunquam auditas fuisse; Conclusiones quas tanto impetu oppugnarent, certas æque ac veras esse, atque a Lovaniens & Colonienſi universitatibus (*) opera Ludovici Protonotarii approbatas, nec larum veritatem hactenus immutatam Quibus dictis, cum duodecim Deputa rum concordata de Conclusionibus jam Cardinalis Arelatensis legi cæpissent, mo Panormitanus & Arragonenses cum his e loco surgentes concitatiore voce hujus modi actis intercedebant, a qua tamen Panormitani oppositione Arelatensis, te

(*) Basileensis conciliabuli erronea tria principia ab hisce universitatibus, sollicitante Ludovico, fuisse approbata falsum est. Æneas Sylvius testatur quidem: objectum fuisse Ludovico Protonotario, ipsum Lovanii, & Coloniæ eas veritates prædicasse, quod verum esse Ludovicus fassus est, Basileensibus tamen objiciens: *Vos tamen eas fidei veritates nuncupatis, quæ adjectio mihi subdubia est.*

ſte Nicolao Amici Doctore Pariſienſi, ad præſentem Synodum provocavit: Unde omnia tam veſano tumultu, tamque confuſis altercationibus miſcebantur, ut de toto negotio jam actum eſſe crederetur. Joannes de Segovia has turbas ſedaturus, verbis ſuis aures præberi efflagitabat, & impetrata dicendi copia in prolixam orationem excurrebat, qua Cardinalis Arelatenſis facta, & conſilia vindicare conatus, ſuos ad conſtantiam, & invictum tuendæ veritatis ſtudium adhortatus eſt. Sæcul. XV. A. C. 1439.

§. LXII.

Panormitanus a ſua ſententia deſiſtere ſollicitatus.

Plures quoque Prælati Panormitanum, ne in ſua ſententia perſiſteret, ſed conceptum conſilium mutaret, hortabantur; inter quos Burgenſis Epiſcopus illum ad amorem pacis, & tuendam Synodi tranquillitatem multis precibus induxit. Verum cum & Baſileenſes Congregatione excedere, illamque re infecta abſolvere erubeſcerent, & Panormitanus eorum petitis magis identidem ſeſe opponeret, Archiepiſcopus Lugdunenſis tandem pronunciavit, oppoſitionem a Panormitano factam nullius eſſe momenti, nec eam proin revocari, cum jam de ſe nulla eſſet, oportere; exiſtimare tamen ſeſe, haud

Sæcul. XV. A. C. 1439.

ultra procedendum: fore enim, ut hac temporis mora Prælatorum animi ad unionem reducerentur. Ægre admodum has inducias ferebant Panormitani Fautores, qui hujus interceſſionem omnino acceptandam contendebant. Quam ob rem novi exorti clamores, tantique ſtrepitus inſonuere, ut articulorum lectio adſtantium aures penitus effugeret. Jamque dies ad occaſum inclinabat, & concluſum adhuc erat nihil: dum tandem Cardinalis Arelatenſis fervidis quorumdam precibus, & Lauſanenſis Epiſcopi, plurimumque Theologorum hortatu devictus, ad ſedandos tumultus in fraude, atque artibus conſilium quærere aggreſſus eſt.

§. LXIII.

Arelatenſis Cardinalis artes ad ſedandas turbas adhibitæ.

Mentiebatur itaque, ſe habere, quæ proponeret, a modernis tamen controverſiis longe diverſa; cumque hac ſua fraude omnium aures avide ſuſpenſas teneret, novo commento exponebat, ex Galliis delatas ſibi fuiſſe epiſtolas novis, ac fidem hominum ſuperantibus nuntiis plenas, quas, ſi eum benevole audirent, palam prælegere vellet. Conſenſere omnes, & Cardinalis ferrum, dum calet, cudendum ratus, ſenſim ſine ſenſu Epiſtolæ con-

contextum ab iis, quæ continebat, ad agitatam quæstionem deflexit, de suo subjungens, quod Eugenii Papæ Nuntii in Galliis novam hanc doctrinam, scilicet Papam Synodo esse superiorem, quaquaversus disseminarent, nisi ergo opportuno medio in tempore occurratur, ejusmodi opinio latius sese diffundens brevi in cordibus populi altas ageret radices: Synodi, prosequebatur, potissimum interest, malo grassanti remedium afferre, quo tamen nullum magis præsentaneum est, quam si ex illis octo Conclusionibus antea stabilitis saltem tres primæ acceptarentur. Hæc verba magno suorum applausu, atque encomio excepta fuere, & Cardinalis nomine totius Synodi rem conclusam pronuntiavit. Sæcul. XV. A. C. 1439.

§. LXIV.

Cardinalis Tarraconensis Basileæ.

Eodem die Cardinalis Tarraconensis Basileam venit, quem, ut ut generali Congregatione antea absentem Catalani tamen & Longobardi præveniunt, ejusque animum oppugnant, ac crebra cum eo colloquia miscentes deliberant, qua via Papæ Eugenii auctoritas vindicari posset; *nonnullis eorum omnino deferendum concilium videbatur, aliis vero persistendum, omnique nisu resistendum, ne quid ulterius* Æn. Sylv. loc. cit.

Sæcul. XV. A. C. 1439

adversus Eugenium fieret, eaque inter eos sententia vicit.

Sabbato die vigesima quinta Aprilis Archiepiscopus Lugdunensis, & Episcopus Burgensis Prælatos in Ecclesiæ Cathedralis choro congregatos diu nimis detinebant, de necessitate pacis Synodo reddendæ agentes. Censuit Burgensis Episcopus legationem esse decernendam, quæ Archiepiscopo Lugdunensi plena idcirco auctoritate instruendo committeretur. Verum rursus in diversa abierunt congregatorum sententiæ, quibusdam Burgensis consilium approbantibus, aliis fortiter obstrepentibus, omnibus demum haud abs re judicantibus, actum esse de concordia, donec illi, qui huic paci adversarentur, se suorum errorum pœnitentia duci testarentur. Igitur hæc congregatio eventu suo caruit. Postera die Dominica, quæ erat vigesima sexta Aprilis, Episcopus Burgensis, ceteriique Longobardiæ, & Catalaniæ Præsules Nationem Germanicam, urbisque Senatores convenerunt, eos hortaturi, ut imminenti schismati obicem ponerent. Germani se deputationum (uti vocabant) sententiam expectaturos respondebant, Senatores vero dixerunt, hoc negotium sui fori haud esse, sed ejusmodi malis providere, proprium esse Synodi officium, cujus Patres longe doctiores atque prudentiores esse judica-

dicarent, quam ut media, quæ opportune adhibenda, ignorare crederent: si fides periclitari videretur, & se juncta cum Synodo opera occurrenti necessitati sedulo prospecturos, de cetero sui muneris duntaxat esse, membra Concilii defendere, & fidem publicam inviolatam tueri. Hoc responso Burgensem Episcopum dimiserunt. Sæcul. XV. A. C. 1439.

§. LXV.

Octo conclusiones in Congregatione Generali acceptandæ.

Interea Basileenses normam decreti postea promulgandi unacum illis octo Conclusionibus, quæ prius memoratæ & a deputationibus approbatæ fuerant, transcribi curarunt. Verum ita exigente Synodi lege, omnino necesse erat, ut hæ ipsæ conclusiones a duodecim Viris ad hoc denominatis prælegerentur, necnon Sessio celebraretur, in qua illæ actis Synodalibus insererentur. Ceterum Basileensibus hoc negotio occupatis, & decreto mature examinato, demumque ad limam revocato, Principum Oratores Moguntia redibant, atque habitis inter se crebris collationibus, illius promulgationem omnibus viribus impedire statuebant. Nihilominus Basileenses Oratorum consilia edocti, Congregationem Generalem ad diem Sabbati nonam Maji indixerunt.

Magna

Sæcul. XV. A. C. 1439.

Magna erat concurrentium frequentia, & utraque pars ad sententiæ suæ defensionem obfirmatum exhibebat animum. Cum ergo hac die forma decreti concludenda esset, & Cardinalis Arelatensis coetum valde numerosum, necnon duodecim illos Deputatos, qui pro legendis conclusionibus destinati erant, concordatis consensisse cognosceret, ad præcavendos tumultus, atque clamores, qui forte suboriri possent, e vestigio Concordatum prælegi jussit, postmodum futuræ Sessionis diem inducturus. Quod ut intellexerunt Oratores, ac Principum Delegati, qui a Lubecensi Episcopo in choro majoris Ecclesiæ ex industria detinebantur, indignitate rei commoti abscedebant, & ingressi concionem in graves, apertasque querelas de injuria sibi illata erumpebant.

§. LXVI.

Provinciarum Deputati conclusionem revocari postulantes.

Horum primus conclusionem omnino revocari a Synodo petiit, viciffim promittens, se ea lege pacis conciliatorem extiturum, quinimo Concilium omni modo protecturum. Archiepiscopus Turonensis *videri sibi dicebat, usque ad Sessionem liberam esse dicendi omnibus facultatem adversus eam, quæ promulgari deberet, legem; rem esse*

Æn. Sylv. loc. cit.

esse grandem, arduamque, nec tam brevi spa- Sæcul. XV.
tio comprehensibilem; velle se atque collegas A. C. 1439.
ante consessum & audire alios, & audiri ab aliis; oportere eum rem bene nosse, ut domum rediens, & informare posset Galliæ, Dominum suum. Pluribus aliis contra Arelatensem declamantibus, ad Panormitanum Archiepiscopum ordo deflexit, qui plurimum excandescens, graviter in Basileenses invehebatur, in eos illa Evangelii verba apud S. Matthæum *cap. 7. v. 6. A fructibus eorum cognoscetis eos*, & illa: *Qui male agit, odit lucem*, Joan. 3. v. 20. retorquens. Absolutis omnibus hisce sermonibus, in quibus plus commoti animi motibus, quam veritatis amori tribui credebatur, Cardinalis Arelatensis verba facere cœpit, atque orationem suam jam ad Panormitanum direxit, jam & Imperatoris, & Francorum Regis Oratores, nonnunquam etiam ad quosdam Prælatos sigillatim convertit.

§. LXVII.

Cardinalis Arelatensis Oratio pro Conclusione.

Summa autem orationis suæ hæc fuit, Conclusio Canonice ac juxta ritum legesque, quas omni tempore Synodi Patres servarunt, confecta est, quæ vero hodie

Sæcul. XV. A. C. 1439.

die aguntur, non ſolum ad ſolemnitatem, ſed etiam ad vim, & robur Actorum pertinent. Præterea cuncti, qui hanc deciſionem absque alio quam veritatis ſtudio, omnique ſepoſito animi motu perpendunt, facile deprehendent, declarationem trium veritatum ſuperius ſcriptarum Canonice, & legitime factam eſſe, cum omnes Galliarum, Germaniæ & Poloniæ Epiſcopi per ſeipſos, aut per Procuratores ſuos ſubſcripſiſſent, eisdemque adhæ-rerent, ſolis Italiæ & Arragoniæ Epiſcopis obſiſtentibus, eoquod Rex Arragoniæ ob Regnum Siciliæ Fiduciarius Pontificis eſſet; demum oratione ad finem vergente ad Lubecenſem Epiſcopum converſus. *En!* inquit, *res iterum fidei agitur; abeamus hinc obſecro, ne ſcandalum ſimus illi, neve a ceteris oratoribus diſſentire dicamur.* Cui Lubecenſis reſpondit, *Mane Pater, mane ſic. Nunquid non veriſſimæ hujuſmodi concluſiones ſunt? Quid tu timeas, pro veritate feciſſe?* *Hæc*, inquit Æneas Sylvius, *a paucis audita fuere, ſubmiſſa namque inter ſe voce ſermones miſcebant, ego tamen ad pedes illorum ſedens, quæ ipſi dicerent, verba cupide obſervabam, audivi.* Arelatenſis autem lectis quibusdam, quas ad concluſionem neceſſarias reputabat, Scripturis, poſtulantibus Promotoribus concluſit, & abſolute ſua oratione conventum dimiſit, & Seſſionem ad diem decimam ſex-

sextam Maji, in qua Decreti confirmatio sequeretur, indixit. Sæcul. XV. A. C. 1439.

§. LXVIII.

Sessio XXXIII Synodi Basileensis.

Igitur die Sabbati decima sexta Maji habebatur Sessio trigesima tertia Basileensis Synodi, ad quam omnes, qui eandem exoptaverant, hora præstituta accedebant. Celebrabat Sacrum solemne Episcopus Lausanensis, & Principum Oratores suo nomine ad eandem Sessionem Lubecensem Episcopum, & Turonensem Archipræsulem decernebant, simulque pollicebantur, se quoque per se ipsos Synodo interfuturos, dummodo ad quadrimestre adversus Eugenium judicii acta suspenderentur; quibus induciis ad vota impetratis, iidem insuper postulabant, ut Synodi decretum nonnisi circa primam conclusionem conderetur; hanc enim solam tolerari posse affirmabant, quibus Cardinalis Arelatensis hæc responderi præcepit: totius negotii summa a posterioribus duabus Conclusionibus dependet, atque in his potissima Synodi cura sita est; si ergo Sessioni interesse renuunt, culpa omnis in eos conjicietur, si Synodus dissolvatur, & pacis, quæ hac via Ecclesiæ reddi posset, spes ea ex causa intercidatur, quod ipsi promissis stare negli-

Labbe Conc. to. 13. p. 618.

Sæcul. XV. A. C. 1439.

neglexerint. Ambo Præsules hoc responsum ægre ferentes discesserunt: nec tamen inde suspendebatur Sessio, cui nullus ex Arragonia, nullus ex Hispania Prælatus interfuit, ex Italia quoque tantum Grossetanus Episcopus, & Abbas de Dona Cumanæ diœcesis; ex reliquis vero Germaniæ & Franciæ nationibus nonnisi viginti quinque partim Episcopi, partim Abbates (*) mitris decorati aderant.

§. LXIX.

Cardinalis Arelatensis artificium ad reddendam Sessionem numero conspicuam.

Cardinalis ob tam exiguum Patrum numerum pudore suffusus, reliquos Prælatos ad Sessionem allecturus, opem in sagacitate quæsivit, invenitque. Nam paucitatem Episcoporum suppleturus, omnes, quascunque poterat, Sanctorum reliquias in tota urbe Basileensi conquiri, ac

(*) *Quanta Majestas Synodi Oecumenicæ! ubi hos inter viginti mitratos plerique solum Abbates, Episcopi exauctorati, aut mere titulares indubium Papam sine culpa & caussa deponere præsumunt, dum tamen secundum Canones non ad simplicis Episcopi exauctorationem duodecim ejusdem ordinis exigantur.*

ac per Sacerdotum manus in Seſſionem portari juſſit, ut illæ abſentium Epiſcoporum locum tenerent. „ Unde, inquit „ Æneas Sylvius, haud modice ſingulo„rum accendebatur devotio, & ex pie „ affectorum oculis juges fluebant lacry„mæ. „ Hoc artificio Arelatenſis plures quidem attraxit, nec tamen Epiſcoporum numerum auxit, ſed horum ſedes occupare cogebantur eorum Procuratores, Archidiaconi, Præpoſiti, Priores, Doctores, quadringenti & amplius, omnes bonum pacis declamantes. Itaque peracto divino Sacrificio, Epiſcopus Maſſilienſis Decretum legit, avidis auribus exceptum. Ex adverſo Epiſcopus Albinganenſis contrariam, quæ interponebatur, proteſtationem recitabat, ſed nulla illius habita eſt ratio (*). Ergo tres primæ concluſiones velut totidem articuli fidei promulgabantur; quo facto Hymnum: *Te*

Sæcul. XV. A. C. 1439.

Æn. Sylv. de geſtis Conc. Baſil. l. 2. p. 37. in faſc.

(*) Æneas Sylvius tamen loc. cit. rem in hunc modum narrat: *Albinganenſis Epiſcopus proteſtationem nulli alteri quam ſibi legebat, nec enim præ ſtrepitu poterat audiri. Tam Longobardi, quam Catalani proteſtationi adhæſerunt . . . . Cardinalis quoque Tarraconenſis & omnes fere Arragones, Longobardi, & Caſtellani diſceſſerunt.*

Sæcul. XV. A. C. 1439.

Te Deum, cantarunt, & soluta est Sessio ordine trigesima tertia.

§. LXX.

Tres primæ conclusiones condito Decreto firmatæ.

Habita est Feria sexta die vigesima secunda Maji generalis Congregatio, cui Principum oratores intererant, & decretum in priori Sessione conditum approbarunt, non sine magna omnium admiratione (*). Quinimo iidem eo temeritatis progrediebantur, ut etiam Eugenium Papam pacis inimicum conviciarentur; nihilominus tamen constanter a Patribus postulabant, ut sententiam adversus Eugenium pro bono pacis differrent. Cardinalis Arelatensis de tam insperata mutatione immodica lætitia triumphans, Deo gratias egit, eoquod voluntatem & corda eorum, qui paulo ante aperti erant Concilii hostes, flectere dignatus esset.

§. LXXI.

(*) *Idem Sylvius testatur*, quod Oratores Principum præter omnium spem generali Congregationi se immiscuerint, id cum Basileenses factiosi interpretati essent, quasi eo facto præteritæ Sessioni præstare voluissent assensum, ipsi protestati fuerint, non se ei interfuisse, quod missi tantum essent ad negotium pacis non fidei. *En! egregiam Historici nostri fidem.*

§. LXXI.

Sæcul. XV. A. C 1439.

Panormitani tractatus pro defensione Synodi Basileensis.

Rebus secundo successu compositis, Patres futuræ Eugenii Papæ exauctorationi, novique Successoris electioni animum serio applicabant. Ceterum in censum eorum, qui Decreto favebant, Panormitanus quoque vocandus videtur; is quippe anno hoc ad finem vergente tractatum de Authoritate Basileensis Concilii elucubravit, ubi primo historica illius facta recensens, tandem tripartitam proponit quæstionem. I. *An Basileense Concilium vere fuerit Oecumenicum*, & id affirmantium sententiam comprobat. II. *An Basileense Concilium potestatem legitimam ipsum Eugenium citandi, & processum contra eundem, actionemque faciendi usque ad depositionem inclusive habuerit?* & denuo illud asserentibus accedit, pluribusque rationibus confirmat. III. *An de facto Basileense Concilium contra Eugenium juste processerit, tam citando, quam suspendendo?* & præfatus Scriptor Synodum in nullo justitiæ leges violasse tenet. Hunc tractatum eodem tempore, quo Synodus Basileensis adhucdum celebrabatur, conscriptum fuisse, observare oportet.

Sæcul. XV. A. C. 1439.

§. LXXII.

Bellarmini opinio de Panormitani tractatu.

Bellarmin. de Script. Eccleſ.

Bellarminus Cardinalis in ſuo libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis hæc habet: *Dicitur Panormitanus etiam ſcripſiſſe librum pro Concilio Baſileenſi, ſed hunc librum, ut in mala cauſſa ſcriptum, & proinde erroneum, & credibile eſt ex ejus operibus abrasum fuiſſe. Ego certe inter ejus opera variarum editionum eum nusquam reperi.* Nihilominus in ultimo tomo editionis Lugdunenſis anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo typis impreſſus habetur, necnon in alia quadam perantiqua editione iisdem Lugdunenſibus literis excuſus, in ſeparato a ſuis operibus libello exſtat. Gerbaiſius Sorbonæ Doctor eundem tractatum ſumma integritate, ac inſigni prorſus fide, & ſermonis puritate Gallice reddidit anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſeptimo. Vir iſte, qui vulgo dicebatur Panormitanus, proprio ſuo nomine erat Nicolaus Tudeſcus, natione Siculus, olim cujusdam Abbatiæ Ordinis S. Benedicti Panormi Abbas, & poſtea ejusdem civitatis Archiepiſcopus, ac demum anno Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ab Amadæo Sabaudiæ Duce, poſtquam exauctorato Eugenio in Papam ele-

electus fuerat, purpura decoratus est. Verum jussu Arragoniæ Regis Domini sui Archiepiscopalem sedem repetere coactus fuit, ubi etiam pestilentiæ morbo correptus obiit, anno Salutis millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto (*). Sæcul. XV. A.C. 1439.

§. LXXIII.

Urgetur Eugenii Papæ exauctoratio.

Eadem hac Congregatione die vigesima tertia Maji celebrata Oratores Principum, qui decretum approbaverant, multis precibus institerunt, ut Basileenses sententiam adversus Eugenium Papam differrent, & in tertium Concilii locum

(*) Dixisse sufficiat, hunc Panormitani tractatum ad indicem librorum prohibitorum rejectum fuisse. Cum vero Panormitanus eodem hoc anno in Concilio Basileensi depositionem Eugenii tanquam a Presbyteris, exclusis fere Episcopis attentatam reprobaverit, & in quæstione I. num. 19. (quæ ad calcem suorum operum editionis Lugdunensis Ann. 1551 reperitur) disertis verbis dicat: *Papa a toto Clero & populo, & Imperatore judicari non potest*, plane dicendum videtur, aut hunc tractatum Panormitano perperam adscribi, aut illum summæ inconstantiæ reum fuisse.

Sæcul. XV. A. C. 1439.

consentirent. Aſt illi Oratorum votis nulla ex parte annuendum rati, reliquas quinque concluſiones confirmare haud dubitarunt. Quinimo inſuperhabitis ſexaginta dierum induciis, quas inter Eugenii depoſitionem, & novi Pontificis electionem interponendas paulo ante promiſerant, mutato derepente conſilio, Eugenium in jus vocarunt, atque in proxima ſeſſione comparere juſſerunt, nec ipſis quoque Principum legatis quicquam obluctantibus. Quapropter ut citationis decretum ad valvas Eccleſiæ affixum effectui darent, ſequentem indixerunt Seſſionem, in qua denique ipſum ſummum Pontificem exauctorarunt. Equidem Æneas Sylvius hujus depoſitionis hiſtoriam enarrare, ad calcem primi ſui libri ſupponit, ſed in ſecundo libro hac ſuperre altum tenuit ſilentium, atque a Baſileenſium conſiliis pro electione Amadæi Sabaudiæ Ducis excogitatis narrationis ſuæ exordium petiit. Ex pluribus tamen locis ejusdem Scriptoris eluget, quod ſecundum de hac depoſitione librum conſcripſerit, & liber, qui nunc ſecundus inſcribitur, tertius fuerit; haud temere igitur hunc commentarium periiſſe conjicimus, cujus tamen jacturam quodammodo ſarcire videntur acta Auguſtini Patricii, qui deſcriptam Eugenii depoſitionem ad poſteros transmiſit.

§. LXXIV.

Sæcul. XV. A.C. 1439.

§. LXXIV.

Sessio XXXIV Basileensis Synodi.

Ergo Basileenses in sessione trigesima quarta die vigesimo quinto Mensis Junii de exauctorando summo Pontifice agunt, & juxta citationem antea decretam, atque affixam, adversus ipsum depositionis sententiam ferunt. Huic Sessioni intererant triginta novem Præsules infulis insignes, inferioris autem ordinis Clerici omnino trecenti (*). Eugenius cum per duos Episcopos iterato vocatus, non comparuisset, contumax judicatus

Aug. Patric. to. 13. Conc. Labbe art. 92.

(*) *Unde tot infulæ!* exclamat Spondanus, *cum in veritatum promulgatione vix, viginti intervenisse viderimus. An & hic Arelatensis aliqua arte, ut tunc, usus ad numerum amplificandum?* Certum est potissimam eorum partem duntaxat Abbates fuisse, cum Cardinalis Turrecremata, qui præsens aderat, solum octo vel novem Episcopos interfuisse memoret, & hos omnes Eugenio vel ob denegata officia ab eis ambitiose concupita, vel ob castigata eorum crimina summopere infensos. *Ceteri omnes*, inquit Turrecremata cum innumeris aliis Historicis, *Episcopi cum Cardinale Tarraconensi & Regum ac Principum Oratoribus sacrilegæ eorum Sessioni contradicentes non interfuerunt.*

Sæcul. XV. A. C. 1439

ac vi atque auctoritate Concilii Constantiensis, pœna depositionis affectus est.

§. LXXV.

De depositione Eugenii Papæ.

Labbe Conc. gen tom. 13. p. 619.

In hac sententia omnes Christi fideles ab Eugenii obedientia absolvebantur, simulque prohibebantur, ne eidem amplius tanquam summo Pontifici adhærerent, sub pœnis hæresis ac schismatis, necnon privationis omnium honorum, beneficiorum, ac dignitatum. In hoc Decreto Eugenius, quem deinceps nomine Gabrielem ab illo, quod ante Pontificatum gesserat, nomine appellitabant, depingebatur, ut pacis & unitatis Ecclesiæ perturbator (*) Simoniacus, perjurus incorrigibilis, schismaticus, hæreticus, in errore pertinax, jurium & bonorum Ecclesiæ dilapidator, & ad Romani Pontificatus administrationem non modo inutilis, sed & pernicioſus. Insuper subjungere non dubitabant Basileenses, Eugenium *omni titulo, gradu, honore, & dignitate se reddidisse indignum.* Hæc Sessio ut quo-

(*) Nempe ab Amadæo Sabaudiæ Duce Pontificatum ambiente ex industria ad Concilium missi, ut ingenue fatetur Æneas Sylvius apud Gobellinum Comment. lib. 7.

quodammodo numerosior evaderet, ad eam ex Sabaudia evocati fuere Episcopi. Nec leviter transeundum censemus, hæc omnia Basileæ eadem die gesta fuisse, qua Florentiis utriusque Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis unitas concluſa esset (*). Secul. XV. A.C. 1439.

§. LXXVI.

Rex Galliæ ob Eugenii depositionem graviter adversus Basileenses conquestus.

Non multo post Basileenses ad omnes Christiani orbis Principes decreverunt nuncios, per quos Eugenii depositio promulgaretur, eorumque opera hoc decretum executioni mandaretur. Verum vix hoc consilium conceperant, cum literæ Regis Francorum deferuntur, quibus ille graviter querebatur, quod non tantum morem non gessissent suis precibus, atque monitis, quibus eos adhortatus esset, ne judicii acta adversus Eugenium prosequerentur, sed insuper, ut inquiebat, hac agendi ratione pacem a Principibus *Patrit. loc. cit.*

(*) Ibi tamen eodem ipso die & anno utramque Ecclesiam Orientalem, & Occidentalem felici unitatis vinculo Eugenius copulavit, uti Basileenses Latinam Ecclesiam novo schismate scindere moliebantur.

Sæcul. XV. A. C. 1439

fervidis adeo votis expeditam propulsare tentassent. Præterea eos obtestatur Rex, ne ulterius quicquam in Eugenium attentarent, sed sententiam pronunciare differrent, donec opportuna reddendæ pacis media suppeterent. Reposuere Basileenses, Regem paulo post per Synodi Legatos percepturum, quid hac in re gestum esset, nec dubitare se, quin Rex Christianissimus omnia meliorem in partem acceptaturus esset, eo vel maxime, quod alia media magis proficua pro pace restituenda haud inveniri potuissent, quam si demum Ecclesia integræ suæ libertati redderetur. Quapropter obtestari se Regem, ut Regni sui Prælatos ad Concilium decerneret, de negotiis ecclesiasticis deliberaturos. Reperimus insuper in quodam Codice manuscripto Bibliothecæ S. Victoris responsionem, quam Basileenses dederunt ad literas a Rege Angliæ pro defensione Eugenii etiam ante ejusdem exauctorationem scriptas. In illa pariter excusant ea, quæ hoc in consessu gesta fuissent, rogantque Regem, ut non prius Synodi acta damnare vellet, quam rationes Patrum audisset. Denique & Albertum Imperatorem, ceterosque Germaniæ Principes ob eandem caussam cum Basileensibus expostulasse constat.

§. LXXVII.

Sæcul. XV.
A C.1439.

§. LXXVII.

Sessio XXXV. Basileensis Synodi.

Nec tamen graves istæ Principum querelæ a Basileensibus impetrare poterant, quo minus illi in ea, quæ destinaverant, præcipiti impetu ruerent, & cæpta demum consilia exequerentur. Quapropter die secunda Mensis Julii trigesimam quintam celebrabant Sessionem, *Sede Apostolica*, ut ajebant, *vacante*. Ubi tamen nova, atque diuturna altercatio oriebatur ex quæstione, an expediret illico novum creari Pontificem, vel an potius electio pro bono Ecclesiæ differenda esset; Præcox quorumdam opinio erat, novam electionem omni modo maturandam esse, sic exigente Ecclesiæ utilitate. Verum Joannes Segovienſis celerem novi Pontificis electionem humani quidem, illius vero dilationem ad bimestre divini consilii rem fore affirmabat, dicebatque, honestatem, ac decentiam quantumvis forte periculosam, satius esse sequi, quam utilitatem securam.

Labbe Conc. to.13. p.621.

§. LXXVIII.

Bimestris dilatio novæ electionis decreta.

Vicit Segovienſis sententia, unde Patres bimestrem dilationem decreverunt, in

Sæcul. XV. A C. 1439.

in hoc morem gerentes Seſſionis ſeptimæ ſtatuto, quo præceptum erat, ut ſacra Sede vacante, non niſi elapſo ſeptuaginta dierum intervallo ad novi Pontificis inaugurationem procederetur. Praeterea iidem, ut Concilii ſui firmitati proſpicerent, declararunt, quod facta Eugenii depoſitione *per receſſum quorumcunque ab hac civitate Baſileenſi non ſit, nec cenſeatur Concilium diſſolutum*, ſub quocunque obtentu, *niſi conſentientibus duabus partibus ejusdem Concilii, juxta decretum undecimæ Seſſionis ejusdem Synodi.* Utque hoc decretum magis adhuc firmaret, ad illius executionem ſelecti ſunt Praelatorum nonnulli; quos de *ſtabilitate* appellarunt, hinc & prædictæ Seſſioni inſcriptio facta eſt *de ſtabilitate Concilii.*

§. LXXIX.

Peſtis Baſileam ſæve depopulata.

Vix abſoluta erat Seſſio iſta, cum ecce ſæviſſima lues tanta vi Baſileam devaſtat, & undique graſſatur, ut ex Patribus plurimi Synodum diſſolvere, ac citata fuga ſibi conſulere meditarentur. Hujus mali vi e vivis exceſſit Ludovicus Protonotarius, cujus ſupra meminimus. Paucis ex poſt diebus Patriarcha Aquilejenſis, magnus Regis Arragoniæ Eleemoſynarius, Lubecenſis, & Conſtan-

Æn. Sylv. de geſt. Conc. Baſil. in Faſc.

tien-

tientis Episcopi, Abbas de Dona, & plures alii pariter obierunt. Æneas Sylvius eadem lue correptus, mortem tamen evasit (*) Joannes Pinanius vero Rothomagensis, Sylvii amicus, & primus Arelatensis Cardinalis Secretarius hoc Dei flagello tactus periit, summo Basileensium Patrum luctu: Idem & ab Ænea Sylvio *alter ego* appellabatur. Sæcul. XV. A.C. 1430.

§. LXXX.

Cardinalis Arelatensis constantia tempore pestis.

Cum singuli sibi præsentaneæ luis pericula timerent, mortemque vix non in momenta expectarent, atque omnes Cardinalem Arelatensem impense rogarent, ut ipsis in quamdam vicinam villam secedendi facultatem daret, sponderentque, se remittente nonnihil peste prompte redituros, Cardinalis tamen eorum precibus flecti haud potuit, sed potius cum vitæ suæ periculo Concilium sustentare, quam cum periculo Concilii servare vitam voluit. Hæc Viri constantia

(*) *Ut malitiam,* inquit Bzovius ad hunc annum num. 13, *& proterviam Basileensium aliquando erubesceret, denunciaret, & confutaret.*

Sæcul. XV. A.C. 1439.

tia ceteros quoque Patres intra urbem continuit, qui ignaviæ notam se incurrere timebant, si eorum Præside audaciore permanente, ipsi fugere vellent. Ergo Patres, donec bimestris temporis intervallum a die Eugenii depositi computatum expiraret, Basileæ præstolabantur; interea tamen deligebant Legatos ad Conventum Francofordiensem per Electores Imperii circa Calendas Augusti celebrandum; alios ad Synodum Provincialem Moguntiæ ad diem quintum decimum ejusdem Mensis indictam, alios ad Conventum Bituricensem a Rege Francorum convocatum decernebant; & denique nonnullos ad Imperatorem, & Hungariæ Regem, qui horum Principum gratiam sibi conciliarent. Postrema mensis Augusti die Generalis habita est Congregatio, in qua Basileensis Synodus omnes gratias expectativas, ac nominationes ad beneficia ab Eugenio concessas revocavit. Eodem die quidam, qui Eremitæ habitum indutus, Basileam petierat, nonnullos articulos porrexit erroneos, quos extraxisse se dixerat ex libro *Animæ simplicis*, quibus Eugenium favere, illumque omnes qui errores illos impugnant, coercere, criminabatur. Verum ejus delationi nulla habita est fides.

Aug. Patric. Conc. Basil. & Florent. art. 94. tom. 13. Conc. p. 572.

§. LXXXI.

Sæcul. XV.
A. C. 1439.

§. LXXXI.

Basileensium Legati a Principibus durius excepti.

Omnes ferme Principes satis acerbe Basileensium Legatos excepere. In Germaniam missi decretum, quo Eugenius Papa exauctorabatur, in valvis Basilicarum Argentinæ, Spiræ, Wormatiæ & Moguntiæ affixerunt, sed illud confestim fuit dilaceratum, prohibitique Legati, ne ultra ejusmodi ausus attentarent. Francofordiæ & Moguntiæ ipsis significatum, statuisse Principes, neutri parti adhærere, & quidquid demum Basileenses obganirent, nihilominus pro præsenti rerum statu nihil immutare sibi constitutum esse, & ne forte Principes in hoc conventu congregati censurarum per Synodum indictarum metu cogerentur, declarabant, se ab illis ad Synodum magis Generalem, ad Papam Eugenium, vel alios, ad quos de jure spectaret, provocare.

§. LXXXII.

Eugenii Papæ decretum contra Basileenses.

Interea vero Eugenius Papa, cum Florentiæ, ubi Synodus etiam post discessum

Sæcul. XV A. C. 1439.

cessum Græcorum continuata est, pernisset, quanta contra ipsum attentassent Basileenses, atque ipsum etiam edicto in juriis, calumniis ac conviciis scatens a summo Pontificatu deponere non horruissent, hinc in generali Sessione, quae in Actis Patritianis sexta dicitur, die quarta Septembris Florentiæ habita Constitutionem innovavit, quam contra praefatum Basileense Concilium, quod non nisi simplicem conventum nominat, jam olim Ferrariæ condiderat. Novo autem suo Decreto octo illas propositiones, quas Basileenses Patres tanquam fidei veritates venditabant, condemnabat, earumque cœtum appellabat *Basileense latrocinium, ad quod totius orbis daemones confluxisse videntur, ad complendam eorum iniquitatem usque ad abominationem desolationis in Dei Ecclesia omnibus viribus studiosa.*

Patric. art. 97. tom. 13. Conc. p. 1574

§. LXXXIII.

Sessio I. Synodi Florentinæ post discessum Græcorum.

In praefata Constitutione Eugenius omnes & singulos, qui sub praetenso Concilii nomine, post revocatam Synodum Basileæ commorarentur, aut eorum conventiculis assisterent, *etiamsi Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, Abbatiali*

Abbatiali aut alia quavis dignitate præfulgeant, excommunicationis, privationis dignitatum, beneficiorum & officiorum, ac inhabilitationis ad futura pœnas incidisse declarat, qui cum Core, Dathan, & Abiron tanquam schismatici & seditiosi meritam accipiant portionem, condignis omnino pœnis puniendi. Omnium Basileensium acta atque decreta, *gesta & attentata specialiter in duabus prætensis Sessionibus, seu verius conspirationibus tanquam ab impiis hominibus, & nullam potestatem habentibus facta annullat, cassat, & irritat.* Tandem *decernit omnes & singulos prædictos cum omnibus suis fautoribus, & defensoribus fuisse, & esse Schismaticos, atque hæreticos,* quorum impietas nulla usquam condigua pœna coerceri valeret. Sæcul. XV. A.C. 1439.

§. LXXXIV.

Sessio XXXVI. Basileensis Concilii.

Necdum Basileenses hoc Eugenii Pontificis decretum adversus se conditum perceperant, dum die decimo septimo Septembris trigesimam sextam celebrarunt Sessionem, in qua nil aliud actum legimus, præterquam decretum ab eis de Immaculata Beatæ Virginis conceptione conditum.

§. LXXXV.

Sæcul. XV. A.C 1439.

§. LXXXV.

Decretum de Immaculata Conceptione B. Virginis.

Labbe Conc. to. 13. p. 622

In hoc Decreto declararunt, doctrinam de immaculata Conceptione Beatæ Virginis tanquam *piam, & consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & sacræ Scripturæ ab omnibus Catholicis approbandam esse, tenendam, & amplectendam, nullique de cetero licitum fore in contrarium prædicare, vel docere; eandem vero celebritatem octavo Decembris die in omnibus Ecclesiis ex antiqua & laudabili consuetudine Romanæ Ecclesiæ festivis laudibus colendam;* Officium vero divinum de eodem festo a Joanne de Segovia concinnatum decantandum. Præterea concessæ fuerunt indulgentiæ hoc festum celebraturis. Abs dubio hoc Decretum juxta relationem a Cardinale Arelatensi traditam (*) conci-

(*) Intempestive prorsus hæc verba obtrudit Continuator veluti huic decreto inserta, ac quasi Segovienſi rebellium Basileensium fautori in acceptis referre deberemus hujus festi Officium, cum tamen illud partim a Leonardo de Nogarellis, partim, ut hodie canitur, a Bernardino de Bustis compositum, & a Sixto IV.

conditum est; huic enim Concilium jam die vigesima tertia Maji Anno Christi millesimo quadringentesimo trigesimo quinto injunxerat, ut per omnes Bibliothecas atque Archivia quoscunque libros, scripta, & decisiones in hac materia factas, perquirendas atque extrahendas, & ad Synodum deferendas curet. Nihilominus Basileense hoc Decretum gravissimis contentionibus ansam præbuit. Tota difficultatis summa in sequentibus vertitur quæstionibus, scilicet, utrum Basileensis Synodus tempore, quo illud condiderat Decretum, legitima atque Oecumenica fuerit, & an sententiam de immaculata Conceptione tanquam fidei Articulum propo-

Sæcul. XV. A. C. 1439.

Spond. ad. an. 1435. n. 12

to IV. recognitum & approbatum noscamus. Nec putandum Basileensibus hujus festivitatis gloriam tribui, non enim ob eorum decretum instituta est hujusmodi celebritas, sed ob antiquam Ecclesiæ Romanæ consuetudinem, quam summi Pontifices conservandam judicarunt, ut observat Binnius, Spondanus & alii. Denique quodnam robur Veneratio immaculatæ Conceptionis ab hoc Decreto accepisse credatur, quod a spurio & acephalo conciliabulo emanavit, quodque propterea nuper ex tomis Generalium Synodorum Romæ editarum expunctum est.

Secul. XV A.C. 1439.

proponere intenderit, vel duntaxat tam quam doctrinam piam. Et quod ultimum etiam vero similius esse videtur; cum Concilii Tridentini Patres de hac quæstione nihil definiendum censuerint. Hac quoque mente omnes Doctores, & Parisiensis Facultatis Baccalaureos coram tota facultate sacramento ad defendendam immaculatam Virginis conceptionem se obstringere existimo, Decano sic interrogante: *Jurabitis, quod tenebitis determinationem Facultatis de Conceptione Immaculatæ Virginis Mariæ, scilicet, quod in sua Conceptione præservata fuit ab originali labe*: Respondetque Doctor aut Baccalaureus, *Juro*.

§. LXXXVI.

Responsio Basileensium ad Eugenii Papæ decretum.

Conc. gen. Labb. to. 12. in epist. Synod. n. 15. p. 765.

Porro nec ad acerbum Eugenii Papæ decretum obmutescebant Basileenses, sed apologia contra illud, quod itidem non nisi invectivam appellabant, adornata ostendere nitebantur, propositiones a se definitas esse veras, ac jure Eugenium Papam, quem identidem nonnisi Gabrielem vocabant, exauctoratum. Cumque Eugenius ad enervandam Constantiensis Concilii auctoritatem eisdem exprobrasset, quod illius decreta de Superiori-

tate

tate Concilii, *per unam tantum ex tribus obedientiis post recessum Joannis XXIII. Constantiæ tunc schismate vigente condita fuerint*, ipsi hæc confutare aggressi, Eugenio objectant, quod subdolis tantum artibus Græcos Ferrariam pellexerit. Insuper Basileensium nonnulli Eugenii decretum velut hæreticum condemnandum esse conclamabant: Unde nova inter illos jurgia, acresque admodum altercationes exortæ, quarum tamen ardorem Joannes Segovienſis opportune sedavit, demonstrans, summi Pontificis decretum hæresis insimulare, rem esse majoris longe periculi, quam sibi persuaderent, *Maxima*, inquiebat ille, *est multitudo eorum, qui Eugenium ut Pontificem colunt, neque assentient ejus depositioni. In Congregatione illa Florentina adfuerunt Cardinales omnes, magnaque Prælatorum multitudo, cum fuit editum Decretum: Omnes igitur damnari, atque hæreticos censeri oporteret, si ejus Sessionis decreta hæretica censeantur: periculosumque nimis, si duæ futuræ obedientiæ, Eugenii scilicet, & novi Pontificis hæresim sibi invicem objiciunt.* Ergo hujus negotii decisionem quietiori tempori reservandam censuerunt, necquidquam obluctante Cardinale Arelatensi. Hæc itaque sunt, quæ in Congregatione Generali die septima Octobris agitata, & in proxima Sessione confirmata fuere.

Sæcul. XV. A.C.1439.

Acta Patricii art.97.tom. 13.Conc.1575

Sæcul. XV. A. C. 1439.

Joannes de Turrecremata Basileensium apologiam confutat, potissimus tamen sermonis ejusdem scopus ad Pontificis auctoritatem supra Concilia extollendam collimat, Romanumque Pontificem multis in casibus Concilium dissolvere, aut transferre posse pluribus comprobat argumentis (*).

§. LXXXVII.

Imperatoris postulata ad Basileenses de electione alterius Papæ differenda.

Eodem mense Octobri nonnulli Prælati ex vicinis Provinciis, præcipue ex Sabaudia Basileam venerunt, scilicet Archiepiscopus Tarentasiensis, Episcopus Bellicensis, & alii. Imperator datis ad Basileenses literis pariter in eos invehebatur, quod suas, aliorumque Principum preces & protestationes spreverint, ac contra eorum voluntatem Eugenio restiterint, eumque etiam exauctorare præsumpserint: simul vero, ut ab alterius Papæ electione abstinerent, eos adhortabatur, se enim proxime suos missurum Legatos

(*) *Quam justum sit Continuatoris judicium de prolixa Joannis de Turrecremata refutatione pronuntiatum, ex sola illius lectione ad oculum patebit.*

Legatos promittebat, ut eorum opera pax Pontificem inter & Basileenses pertractari posset. Sæcul. XV. A.C.1439.

§. LXXXVIII.

Cardinalis Arelatensis preces Imperatoris contemnendas suadet.

Verum Cardinalis Arelatensis insuperhabitis Imperatoris precibus identidem exponebat, omnem temporis dilationem perniciosam fore, nec amplius rem differendam, minus vero exspectandos Germanos, moram ex mora nectere solitos; bono Ecclesiæ, fidei puritati, & generalium Conciliorum auctoritati in tempore prospiciendum. Quinimo asserere haud dubitabat, se neminem timere, sed vitam suam pro defensione illius Ecclesiæ, quam Gabriel olim Eugenius tanta violentia aggrederetur, profundere paratum esse. Itaque die sexta Octobris triumviros nominari jussit, qui eos, quibus in Pontificis electione jus suffragandi esset, eligerent. Provincia hæc demandata est Abbati de Scotia, Joanni de Segovia, & Thomæ de Curcellis. Hæc ex Patricii actis discimus, rem vero aliis paululum verbis recenset Æneas Sylvius. *Patric. loc. cit.*

Sæcul. XV. A.C. 1439.

§. XXXIX.

Regulæ de electione futuri Pontificis.

Æn. Sylv. de gest. conc. lib. 2. in fascic.

Refert ille, in quadam Congregatione præprimis inter Basileenses concluſum esse, ex corpore Concilii triginta duos assumendos, qui unacum Cardinale Arelatensi conclave ingressi, novum Papam eligerent: Guilielmum tamen Archidiaconum Metensem aliam proposuisse viam, quæ ceteris quoque arrisisset, cum primam eligendi normam gravioribus obstaculis obnoxiam sentirent. Hujus ergo opinio esset, tres ex Synodo viros designandos, quibus novi Pontificis electio tuto committi posset; horum autem sententiæ omnino accedendum a reliquis; seligendos esse pro Triumvirorum istorum officio, Thomam Abbatem de Dunduno in Scotia, ex Ordine Cistercienſium, Joannem de Segovia, & Thomam de Curcellis Canonicum Ambianensem, omnes Theologiæ Doctores, quibus liberam etiam concedi facultatem petebat alios viginti novem nominandi, qui unacum illis ad Pontificis electionem concurrerent, ita tamen, ut omnium horum designatorum notitia nemini pateret, sed nonnisi pridie ad ingressum Conclavis manifesta fieret.

Igitur

Igitur tribus iſtis, ut ſupra diximus, nominatis plena data eſt poteſtas, eum, quem ceteris digniorem judicaſſent, in Papam eligendi, ſimulque alios juxta præſtitutum numerum ſecum aſſumendi electores, qui eandem cum ipſis poteſtatem, atque auctoritatem haberent. His ita diſpoſitis, in quadam Congregatione Generali hac ſuper re habita receptum eſt a prædictis tribus juramentum, quo ſeſe adſtringebant, ut nonniſi dignos nominarent. Interea cum hæc tractarentur, percrebuit fama, Baſileam ceſſante lue reviviſcere, ibidemque ſerio agi de Pontifice quantocius eligendo. Rei novitas Viros numero ac dignitate præclaros ex diverſis Regnorum finibus, multosque Prælatos Baſileam accivit. Sæcul. XV. A.C.1439.

§. XC.

Seſſio XXXVII. Baſileenſis Synodi.

Tres ergo illi ſic nominati, quos Æneas Sylvius *Triumviros* appellat, die vigeſima octava Menſis Octobris in Aſcenterio FF. Minorum convenerunt, Seſſionem trigeſimam ſeptimam celebraturi. In ea omnia impedimenta hucusque oppoſita, vel impoſterum opponenda, quæ futuræ electioni adverſari poſſent, nulla ac irrita declarabantur, decretumque, ut *Labbe Conc. to. 13. p. 623. & 624.*

Sæcul. XV. A.C. 1439.

ſecundum antiquiora ſtatuta electio futuri Pontificis in Concilio tantum, & non alibi fieret, ac per Cardinalem Arelatenſem Conventus Præſidem, & alios triginta duos, qui tam ex Prælatis, quam inferioris ordinis Eccleſiaſticis ad hoc ſeligerentur, perficeretur, nec illa valeret niſi ex tribus duæ partes in unum concurrerent. Præterea ſtatutum, ut iidem Electores ante ingreſſum Conclavis omnes ſimul ſacratiſſimam Euchariſtiam ſumerent, ac juramentum juxta decretum Seſſionis XXIII. præſtarent: renuntiatus vero in Pontificem ſui electionem acceptare teneretur, & ante omnia juraret, ſe firmiter creditum fidem Catholicam ſecundum traditionem Apoſtolorum, & Conciliorum Generalium, ac ſpeciatim pro viribus promoturum obſervantiam decretorum Conſtantienſis, & Baſileenſis Synodi, necnon proſecuturum electionum confirmationem. Poſtremo decreverunt, *omne cauſſarum, & litium exercitium præter audientiam Cameræ a die, quo deputati intrabunt Conclave, ſuſpendendum eſſe.*

§. XCI.

Novi Pontificis Electores nominati.

Nil jam reliquum eſſe videbatur, quam ſeligere eos, qui in ſocios futuræ electionis Pontificiæ Triumviris jam antea nomina-

nominatis adjungi deberent: verum hac die nihil concluſum fuiſſe deprehendimus. Poſtera autem die, tribus iſtis deputatis in unum convenientibus, Cardinalis Arelatenſis, cujus tamen præſentia ceteros prævenire debuiſſet, intereſſe nimium cunctatus eſt. Tandem adveniens, & moram ſuam purgans, de gravitate imminentis negotii ſermonem fecit; *Hodie*, inquit, *magna res agitur, in nominatione quæ ſtatim aperietur, ſalus Eccleſiæ* (*) *pendet.* Hæc verba vultu ad triſtitiam compoſito, animoque turbato enunciabat; verebatur enim, ne tres Electores, ſpretis majoribus Prælatis, quosdam ex ſecundi ordinis Præſulibus ſeligerent, quo contemptu primi gradus Sacerdotes abs dubio ad iram graviter provocarentur. Hæc res ei majorem identidem ſuſpicionem ingeſſerat, cum nihil hactenus de Trium virorum mente expiſcari potuiſſet, utpote qui inviolabile ſilentium ſervabant, & aliunde quinam ab eis deſignarentur, omnino ignotum eſſet.

Abbas de Scotia, & Joannes Segovienſis mœroris, quo afficiebatur Cardinalis,

Sæcul. XV. A.C. 1439.

Æn. Sylv. de geſt. Conc. Baſil. lib. 2. p. 42.

(*) Æneas Sylvius habet: *Salus omnium noſtrum*, num vero ſalus Eccleſiæ perinde ſit, ac Baſileenſium ſalus, Lector dijudicabit.

Sæcul. XV. A.C. 1439.

nalis, cauſſam facile agnoſcebant; hinc animo fractum erigere, metuque eximere laborabant. Cumque ex prætenſi eorum contemptu, qui ab Electorum numero excluderentur, nonnulla oriri obſtacula timeretur, Segovienſis ea omnia ſubmovebat, ac ſine hæſitatione aſſeverabat: neceſſaria pro futuro conclavi pararentur; res enim abs dubio ex ſententia ſucceſſura eſſet. Ergo Triumviri ad electionem illorum, qui eis adjungerentur, procedebant, atque undecim nominabant Epiſcopos, qui computato Cardinale Arelatenſi duodenarium explerent numerum, ad imitationem, inquit Æneas Sylvius, Collegii Apoſtolorum. Præterea deſignabant ſeptem Abbates, quinque Theologos, & novem Doctores, quibuscum alii quoque nominati ſunt Conclavis Miniſtri, Vicecamerarius quidem unus, cuſtodes octo, præter Cæremoniarum Clericos duos, totidem Promotores, & Procuratorem Fiſcalem unum. In hac electione nec Ordinis, nec præcellentiæ Nationum habita eſt ratio. Ex Italica natione ſeligebantur Guillelmus, qui Vercellis quidem Epiſcopus, ex Galliis vero oriundus erat; Georgius Auguſtenſis Epiſcopus ex Salutiarum Familia, & alius quidam Epiſcopus nomine Joannes unacum Ludovico Taurinenſi Abbates fuerant, Aletanius S. Benigni

& alii; Ex classe Doctorum, Nicolaus Thibout Normannus, & Joannes de Valle Brito; Ex Juris peritis, Guilielmus Hugonis Archidiaconus Metensis; Ex Germanica Natione, Fridericus Basileensis Episcopus, Conradus de Lucella, Cistercienſium Abbas, Detslaus Polonus Archidiaconus Cracovienſis, Joannes Wyler Basileensis Decanus, & Jacobus de Salisburgo Ratisbonensis Canonicus. Hispanos inter numerabantur Episcopi octo, & nonnulli Doctores ex Castella, Navarra, & Arragonia (*). Sæcul. XV. A.C.1439.

§. XCII.

Sessio XXXVIII. Basileensis Concilii.

Cardinalis Arelatensis, cum hanc nominationem ceteris probari intelligeret, dissipato angore sereniorem induit faciem, prudensque Triumvirorum consilium, selectumque ad astra usque extulit, tandem- *Labb. Conc. to. 13. p. 629. 633. & seq.*

(*) *Non pigeat Lectorem ex Spondano Baronii continuatore ad hunc annum num.* 42. *dotos in hac Nationum designatione a Basileensibus commissos addiscere, & Poggium Florentinum in invect. in Antip.* pag. 56. *apud Odoricum Raynaldum adhunc annum num.* 34. *consulere, qui horum electorum fraudulentam indolem egregie describit.*

Secul. XV. A.C.1439.

tandemque congregatos dimisit, ut ad Sessionem trigesimam octavam, quæ trigesima Octobris celebrata est, procedere possent. In ea Sessione non modo decretum adversus *invectivam*, ut vocabant, Eugenii Papæ, sed etiam futuri Papæ Electores a tribus Deputatis seu Triumviris designatos confirmabant. Rem divinam fecit Cardinalis Arelatensis, qui qua lecto sacro Evangelio alius sermonem habuit, qui, postquam prolixa criminationum adversus Eugenium motarum enarratione adstantium aures fatigaverat, adhortatus est Electores, ut Papam a Prædecessore prorsus diversum, ac pietate, & singulari erga Ecclesiam studio illustrem eligerent. Cardinalis Præses sumpta sacratissima Eucharistia ceteris quoque futuræ electionis sociis ordine suo Corpus Dominicum distribuit, primis ad sacram Cœnam accedentibus Archiepiscopo Tarantasiensi, & aliis decem Episcopis, quos Abbates, ac ceteri sequebantur.

§. XCIII.

Responsio ad decretum Eugenii adversus Synodum.

Peracto sacro solemni, & omnibus Prælatis Pontificio apparatu ornatis, Ludovicus Episcopus Lausanensis, ambone con-

Sæcul. XV. A.C.1439.

conſcenſo, tria ordine ſuo perlegit. I. Reſponſionem Synodalem ad libellum Eugenii, quem nonniſi Gabrielem nominabant. II. Limitationem quamdam circa decretum de electionibus ſancitum. III. Triumvirorum nominationem, quam Synodus approbavit, quibus perlectis omnes reſponderunt ; *Placet*. Poſthæc idem Lauſanenſis formulam jurisjurandi, quod Suffragantes præſtarent, publice recitari poſtulavit, quo facto omnes jurarunt, præeunte ceteros Arelatenſi Cardinale.

§. XCIV.

Electores pro Pontificis nominatione Conclave ingreſſi.

Præſtito ab omnibus juramento, ac tertia diei pomeridiana, cum omnes adhucdum jejuni eſſent, hymnum *Te Deum* intonarunt, quo decantato Electores inſtructo agmine procedentes, conclave ingreſſi ſunt, ſequebantur etiam Officiales ad horum miniſterium deſtinati. Oſtium conclavis nonniſi nona ſerotina occludebatur, ut interea ad victum neceſſaria, necnon reliqua ſuppellex eo commodius inferri poſſet. Æneas Sylvius, qui & ipſe interfuit Cæremoniarum Clerici munere functus, conclavis locum fuſe ac graphice deſcribit, narratque illum fuiſſe domum

Æn. Sylv. de geſt. Conc. Baſil. in faſc. l. 2. p. 46.

Sæcul. XV. A.C.1439.

domum in foro urbis e regione Eccleſiæ Cathedralis, in loco edito ac patenti ſitam, quæ pluribus ſat amplis inſtructa tricliniis, antehac choreis ducendis dedicata fuerat. Delineat quoque anguſtas illas cameras juxta numerum Electorum diſtinctas, necnon cibariorum qualitatem, & ea Electoribus ſubminiſtrandi modum recenſet. In mediis eorum cellulis tanta erat, inquit, obſcuritas, ut ad plenam meridiem candelas accendere oporteret, præterea eorum cubicula in ſolo frigidiſſimo, & adeo humido poſita erant, ut rheumatico morbo correpti identidem tuſſientes, novis mali accessionibus graviter affligerentur.

§. XCV.

Modus & ſeries Scrutinii.

Poſtera die primo diluculo omnes Electores Miſſæ ſacrificio adſtiterunt, quo peracto, & decantato Spiritus Sancti hymno, ad ſcrutinium, quod per ſchedulas factum eſt, proceſſerunt. In loco, ubi & Cardinalis Arelatenſis, & Vicentini Epiſcopi, aliorumque novem cellæ erant, ex utroque latere ſedilia diſponebantur. In ſummitate loci poſita erat ara, coram qua ſedebat Cardinalis Præſes, cujus dextrum latus Archiepiſcopus Tarantaſienſis, ſiniſtrum Dertuſenſis

Epiſcopus

Episcopus tenebant, ac suo quisque ordine hinc atque inde reliqui Electores sedes occupabant. Ante Cardinalis faciem posita erat mensa, & super illam pelvis ex argento confecta, in quam Electorum quilibet suam jaciebat schedulam, quas sigillatim postmodum extraxit, legitque Cardinalis, aliis quatuor Electoribus nomen electi signantibus. Scheda scrutinii hunc in modum scripta erat: *Ego N. Episcopus . . . in Romanum Pontificem eligo N.* cui schedulæ duorum omnino nomina inscribere liberum erat, singuli tamen Electores schedulas suas proprio muniebant sigillo, collusionis periculo obviaturi. Lectis igitur schedulis, scriptisque eorum nominibus, qui ad Pontificatum eligebantur, suffragia colligebantur, quæ postmodum igne consumpta fuere. In prima votorum inspectione, quam *scrutinium* vocant, compertum erat, septendecim omnino ad pontificatum ex variis Nationibus nominatos esse, quorum tamen neuter ad validam Papæ electionem legitima habebat suffragia; potiora tamen ceteris tulisse deprehenderunt Amadeum Sabaudiæ Ducem, Decanum Equitum S. Mauritii ad Ripalliam, Genevensis Diœcesis, sexdecim in eundem solum concurrentibus. Hora post meridiem tertia conventus habebatur, necnon in vitam, moresque eorum, qui Sæcul. XV. A.C. 1439.

Sæcul. XV. A. C. 1439.

nominati fuerant, inquirebatur, ubi prout quisque privato regebatur ſtudio, electo aut extulit, aut depreſſit. Verum auctis indies Amadæi fautoribus, ipſe ſolus in alia ſuffragiorum promulgatione die quarto Novembris habita novemdecim, in alio ſcrutinio viginti & unum, totidemque in tertio tulit. Cum vero ex Patrum præſcripto ad electionis valorem duarum ex tribus partium concurſus requireretur, & nonniſi unum deeſſet ſuffragium, ideo combuſtis ſchedulis, rurſus ad novam electionem proceſſerunt.

§. XCVI.

Inquiſitio in vitam & mores Amadæi Sabaudiæ Ducis.

Cardinalis Arelatenſis, cum ab unius ſuffragantis calculo proximam electi ſortem dependere intelligeret, decretis ſupplicationibus Deum exorari præcepit, ut Electorum ſuffragia, & animos charitate conjungere, & Eccleſiæ ſuæ regimini Virum pietate, ac zelo inſignem præficere dignaretur. Cumque Amadæus præ aliis ad id muneris deligendus videretur, ſtudioſius in vitam, moresque illius inquiri cæptum eſt. Nonnulli homini laico manus cito imponendas negabant, indignumque reputabant, Principem

pem sæculi uno quasi saltu ad supremam Ecclesiæ dignitatem eluctari. Alii Virum quondam connubio junctum, ex quo etiam liberos suscepisset, ineptum summo sacerdotio existimabant. Alii hominem rerum Ecclesiasticarum inexpertum, nec Doctorem, nec scientiis sacratioribus instructum esse dicebant. Ex adverso Amadæi fautores cuncta ista eludere conantes reponebant, Ducem non equidem esse Doctorem, bene tamen doctum, qui jam a primis unguiculis Musis sese devovisset; singulari morum integritate conspicuum, in publicis pietatis exercitiis assiduum, divinum officium, etsi Laicus esset, singulis diebus recitare solitum. Nec illos, qui quondam uxores habuissent, a Sacerdotio arcendos esse, ex veterum testimonio comprobatum ibant, eoquod & illi, qui adhucdum uxoribus adhærerent, facta tamen ex mutuo consensu separatione olim ad hunc dignitatis apicem evecti fuissent. Sæcul. XV. A.C. 1439.

§. XCVII.

Amadæus Sabaudiæ Dux in Papam electus.

Denique nonnulli Amadæum tanta Elogiorum amplitudine extulerunt, ut etiam illorum animos, qui prius eidem minus favebant, attraherent; unde is per

Sæcul. XV A.C. 1439

viginti sex suffragia die quinta Novembris Papa renuntiatus fuit. Eventus iste ab adstantibus summis lætitiæ signis accipiebatur, atque illico vocabantur Notarii, & testes, qui publicum electionis factæ instrumentum conficerent. Denique Amadæus hora prima pomeridiana ex conclavis fenestra Pontifex proclamabatur, & Cardinalis Arelatensis nomen illius confluenti populo denunciabat. Post hæc omnes Electores circa horam tertiam sacris vestibus induti, e conclavi progrediebantur, atque a Clero, qui ea ante conclavis januam expectabat, ad Cathedralem Ecclesiam deducebantur. Eousque Æneas Sylvius duos suos libros de gestis Basileensis Concilii perduxit.

§. XCVIII.

Sessio XXXIX. Concilii Basileensis, in qua Amadæi electio confirmatur.

Basileenses die decima septima Novembris celebrabant Sessionem trigesimam nonam, in qua Amadæi electionem confirmantes declarabant, *eundem absque ulla exceptione ab universali Ecclesia reputari debere electum in summum, & Romanum Pontificem.* Postea deligebantur Legati, qui Amadæo suæ electionis nuntium deferrent, atque illum, ut eandem ratam

Aug. Patric. hist. Concil. Basil. & Florent. n. 103. p. 1580. ex tom. 12. Conc. p. 636.

ratam haberet, inducerent. Hi erant Cardinalis Arelatensis Synodi Præses, septem Episcopi, tres Abbates, quatuordecim Doctores, unacum Comite de Tierstein Protectoris vices agente, omnes numero viginti quinque. Digrediebantur Basilea die undecima Decembris, nonnisi tamen vigesima ejusdem Mensis Ripaliam veniebant. Ipsemet Amadæus Legatis obviam sese intulit, Eremitis, atque familiaribus suis stipatus. Legati vero adventus sui causſam quidem exponebant, Synodi tamen literas nondum eidem porrigebant, nec ipsius assensum sollicitabant, sed alia duntaxat die audiri postulabant, quod & ipsis triduo post concessum. Sæcul. XV. A.C.1439.

§. XCIX.

Basileensium Legati ab Amadæo ad alloquium admissi.

Hoc temporis intervallo ii, qui Duci a consiliis erant, quædam postulata Legatis exponebant, præprimis ergo Jurisjurandi sacramentum, quod Amadæus præstaret, emendari petebant: dein postulabant, ut habitu & barba, quam satis promissam Eremitarum more gestabat, adhucdum ei uti liceret, nec illius nomen mutaretur. Respondebant Legati. I. Sibi quicquam juramento addere,

Sæcul. XV. A. C. 1439.

vel demere, omnino liberum non esse, utpote quæ facultas soli Synodo reservata foret. II. Necessarium esse, Amadæum mox dato in sui electionem consensu, vestibus supremæ suæ dignitati consonis ornari, ut summi Pontificatus possessionem accepisse monstaret. III. Ducis nomen commutandum esse, cum id exigeret antiquissimus Romanæ Ecclesiæ usus, ac ipsemet Christus Dominus, qui sancti Petri nomen mutasset. Nihilominus barbam juxta normam a Pontificibus gestari solitam tum nullatenus sibi radi voluit, quocirca Legati ad tempus in hoc Amadeo cesserunt.

§. C.

Nomen Felicis V assumit.

Postquam igitur dies nominatus illuxerat, Legati ad alloquium confestim admissi, nomine Concilii Amadeo Duci electionis suæ literas offerebant, ac diu reluctantem tandem permovebant, ut Ecclesiæ clavum, invitus licet, & plurimis obortis lacrimis susciperet; emisso juramento, electoque sibi nomine *Felicis* Quinti. Induebatur mox ornamentis Pontificalibus, nequaquam tamen barbam, quam satis prolixam nutriebat, sibi tonderi passus, sed eam more suo, conniventibus ceteris, aliquamdiu gestavit. Consecrabatur

tur postmodum a Cardinale Arelatensi, ei- Sæcul. XV.
que Piscatoris annulus consignatus, quo A. C. 1439.
facto ab adstantibus in Ecclesia Monasterii ad S. Mauritium Pontifex salutatus, solio impositus est. Postera die relicta Ripalia Tunonium petiit, ut ibidem Pontificiæ dignitatis munia obiret, ubi sacris quoque solemniis in vigilia nativitatis Dominicæ interfuit: Cum vero plurimis promissior Papæ barba satis ridicula videretur, & ipse ob rei novitatem, quæ Pontificia Majestate indigna esset, a pluribus illuderetur, eam sibi abradi permisit.

§. CI.

Septendecim Cardinales ab Eugenio Papa creati.

Interea Eugenius Papa, ubi novam Pontificis electionem perceperat, Legum severitate in Felicem animadvertere decrevit. Quapropter illum hæreticum, atque schismaticum, ejusdem vero electores, fautores, & assecias, nisi intra quinquaginta dierum spatium ab eo desicerent, anathematis pœnæ obnoxios declaravit. Ex adverso Basileenses cuncta, quæ ab Eugenio decreta erant, in irritum revocabant, atque eis morem geri prohibebant. Hic vero, ut suorum numerum augeret, Virosque sibi accerseret,

Sæcul. XV. A.C. 1439.

qui Felicem, & Basileense Concilium impugnarent, Florentiæ in Synodo, ac publico Purpuratorum Senatu die decima octava Decembris septendecim creavit Cardinales ex omnibus ferme Nationibus selectos, quos inter præcipui erant duo Græci, qui post peractam unionem remanserant in Italia; scilicet Isidorus Thessalonicensis Monachus sancti Basilii Archiepiscopus Ruthenus, & Bessarion Metropolita Nicænus; Ceterorum Cardinalium nomina erant Reginaldus de Carnuto natione Gallus Archiepiscopus Rhemensis, & Francorum Regis Cancellarius; Ludovicus de Lucemburgo Rothomagensis Archiepiscopus, & Regis Angliæ Cancellarius; Joannes Juvenis natione Picardus, qui legatione Philippi Burgundiæ Ducis in Concilio Florentino sub nomine Episcopi Morinensis functus est; Sbigneus natione Polonus Episcopus Cracovienſis, quem Felix quoque anno sequenti Cardinalem nominavit, & ob dignitatis hujus splendorem suæ factioni accessurum sperabat, bene gnarus, hunc Polonum nec Eugenio, nec Felici aperte adhærere; Præter hos creavit Antonium Martini de Clavibus Episcopum Lusitaniæ; ex Germania Petrum Schombergum Episcopum Augustanum; Dionysium de Zeech Archiepiscopum Strigonienſem in Hungaria. Denique Joan-

Joannem de Turrecremata Hiſpanum Ordinis Prædicatorum, & ſacri Palatii Magiſtrum, qui Eugenii partes, atque auctoritatem egregie tuebatur. Sæcul. XV. A. C. 1439.

§. CII.

Res Armenorum cum Eugenio Papa.

Conſtantini Armenorum Patriarchæ Oratores, quos in menſe Septembri ante Græcorum diſceſſum Florentiam adventaſſe, jam alibi memoravimus, non niſi menſe Novembri Eugenio ſummo Pontifici ſuas publicæ fidei ac mandati literas offerebant. Dabantur illæ die vigeſima quinta Julii anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octavo, & habentur Synodi actis inſertæ. Hac Legatione Viros numero quatuor functos eſſe conſtat, quos inter ſolus Joachimus Epiſcopali dignitate fulſiſſe refertur, ceterorum trium nomina erant Sarchis, Marcus, & Thomas. Eugenius poſtquam Synodum Oecumenicam celebrandam eorum Patriarchæ ſignificabat, eosdem ad unionem cum Romana Eccleſia adhortatus eſt, quam ob rem Patriarcha præfatos Doctores ad eam ablegavit, qui cum adveniſſent, Eugenius tres Cardinales, ſcilicet Oſtienſem, S. Crucis, & S. Sabinæ, qui idem eſt ac Cardinalis Julianus, delegit, ut cum Armenis de rebus fidei diſſererent. *Conc. gener. part. 3. Conc. Florent. pag. 1198. to. 13.*

Sæcul. XV. A. C. 1439.

rent. Hi pluribus propositis quæstionibus inquirebant de eorum fide, præcipue circa unitatem essentiæ, Trinitatem Personarum, Humanitatem Christi Domini, septem Ecclesiæ Sacramenta, aliosque articulos, qui fidem orthodoxam & universalis Ecclesiæ ritus concernunt. Post multas disceptationes, & post accuratissimam rerum cum Armenis discussionem visum fuit summo Pontifici sub quodam brevi compendio, ut ipsemet loquitur, orthodoxæ fidei veritatem, quam Romana profitetur Ecclesia, illis tradere, *ut nulla in futurum de fidei veritate apud ipsos Armenos hæsitatio esse valeat, atque idem per omnia sapiant cum Sede Apostolica, unique ipsa stabilis, & perpetua sine ullo scrupulo perseveret.*

§. CIII.

Sessio II Florentinæ Synodi post discessum Græcorum.

Labbe Conc. tom. 13. p. 1580. in actis Patric.

Græcis jamjam in Patriam digressis, die vigesima secunda Novembris habita est Florentiæ sessio secunda, cui intererant summus Pontifex Eugenius, ceteraque omnes Cardinales, atque Prælati adhucdum in urbe commorantes; non pauci enim post Græcorum discessum alio profecti sunt. In hac ergo Sessione publicatum est Decretum de Armenorum unio-

unione cum Ecclesia Romana, quod Papa ab illis Psalmistæ verbis auspicabatur: *Exultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob. Ps.* 80. *v.* 1. Cum vero hujus decreti inscriptio nonnisi Eugenii Papæ nomen præseferat, plures illud tanquam a Synodo Oecumenica non emanatum carpunt. Hujus sententiæ fuisse constat Patrem Alexandrum, & cum illo sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis Magistros. Argumenta, quæ in opinionis suæ subsidium præfatus Auctor allegat, ejusmodi sunt. I. Quia *aberat Ecclesiæ pars altera, nimirum Orientalis*: Cum tamen *Patriarcharum omnium*, inquit ille, *per se vel per Legatos præsentia ad Synodum Oecumenicam necessaria sit.* II. Quia Papa *nullam Orientalis Ecclesiæ mentionem facit*, prout tamen fecit in Decreto unionis Græcorum. III. Denique, quia Orientalis Prælati *huic Decreto non subscripsissent, eoquod ritus in Ecclesia Græca non usurpatos, nec receptos tradat, præsertim Sacramentorum Confirmationis & ordinis* (*). Summam præfati Decreti de Armenorum unione in præsentiarum exhibemus.

Sæcul. XV. A. C. 1439.

P. Alexand. part. 3. *sæc. XV & XVI Diss.* 10. *art.* 3.

§. CIV.

(*) *Hanc Natalis sententiam ex propriis ipsius principiis satis superque confutavit Pater Rontaglia in suis Animadversionibus in Concilium Basileense* §. 3. *in editione Lucensi Historiæ dicti P. Alexandri Natalis. fol.* 613.

Sæcul. XV.
A. C. 1439.

§. CIV.

Decretum Eugenii Papæ de Armenorum unione.

Labbe Conc. to. 13. p. 559.

Primo igitur Pontifex Armenis præscribit, quod Symbolum Concilii Constantinopolitani cum additione *Filioque* in Ecclesiis suis, Dominicis ac festivis diebus decantent. II. Præcepit, ut teneant definitionem quarti Concilii Oecumenici Chalcedonensis de duabus naturis in una Christi Persona, quæ doctrina in V. & VI. Synodo innovata ac confirmata est. In eodem loco divinitatem Spiritus sancti, auctoritatem Epistolarum Synodalium S. Cyrilli Alexandrini ad Nestorium & Orientales, necnon Epistolæ S. Leonis Papæ ad Flavianum contra Eutychetis hæresin, & veritatem Incarnati Verbi divini corroborat. III. Monet illos, ut observent definitionem de duabus Voluntatibus, duabusque Christi operationibus juxta sextam Oecumenicam Synodum. IV. Ostendit Papa, etiam Chalcedonensem Synodum auctoritate Sancti Leonis congregatam, in qua præfatus Sanctus Pontifex duas Christi Domini naturas in unius Personæ unitate adversus nefaria Nestorii, & Eutychetis dogmata sancte & recte definivit, ab eis esse acceptandam; hucusque enim Armeni præter prima tria Generalia Concilia, Nicænum, Constanti-

stantinopolitanum, & Ephesinum nullum aliud posterius receperant. Præterea eis injungebat, *ut ipsum Papam Leonem tanquam sanctum & in Catalogo Sanctorum merito descriptum; de cetero reputent & venerentur, atque omnes alias universales Synodos auctoritate Romani Pontificis legitime celebratas, sicut & ceteri fideles, reverenter suscipiant.* Sæcul. XV. A. C. 1439.

Demum materiam de sacramentis Ecclesiæ in suo decreto exponit, illorumque septenarium numerum definit, discrimen horum a sacramentis antiquæ legis, necnon diversitatem effectuum, quos in anima producunt, explicat, subjungens, *hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet materia, forma & persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Inter hæc sacramenta tria sunt, Baptismus, confirmatio, & Ordo, quæ characterem imprimunt, signum in anima indelebile. Unde in eadem Persona non reiterantur.* De Baptimi dogmate differens, illius materiam & formam exponit, nec illam Græcorum rejicit, sed validam agnoscit, docetque, in casu necessitatis quemlibet baptizare posse, *dummodo servet Ecclesiæ formam, & facere intendat, quod facit Ecclesia;* hujus autem sacramenti effectum præcipuum esse, *remissionem omnis culpæ originalis & actualis, omnisque pœnæ.*

De

Sæcul. XV. A. C. 1439.

De Sacramento Confirmationis declarat, quod illius materia sit chrisma ex oleo & balsamo, forma vero in illis verbis consistat: *Signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Ordinarius minister sit Episcopus, cum de solis Apostolis in sacra Scriptura legeretur quod per manus impositionem Spiritum sanctum dederint. Nihilominus, quamvis hoc Sacramentum nonnisi per solos Episcopos conferri debeat, nonnunquam tamen per Apostolicæ sedis dispensationem in casu necessitatis simplices Presbyteros chrismate per Episcopum consecto illud administrasse ait. Effectus autem hujus Sacramenti est, *quod in eo detur Spiritus sanctus ad robur sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet Christianus hoc sacramentum recipiens audacter Christi nomen confiteatur.* Ceterum loco impositionis manuum, de qua in hoc decreto mentio fit, hodie in Ecclesia habetur Confirmatio, ad cujus tamen valorem, impositionem quoque tanquam materiam hujus Sacramento essentialem unacum chrismatis delibutione accedere debere, minime dubium est: inter Theologos tamen adhucdum quæstio agitatur, utrum unctio sit materia essentialis, & an non confirmationis Sacramentum fuerit olim collatum per solam manuum impositionem.

Aſt Hiſtoricum ago, & ea lege Theologiæ arcana penetrare prohibeor. Sæcul. XV. A. C. 1439.

Tertium eſt Euchariſtiæ Sacramentum, cujus materia eſt panis triticeus, & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet, quia juxta teſtimonia ſanctorum Patrum ac Doctorum Eccleſiæ ipſum Dominum in vino aqua permixto hoc inſtituiſſe ſacramentum creditur, & quia utrumque, id eſt, ſanguis & aqua ex latere Chriſti profluxiſſe legitur, tum etiam quod magis convenit ad ſignificandum hujus Sacramenti effectum, qui eſt unio populi Chriſtiani ad caput ſuum, qui eſt Chriſtus JEſus. Quocirca hoc Decretum Armenis præcipit, ut in calicis oblatione paululum aquæ admiſceant vino. *Forma hujus Sacramenti ſunt verba Salvatoris, quorum virtute ſubſtantia panis in Corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem convertuntur: ita tamen, ut totus Chriſtus contineatur ſub ſpecie panis, & totus ſub ſpecie vini, ſub qualibet quoque parte hoſtiæ conſecratæ, & vini conſecrati, ſeparatione facta. Totius Chriſtus hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur, digne ſumentis eſt adunatio hominis ad Chriſtum.*

Quartum Sacramentum eſt Pœnitentia, cujus quaſi materia ſunt actus pœnitentis; ideo nempe Decretum utitur particula *quaſi*, quia ad cujuslibet Sacramenti eſſentiam haud neceſſaria eſt materia ſenſibilis, & permanens, ſed illius loco ſufficit

Sæcul. XV. A. C. 1439.

cit alia res, ſigno tamen exteriore manifeſtata. Tres autem enumerantur actus pœnitentis, *cordis contritio, quæ eſt dolor de peccatis commiſſis cum firmo propoſito non peccandi de cetero*, oris confeſſio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, Sacerdoti, vel ſuo Parocho integre confiteatur, denique *ſatisfactio pro peccatis ſecundum judicium Sacerdotis, quæ præcipue fit per orationem, jejunium, & eleemoſynam. Forma hujus Sacramenti ſunt verba abſolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit: Ego te abſolvo &c.* Miniſter vero eſt Epiſcopus & Sacerdos, quibus ſolis data eſt peccata remittendi poteſtas; hunc tamen Miniſtrum poteſtate abſolvendi vel ordinaria, vel ſibi a Superiore delegata præditum eſſe oportet. Tandem effectus hujus Sacramenti eſt remiſſio & abſolutio a peccatis.

Quintum Sacramentum eſt extrema unctio, cujus materia eſt oleum olivæ per Epiſcopum benedictum. Hoc Sacramentum nonniſi infirmo, de cujus morte timetur, dari debet; qui ungendus eſt in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum & locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem, cujus tamen poſtremæ unctionis uſus in pluribus Eccleſiis exolevit. Forma eſt ejusmodi:

Per

Sæcul. XV. A.C. 1439.

Per istam unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum, auditum, tactum &c. commisisti, in Nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Minister hujus Sacramenti est Sacerdos: effectus vero est mentis sanatio, & in quantum expedit, ipsius etiam corporis, quemadmodum inquit beatus Jacobus Apostolus in sua Epistola cap. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.*

Sextum est Sacramentum Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo; sicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino & patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus vero per libri Evangeliorum: Subdiaconatus per Calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem, & similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma Sacerdotii talis est: Accipite potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & sic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur.

Ordinarius Minister hujus Sacramenti est Episcopus, & effectus illius augmentum gratiæ, ut quis sit idoneus Minister. Attamen

Sæcul. XV. A. C. 1439.

men non multum a vero abludere videtur eorum opinio, qui tribus majoribus Ordinibus unicam essentialem materiam assignant, impositionem scilicet manuum, ea ducti ratione, quod illa tam Orientali, quam Occidentali Ecclesiæ communis esset. Huic Occidentalis instrumentorum traditionem adjunxit, quorum tamen usus in Ecclesia Græca non obtinuit, proin nonnisi accidentalis materia censetur, sicut ceteræ sunt cæremoniæ in susceptione S. Ordinum adhiberi solitæ. Nulla tamen in præfato Decreto hujus impositionis mentio fit, unde illud Græcos recipere noluisse, argumento est, & hac de re Decretum unionis cum Græcis conclusæ nihil meminisse, jam supra diximus.

Septimum est Sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi & Ecclesiæ secundum Apostolum dicentem ad Ephes. 5. *SACRAMENTUM HOC MAGNUM EST, EGO AUTEM DICO, IN CHRISTO ET ECCLESIA. Causa efficiens illius est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Postea Decretum assignat *triplex bonum Matrimonii. Primum est proles suscipienda, & educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas matrimonii, propter quod significat indivisibilem conjunctionem*

nam

nem Christi & Ecclesiæ. Quamvis autem ex causſa fornicationis liceat thori ſeparationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas eſt, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum ſit. Sæcul. XV. A. C. 1439.

Hoc Decretum diſertis ſaltem verbis nec materiam, nec hujus Sacramenti Miniſtrum deſignat. Nonnullorum tamen Theologorum ſententia tenet, hujus Sacramenti materiam eſſe verba ſeu ſigna exprimentia conſenſum, quo contrahentes ſibi mutuo ſua corpora tradunt: Formam vero dicunt mutuam acceptationem, qua contrahentium quilibet alterius voluntatem, & conſenſum ratum habet, cum vero ipſimet contrahentes acceptent, atque materiam & formam ſibimetipſis miniſtrent, hi quoque, horum Theologorum judicio, Sacramenti hujus Miniſtri ſunt. Igitur juxta ipſos Parochus nonniſi neceſſarius hujus Sacramenti teſtis, non vero Miniſter eſt. Quinimo ante Tridentinam Synodum nequidem neceſſarius teſtis erat; Matrimonia enim clandeſtina, ſeu contracta ſine præſentia Parochi, quæ præfatum Concilium nulla ac irrita declaravit, certe ante hujusmodi deciſionem valida erant; Tenent tamen Theologorum nonnulli, quibus accenſendus eſt Eſtius, longe probabilius eſſe, Parochum tanquam verum Sacramenti Matrimonii Miniſtrum eidem aſſi-

Secul. XV. A. C. 1439.

ſtere, atque ideo pro hujus Sacramenti materia aſſignant mutuam traditionem corporum, quæ ad generationem prolis a contrahentibus fit; formam vero esse dicunt verba Parochi has nuptias benedicentis, Miniſtrum autem Parochum hanc Benedictionem enuntiantem. Præterea in eodem hoc Decreto Armenis etiam Symbolum, quod S. Athanaſio adſcribitur, & ipſum decretum unionis cum Græcis in ſacro Florentino Concilio promulgatum traditur. Poſtremo tandem certi ac fixi præſcribuntur dies, in quibus eodem nobiscum ritu quasdam celebrarent feſtivitates, has inter erant feſta Annuntiationis B. Mariæ die vigeſima quinta Martii, Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ vigeſima quarta Junii, Nativitatis vero Salvatoris noſtri vigeſima quinta Decembris, Circumciſionis ejusdem prima Januarii, Epiphaniæ ſexta ejusdem menſis, Præſentationis Domini in templo ſeu Purificationis Dei Genitricis ſecunda Februarii. His omnibus ita explicatis, atque ſtatutis Armenorum Oratores tam proprio, quam Patriarchæ ſui, ſuorumque popularium nomine, *hoc ſaluberrimum Synodale Decretum cum omnibus ſuis capitulis, declarationibus, definitionibus, traditionibus, præceptis, & ſtatutis, omnemque doctrinam in ipſo deſcriptam, necnon quidquid tenet & docet ſan-*

ta

ta Sedes Apostolica & Romana Ecclesia, cum omni devotione, & obedientia acceptant, suscipiunt, & amplectuntur. Illos quoque Doctores, & sanctos Patres, quos Ecclesia Romana approbat, ipsi reverenter suscipiunt: quascunque vero Personas *& dogmata Romana Ecclesia damnat & reprobat, ipsi pro reprobatis & damnatis habent.* En totam hujus Decreti summam, quod tamen Auctorum nonnulli tanquam Synodi Florentini decretum non reverentur, sed nonnisi Eugenii Papæ decretum respiciunt, eoquod duntaxat inscriptionis verba attendant. Ex adverso, qui huic Synodo favent, illam quoque triennio post Græcorum discessum omnino legitimam, & Oecumenicam adhuc fuisse affirmant, maxime quia Eugenius cum Patribus Latinis adhucdum de tollendo schismate, quod in Germania gliscebat, consultare ac decernere perexit. Hæc sententia robur consequitur ex ipsis Tridentini Concilii actis, quæ in arce S. Angeli Romæ asservantur, ubi legitur, „quod die vigesima „sexta Februarii Anno salutis millesimo „quingentesimo quadragesimo septimo „Episcopus Clodiensis in Congregatione „Generali de Bulla unionis Jacobitarum, „de qua infra ad annum millesimum qua„dringentesimum quadragesimum primum „sermo redibit, dubium excitasset, quasi ea „a Concilio Florentino non emanasset; eo-

Sæcul. XV. A. C. 1430.

Sæcul. XV. A.C. 1439.

„quod illo Anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo nono, quo anno decretum „unionis Græcorum datum & conſignatum fuit, abſolutum eſſet; ad hanc autem „difficultatem Cardinalem de Monte Tridentinæ Synodi Præſidem dixiſſe fertur: *Hallucinari eos, qui putant finem Concilii Florentini fuiſſe unionem Græcorum, cum longe poſt per tres ſcilicet fere annos perduraverit usque ad annum Domini milleſimum quadringenteſimum quadrageſimum ſecundum, quo anno celebrata Seſſione ultima die vigeſima ſexta Maji Romam translatum fuit* (*).

§. CV.

Alberti Imperatoris obitus.

Albertus Imperator, cum hoc anno die vigeſima ſeptima Octobris Buda Viennam remearet in quadam Villa, quæ Longa dicitur, extremum diem clauſit. Nil antiquius habuit, quam ſedare tempeſtatum fluctus, quibus Eccleſiæ navis undique jactabatur. Verum pia ejus conſilia intercepit Amurates II. Turcarum Imperator, qui validiſſimo exercitu Hungariam invadere meditabatur. Hujus itaque molitionibus, ut ſeſe opponeret, precibus potiſſimum Serviæ Deſpotis animatus eſt; Hic enim Cæſaris auxilium implorabat, ut Stephanum, & Georgium filios

Act. Patricii to. 13. Conc. p. 1579.

(*) *Ita refert Horatius Juſtinianus part. 3. Act. Conc. Florentini.*

filios suos in castello Sinderovia inclusos, & ab exercitu Amuratis, (licet eorum Sororem sibi uxorem accepisset) obsessos liberaret. Cum itaque Albertus contra Turcas arma cepisset & superatis insolitis Mensis Augusti caloribus Budam pervenisset, nimio peponum esu in alvi profluvium incidit, sentiensque morbi violentiam, Viennam repetere statuit. Verum morte præventus, æternitatis viam ingredi compellebatur, postquam Hungariam rexisset duos ferme & viginti menses, regnum Romanorum novemdecim menses, & aliquot dies. Historicorum nonnulli referunt, famam tunc fuisse, Albertum propinato potius veneno periisse. Uxorem habuit Elisabetham unicam Sigismundi Imperatoris Filiam, qnæ eidem anno millesimo quadringentesimo vigesimo secundo desponsata, currente anno ab eo gravida relicta Filium enixa est Ladislaum, qui postea Hungariæ Rex salutatus est. Ex eadem conjuge duas filias, & alium suscepit Filium Georgium, qui tamen pueritiam necdum egressus obiit. Porro Albertus solemni funere in Basilica Albæ Regalis sepultus est. Ejus pietas, mansuetudo, patientia, liberalitas, ac tuendæ Ecclesiæ, necnon amplificandi Imperii studium omnium Historicorum laude celebratur. Successorem Imperii habuit Fridericum III cognomento *Pacificum*

Sæcul. XV. A. C. 1439.

Æn. Sylv. hist. Bohem. cap 56 Dubrav. lib. 28.

Sæcul. XV A. C. 1439

ficum, Ernesti Austriæ Ducis Filium, & Ladislai Patruum, quem tamen Germaniæ Principes nonnisi ineunte Anno sequenti Regem Romanorum renunciarunt.

§. CVI.

Res Galliæ & Angliæ.

Quamvis Burgundiæ Ducissa in Gallis pacem non sine ingenti sollicitudine reducere studuisset, nihilominus totum negotium in irritum cecidit, & bellum revixit: cum toto colloquii tempore nequidem induciæ inter utramque Nationem sancitæ fuissent.

§. CVII.

Meldarum, & Abrincarum obsidio.

Jean. Chart. hist. de Charles VII.

Interea Connestabilis Meldarum urbem, quam obsidione cinxerat, fracta demum propugnantium constantia, ac superata loci iniquitate occupavit, in qua Gubernatorem, qui erat Nothus de Thiam, cepit, necnon capite truncari jussit. Accurrerat equidem Talbotus cum quatuor aut fere quinque armatorum millibus urbi periclitanti suppetias laturus, jamque unum Gallorum aggerem primo impetu transcenderat: cum autem perspiceret, rei desperatæ nullum amplius auxilium supereſſe, Pontæsiam sese recipere cogebatur. Vicissim quoque Galli Abrin-

Abrincis infausto Marte pugnabant; Talbotus enim Bellidux eundem Connestabilem, qui dictam urbem circumsederat, obsidionem solvere compulit, omnibus impedimentis, totoque belli apparatu in Victoris arbitrio relictis. Funestus hic solutæ oppugnationis nuncius non modice Regis, qui tum Andegavi agebat, animum afflixit, dolorem tamen nonnihil lenivit oppidi Sansusanæ expugnatio; locus enim erat, cujus possessio, quanto hostibus opportunior, tanto magis Andegavensi, & Cenomanensi agro erat infesta. Sæcul. XV. A.C.1439.

§. CVIII.

Connubia Catharinæ de Francia cum Carolesii Comite.

Nihil magis tamen Regis animum erexit, quam amicitia Burgundiæ Ducis, qui inviolabili fide sese Carolo VII devovit. Hæc animorum conjunctio longe magis adhuc firmata fuit conjugali vinculo, quod inter Catharinam de Francia, & Carolum Carolesii Comitem, Ducis Burgundi Filium natu majorem contractum est. Deducebatur Sponsa hoc anno insigni prorsus pompa in Belgium, ac Burgundiæ Duci futuro Socero tradebatur, qui eam Audomaropoli omnibus honorum signis. quæ præclaro ejus generi debebantur, excepit. Necdum illa deci-

Sæcul. XV. A.C. 1439.

mum ætatis ſuæ annum expleverat, & Caroleſii Comes nonniſi ſeptimum numerabat.

§. CIX.

Chriſtophorus Bavarus, depulſo Erico, Daniæ Rex electus.

Hoc itidem anno in locum Erici e regno pulſi, Dani Chriſtophorum Bavariæ Ducem Regis Nepotem ad ſceptrum Daniæ, Sueciæ, ac Norvegiæ vocarunt, quem primo ſolius Daniæ Regem ſalutarunt, poſtea vero etiam poſt aliquas moras, difficultatesque, ut eundem pariter Regem ſuum nuncuparent, Sueciæ perſuaſerunt: licet alioquin longe magis in Carolum Finlandum, qui ex antiquis Gothorum Regibus ortum ducebat, & Regni gubernator ab ipſis conſtitutus erat, propenderent. Itaque unus idemque obtinebat trium ſimul Regnorum, Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ coronas, ſicut olim conſtitutum a Margarita Regina fuerat. Incurrit tamen Princeps hic populi ſui offenſam, cum Regni præfecturas plerumque nonniſi popularibus ſuis concrederet. Sueci etiam illum vitæ nonnihil ſolutæ ac pravis cupiditatibus deditum ſuggillant, accuſantque, quod impune permiſerit, Ericum nuperum eorum Regem e Gothlandia, ubi adhuc degebat, latrociniis, & prædationibus Sueciam deva-

devastare. Regnavit tamen Florente continuo pace usque ad annum Domini millesimum quadringentesimum quadragesimum octavum, ad cujus initium die sexta Januarii vitam suam clausit. Sæcul. XV. A.C. 1439.

§. CX.

Fridericus III in Imperatorem electus.

Sub primis hujus anni auspiciis Germaniæ Principes ad Francofordiæ Comitia convenerunt, ut novum Cæsarem Alberto II nuper defuncto subrogarent. Igitur die vigesima sexta Februarii concordi omnium suffragio elegerunt Fridericum Austriæ Ducem, Ernesti Filium, & Alberti Imperatoris Patruelem. Juvenis erat viginti sex duntaxat annos natus, pacis tamen tuendæ adeo studiosus, ut merito *Pacifici* cognomen obtinuerit. Jam duos Cæsares ejusdem nominis, imperii Prædecessores sortitus erat, hinc nominis hujus tertius appellabatur, vel omnino quartus, si etiam Fridericum *Pulchrum* Ludovici Bavari æmulum numeraveris. An. 1440. *Trith. in Chro. Spanheim. Aug. Patrit. to. 13. Conc. p.* 1582.

§. CXI.

Ladislaus Poloniæ Rex ab Hungaris in Regem electus.

Albertus e vivis decedens, duas tantum Filias,

Sæcul. XV. A.C. 1440.

Filias, & uxorem prægnantem reliquerat. Regina vidua metuens, ne filiam denuo procrearet, incaute admodum Hungaris persuasit, ut Ladislaum Poloniæ Regem in Regni sui Rectorem cooptarent: Albertus enim præter Germaniam Hungariæ, ac Bohemiæ coronis auctus erat. Interim vero Imperatrix vidua Filium, quem Ladislaum appellabat, enixa, jam facti pœnitens summopere dolebat, ab Hungaris Sceptrum extero Regi sua non minus intempestiva, quam improvida festinatione delatum fuisse. Nihilominus ut errorem suum, quantum in ipsa esset, emendaret, Filium suum quarto nativitatis suæ Mense per Cardinalem de Zeech Strigoniensem Archiepiscopum coronari fecit. Porro cum uterque Rex suos Sectatores numeraret, Regnum in duas factiones misere scindebatur: cum vero illi, qui Ladislao Poloniæ Regi adhæserant, numero & potentia indies crescerent, Regina cum Filio suo ad Fridericum Cæsarem in Austriam confugere compulsa est. Hinc discordiæ, & diuturna cum Germanis bella exorta.

§. CXII.

Alberti Filius a Bohemiæ corona exclusus.

Bohemi quoque Ladislaum puerum ad Regni

ad Regni gubernacula admittere recusa- Sæcul. XV.
bant, caussati, infantem sibimetipsi re- A.C 1440.
gendo imparem, multo minus aliorum Regimini utilem fore, præcipue talis nationis, uti esset Bohemica, utpote cui imperare res summe ardua foret.

§. CXIII.

Corona Bohemiæ Duci Bavariæ oblata, ab eo tamen non acceptata.

Quam ob rem Bohemi Alberto Bava- *Æn. Sylv.*
riæ Duci sceptrum offerebant, qui *Europ. c. 1.*
tamen, ne novis sese curis oneraret, eam recusavit, dicens, *cum Regis Alberti so-* *Idem hist.*
boles extet, indecorum esse cum alterius in- *Boh. c. 57.*
juria Regnum quærere, paternamque hæreditatem nulli aufferendam, eosque instan- *Bonfin. 3.*
ter hortabatur, ut Ladislaum in Re- *dec. 4.*
gem suum eligerent. Bohemi, postquam ab Alberto Bavaro repulsam tulerant, Fridericum Cæsarem adibant, supplices, ut vel tutoris, vel nomine proprio Regnum acciperet. Hic vero iis auctor fuit, ut Mainardum & Petarsconem, usque ad legitimam Ladislai ætatem, in Generales Regni Gubernatores eligerent, quorum primus Catholicarum partium defensor, alter vero Rochisanæ amicus erat. Inde vero multæ, maximæque exortæ sunt turbæ.

§. CXV.

Sæcul. XV. A.C. 1440.

§. CXIV.

Bohemorum postulata a Basileensibus.

Gubernatores ii, seu ut verius dicam, solus Petarsco nil antiquius habuit, quam ut Basileenses ad plura, quam ipsis promiserant, servanda urgeret. Communionem sub utraque specie ad salutem haud necessariam esse, Synodum definiisse supra meminimus, nunc vero Bohemi hac decisione neutiquam contenti, qua sibi prætensam schisma suum honestandi caussam sublatam perspexerant, audacter a Basileensibus postulabant, ut Eucharistiam quoque infantibus suis confestim post receptum Baptisma ministrare, ipsis liceret. Negabant Basileenses, sed illi nil perterriti, saltem Evangelium in Missa legendi, necnon Symbolum in lingua sua vulgari cantandi libertatem sibi concedi urgebant. Verum quo audaciores in petendo, eo infeliciores erant in obtinendis iis, quæ postulabant, atque ideo, cum repulsas crebrius paterentur, hac ignominia ad insolentiam stimulati eo audaciæ processerunt, ut conventionem cum Constantiensi Episcopo, & Polemaro, seu ut alii vocant, Palamoro Protonotario sancitam penitus irritari peterent, caussati, eandem nonnisi simplicibus

cibus utriusque hujus delegati verbis firmatam esse, necnon Bohemis promisisse Concilium, quæ modo servare nollet. Solo itaque hoc argumento, quod tamen nullatenus comprobatum reddere poterant, suffulti, novam denuo quadraginta quinque suorum articulorum professionem ediderunt. Sæcul. XV. A.C. 1440.

§. CXV.

Basileensium conatus pro Felice tanquam Papa agnoscendo.

Cum Francofordiæ comitia, quorum supra meminimus, celebrarentur, Basileenses missis ad Germaniæ Principes Oratoribus, Felicem tanquam verum Pontificem agnosci, & *Neutralitatis*, ut vocabant, decretum abrogari postulabant. Ast frustra erant eorum preces. Interim Felix, antequam Basileam peteret, Cardinalem Arelatensem Apostolicæ Sedis Legatum creabat.

§. CXVI.

Sessio XL. Basileensis Concilii.

Post hæc Basileenses congregati die vigesima sexta Februarii Sessionem ordine quadragesimam habebant, in qua Felicem in sui electionem consensisse, ac Felicis *Labbe Conc. to. 13. p. 638.*

Sæcul. XV. A. C. 1440.

Felicis quinti nomen adoptasse promulgatum est, ac confirmatum. Præterea anathematis pœnam vibrabant in omnes cujuscunque demum conditionis ac status essent, qui eundem tanquam verum Papam susciperе detrectarent, ipsosque adeo Presbyteros sacerdotio privandos comminabantur. Innovabant etiam decreta adversus Eugenium condita, ea vero, quæ ab illo sancita, declarabant omnino nulla, iterato prohibentes, ne eidem, aut ejus mandatis quovis pacto obtemperetur, & quicunque contravenerint, tanquam rebelles denuntiabant, Synodo & Felici reservata eos castigandi potestate. Cumque Basileenses Neoelecti Pontificis, suorumque Officialium, ac Ministrorum necessitatibus subvenire meditarentur, nonnullas eidem Beneficiorum collationes, Annatarum loco, quas abolitas voluerunt, concedendas proposuere. Attamen huic consilio Germanorum nonnulli, Parisiensis Universitatis Delegati, & Gallorum quam plurimi adversabantur, obstiteruntque, quominus id decerneretur, antequam Provinciæ ea de re certiores fierent.

§. CXVII.

Sæcul. XV. A. C. 1440.

§. CXVII.

Cardinalis Arelatensis Sedis Apostolicæ Legatus nuncupatus.

In eadem Sessione lectum est diploma, quo Felix Cardinalem Arelatensem suum Legatum Apostolicum designavit, eumque in Præsidis munere confirmavit, sed literæ Felicis de ejusmodi legatione, cum non placerent Basileensibus, deletæ, ex tabulis abrasæ, & rursus aliis verbis conceptæ fuerunt. Cum denique orta esset dubitatio de jurisdictione Concilii præsente Pontifice, statutum est, Auditorem Cameræ nomine Concilii jurisdictione potiturum in omnes & singulos Synodo adscriptos, non tamen licitum illi fore, in caussa sanguinis contra quempiam illorum agere, nisi de consensu quatuor Prælatorum, si reus foret itidem Prælatus, seu quatuor aliorum Patrum, si inferioris ordinis esset; qui quatuor Consultores singulis mensibus a Patribus designarentur.

§. CXVIII.

Florentinæ Synodi Sessio post discessum Græcorum tertia.

Interea temporis Eugenius Papa Florentiæ contra omnia, quæ Basileenses at- *Lab. Conc. tom. 13. p. 1586. in actis Patric.*

Sæcul. XV A.C. 1440.

tentaverant, legum severitate procedere decrevit, & judiciali ordine per debita intervalla servato, tandem die vigesima tertia Martii in Sessione, quæ post Græcorum discessum tertia numeratur, Amadeum Sabaudum unaque ejus electo-ctores, ac omnes illius sequaces, nisi infra quinquaginta dies resipiscerent, anathematis pœnæ subjecit, declarans, Amadeum Antipapam, Hæreticum, & Schismaticum, omnesque ejus fautores, absque alia criminis declaratione, læsæ Majestatis reos esse, nisi intra præstitutum temporis spatium debitam præstiterint obedientiam: illis vero, qui ad officium redierint, delicti veniam pollicebatur. Sanctus Antoninus Decreti hujus meminit, quod Monstreletus integrum Historiæ suæ inseruit, in actis tamen Concilii desideratur.

Monstrelet. to. 2. ad ann. 1349.

§. CXIX.

Sessio quadragesima prima Basileensis Concilii.

Labb. Conc. to 12. p. 642. & tom 13. p. 1586.

Basileenses vix comperto Eugenii decreto adversus se procuso confestim die vigesima tertia Julii Sessionem numero quadragesimam primam celebrabant, in qua Eugenii sententiam declarabant scandalosam, injuriosam, schismaticam, ac a fide deviam, & hæreticam, unaque

naque inhibebant, ne quis cujuscunque ſtatus & conditionis eſſet, eam acceptare vel publicare auderet, ſub pœnis in eorumdem declaratione contentis. Præterea definiebant, eundem Eugenium de enormibus criminibus convictum, merito fuiſſe excommunicatum, exauctoratum, omnique jurisdictione exutum. *Siquidem Gabriel*, ita loquuntur Baſileenſes, *olim Eugenius Papa IV. nuncupatus, multiplicia, & enormia crimina univerſalem Eccleſiam Dei ſcandalizantia, quæ adeo notoria erant, quod nulla tergiverſatione celari poterant, perpetraverat, & audire Eccleſiam, ac præceptis Synodalibus obedire contemneret, hæc ſacra Synodus neceſſarium eſſe judicat, poſtquam in multa longanimitate & patientia poſt plures admonitiones expectaverat, per ſuam ſententiam dictum Gabrielem fuiſſe, & eſſe notorium & manifeſtum hæreticum, & ſchiſmaticum, ac diverſis aliis criminibus irretitum, eumque propterea a Papatu, & Romano Pontificio ipſo jure privatum eſſe declarare, inhibendo ſingulis fidelibus, ne eidem Gabrieli tanquam ſummo Pontifici obedirent.* An omnia iſta dicteria, & convicia ex Baſileenſium ore, dictante Chriſtiana Charitate, profluxerint, valde dubius hæreo.

Sæcul. XV. A.C.1440.

Sæcul. XV. A. C. 1440.

§. CXX.

Felix Basileæ Papa coronatus.

Interea Felix hujus nominis quintus die vigesima quarta Junii, quæ erat Sancto Joanni Baptistæ sacra, Basileam pervenit.

§. CXXI.

Quatuor Cardinales a Felice creati.

Æn. Sylv. in ep. ad Joan. de Segov. in Fasc. p. 52.

Ut autem solemniori apparatu Basileam peteret, jam præcedente Mense Aprili quatuor Præsules Cardinalium Collegio adscripsit, nimirum, Ludovicum Lausanensem Episcopum, Bartholomæum Episcopum Novarriensem, Valderamum electum Trajectensem, & Alphonsum Carillum Protonotarium, quam Cardinalium nominationem Synodus Basileensis ratihabuit. Ceterum nullus ex hisce neo-creatis Cardinalibus, nisi forte unicus (ut fertur) Felicem Basileam comitabatur. Tandem Felix integro mense, ex quo hanc urbem intravit, elapso, scilicet die vigesima quarta Julii, quæ erat altera a præcedenti Sessione dies, primum per Arelatensem Cardinalem in Episcopum ordinatus, ac demum Papali diademate coronatus est. Solemni huic cæremoniæ assistebant Ludovicus Sabaudiæ

diæ Dux Amadæi Filius, Philippus Ge- Sæcul. XV.
nevensis Comes, ejusdem frater, & alter A.C. 1440.
Ludovicus Salutiarum Marchio unacum tota Sabaudiæ Nobilium corona. Aderant quoque Rotelensis Marchio, Conradus de Weinsperg hæreditarius Imperii Camerarius, Comes de Tierstein, necnon Argentinæ, Bernæ, Friburgi, & Solodori Delegati, omnesque Helveticorum Pagorum Primores, ita ut tum Basilea in suo ambitu quinquaginta ferme hominum millia numeraret. Ne vero tumultus atque rixæ orirentur, mille juvenes conducti fuerunt viriumrobore,ac corporis firmitate valentes. Eadem die neo-electus Pontifex, confirmato, quod prius assumpserat, Felicis V. nomine, primum divino Numini Sacrificium insigni splendore offerebat, sub quo dignitatis Pontificiæ sacris initiatus, Tiara redimitus est, quæ gemis & copia&pretio adeo præclaris ornabatur, ut illius valorem triginta aureorum millia æquasse, Æneas Sylvius testetur. Resonabant undique festivi applausus eorum, qui longævam Pontifici vitam precabantur, quibus viciſſim Papa, ut gratum exhiberet animum, indulgentias concessit, & populo benedixit. Absolutis coronationis ritibus solemnis habebatur supplicatio, in qua singuli servato dignitatis ordine procedebant, ac ipse demum Pontifex agmen claudebat,

Sæcul. XV. A.C. 1440.

quem nonnisi duo Cardinales præibant, & Dertusensis ac Vicentinus Episcopi Diaconorum ministerio fungebantur.

§. CXXII.

Judæi Felici librum legis suæ offerunt.

Eadem occasione Judæi Legis suæ librum offerebant: Felix legem quidem multis elogiis celebrabat, gentis vero hujus superstitionem ac cæcitatem diris devovebat. Demum obviam habuit Ordinis Prædicatorum Priorem, Religiosorum suorum corona cinctum, qui Felicem ad suum monasterium conducebant, illiusque claves coram Altari positas eidem porrigebant. Hac ratione solemnis ista supplicatio nonnisi tertia pomeridiana absoluta est.

§. CXXIII.

Sessio XLII. Basileensis Synodi.

Labb. Concto 12 p. 644. & tom. 13. p. 1585.

Cum Felix, Eugenio Papa patrimonium S. Petri possidente, nullos omnino proventns ex suo Pontificatu percipere posset, aliunde vero impendiis haud exiguis ad tuendum dignitatis suæ decorem indigeret, hinc Basileenses in quosdam succurrendi modos diu inquirebant, tandem vero in publica Sessione quadragesima

sima secunda die quarta Mensis Augusti celebrata, per decretum *irrefragabile* (ita ab Augustino Patricio dictum) communi calculo, non obstantibus quibuscunque aliis decretis (*) statuebant, quod Felix, *cum de patrimonio D. Petri nullam adhuc subventionem haberet, gravia tamen & importabilia expensarum onera* pro utilitate Status Ecclesiastici subire cogeretur, primis quinque Pontificatus sui annis quintum denarium valoris annui ex quibuscunque beneficiis ecclesiasticis, sive sint sæcularia, sive regularia, majora vel minora, item ex omnibus Archiepiscopalibus, vel Episcopalibus Ecclesiis, Abbatiis, Prioratibus, Canonicatibus, atque Parochialibus Ecclesiis, aliisque beneficiis, exceptis hospitalibus, ac pauperum Xenodochiis, exigere valeret. Sequenti vero quinquenio duntaxat decimum Sæcul. XV. A.C. 1440.

(*) *Profecto egregii Reformatores Ecclesiæ in Capite & in membris, qui paulo ante Annatas in Eugenio damnantes, nunc ad Idoli sui cultum easdem & longe graviores decernunt, non obstantibus propriis eorum decretis, quibus si reformationi Ecclesiæ, uti jactitarunt, adeo necessaria fuere, derogare non potuerunt, sin minus, legitimo Pontifici Annatas aut similes proventus abjudicando peccaverunt.*

Sæcul. XV. A.C 1440.

mum denarium collectoribus per Beneficiatos pro ipso persolvendum statuerunt, sub pœnis ac censuris Ecclesiasticis. Consentiebant insuper, sed nonnisi de summa eorum benignitate, ut Felix, si qua natio, regnum vel Provincia modum provisionis hujusmodi ratum non haberet, perceptis eorum rationibus cum illis convenire valeat. Præterea Germanis indulgebant, ut beneficia, quorum proventus, necessariis oneribus deductis quinque marcas argenti annuas non excederent, prædicto eorum decreto non comprehenderentur.

Attamen Felix nec Papali diademate, nec redituum subsidio, quo suam dignitatem tueri posset, contentus erat, sed insuper omni ope & opera conitebatur, ut a Christiani orbis Principibus verus Papa agnosceretur, probe intelligens, se absque eorum obedientia nonnisi inerme, ridiculum atque inane Phantasma futurum. Hinc Basileensis Synodi Patres ad conciliandos ei Principum animos nullum non movebant lapidem: cum Eugenius quoque omni studio Monarchas suæ fidei devotos conservare adlaboraret.

§. CXXIV.

Sæcul. XV. A.C. 1440.

§. CXXIV.

Conventus Bituricenſis.

Sub idem tempus Delegati ultro citroque ad Bituricenſem conventum advolabant, in qua Carolus VII. Galliarum Rex ſuper Eccleſiæ ſchiſmate unacum Prælatis, ac Proceribus ſuis deliberabat. *Acta Patricii tom. 13. conc. p. 1586.*

§. CXXV.

Oratores ab Eugenio ſimul & a Baſileenſibus Bituricum ablegati.

Ad hunc conventum Baſileenſes decernebant Joannem de Segovia, qui Synodi partes tueretur: Eugenius vero Cardinalem Turrecrematam Oratorem eo ablegabat. Excipiebantur in variis Seſſionibus utriusque partis rationes, ac præprimis Eugenii Papæ Orator Galliarum Regem rogare jubebatur. I. *Ut reprobaret Conventum Baſileenſem ab eo tempore, quo translatus fuerat Ferrariam, & approbaret Ferrarienſe Concilium.* II. *Ut nullo modo depoſitioni Papæ Eugenii conſentiret,* ſed electionem Ducis Sabaudiæ per Baſileenſe *Concilium factam rejiceret.* III. *Ne ad Principum Germaniæ comitia Moguntiæ celebranda, inconſulto Pontifice, ſuos mitteret.* Eugenius hæc a Rege

Sæcul. XV. A. C. 1440

Gallorum poſtulari curavit, probe gnarus de Papatu ſuo, præciſa omni ulteriore regreſſus ſpe, penitus actum iri, ſi Carolus VII. Moguntiam ſuos decerneret Oratores, qui Felicis V. electionem confirmarent: huic ergo malo opportune proſpecturus, easdem preces apud ceteros omnes Principes interponi fecit. IV. Denique Papa per ſuum Legatum a Rege poſtulavit, *ut Pragmaticam Sanctionem ſuſpenderet, & quod Eugenius proviſerat de beneficiis ad Regis deſiderium.* Poſtera die admiſſi ſunt Felicis, ac Baſileenſis Concilii Oratores, quos Rex magnis benevolentiæ ſignis excepit: hos inter Thomas de Corcellis prolixo ſermone demonſtrare conabatur, quod ſententia contra Eugenium lata foret æquiſſima, necnon Felicis electio canonica, legumque præſcripto conſona.

§. CXXVI.

Bituricenſium reſponſio ad poſtulata Oratorum Eugenii.

Cum Prælati, qui Biturigibus convenerant, articulos ab Eugenii Legatis propoſitos ſeria, & ad ſextum usque diem protracta deliberatione perpendiſſent, die ſecunda Septembris Rex ipſemet præſens per Martinum Gouge Claramontenſem Epiſcopum, primarium ſta-

tus

tus Miniſtrum reſpondit, I. *Francorum Rex ſemper favit dignitati generalium Conciliorum, & ſequendo veſtigia Patrum ſuorum paratus eſt audire Eccleſiam legitime congregatam.* Sæcul. XV. A. C. 1440.

II. *Hunc favorem non minus quam obedientiam ſpeciatim oſtendit, ac præcipue erga Baſileenſe Concilium, quod pro legitimo tenuit, ad ipſum Legatos ſuos miſit, dixitque, multa bona in eo conſtituta eſſe, quæ ipſus approbavit.*

III. *Nec unquam congregationem Ferrarienſem pro Concilio habuit, nec habet,*

§. CXXVII.

Rex Francorum Eugenii obſequio conſtanter addictus.

Ubi vero agebatur de Eugenii depoſitione & Felicis electione, reſponderunt Epiſcopi Bituricenſes, *quia apud multos Viros probos, & graves dubitatio eſt non modica, an ſuſpenſio, depoſitio, ac ſubſequens electio factæ Baſileæ ſint rite, juſte, Canonice, & legitime celebratæ, dubium etiam eſt, ſi illa congregatio illis diebus, quibus hæc agitata & facta ſunt, ſufficienter repræſentaverit Eccleſiam univerſalem ad tantos, & tam arduos actus exequendos, ideo Rex quia non eſt ſufficienter informatus ſuper prædictis, perſeverat, & manet in obedientia D. Eugenii, in quo nunc ſtat. Quare ſupplicaturus* Æn. Sylv. comment. l. 7.

Sæcul. XV. A. C. 1440.

caturus est Eugenium, ut anno sequenti Generale Concilium in Galliis celebraret, ad scissionem Ecclesiæ tollendam, de cetero rogat Patres Basileæ congregatos, & Dominum Sabaudium (sic Felicem novellum hunc Papam nominabat) *ut dimissis censuris, & comminationibus, ad ea, quæ pacis essent, serio intenderent. Ubi autem Rex debite informatus fuerit de veritate causæ, & justius, tunc veritate comperta & discussa, stabit cum ea, & adhærebit veritati Catholicæ.* Denique responderunt Prælati: *Quod ad Pragmaticam Sanctionem spectat, Rex eam inviolabiliter vult observari in regno suo, & si qua videntur nimis rigide in Concilio Basileensi facta, in illo Generali Concilio a summo Pontifice in Galliis celebrando, moderari poterunt.*

§. CXXVIII.

Caroli VII. edictum de scissionibus Ecclesiæ.

Hæc Regis responsio Basileensibus Legatis nimium quantum molesta acciderat, facile prævidentibus, inde turgidas spes, quas Felicis fautores concepe-rant, minimo minus annihilatum iri, dum Gallorum Rex repudiato Felice nonnisi Eugenium Papam, & Synodum Basileensem acceptaret. Ceterum Carolus VII. |dato hoc responso undecima Septembris

ptembris die legem ſancivit, qua omnes cenſuras tum ab Eugenio contra Baſileenſes, tum ab his contra illum latas executioni mandari prohibuit. Prælegebatur hoc edictum non modo in Parlamenti curia, ſed etiam in quadam generali Pariſienſis Univerſitatis congregatione, quæ apud Ciſtercienſes celebrata eſt. Sæcul. XV. A.C. 1440.

§. CXXIX.

Alphonſus Baſileenſi Synodo adhærens.

Equidem Galliarum Regis reſponſum, quocum Felicis Oratores dimiſit, non parum Papæ hujus Sectatores offenderat, eosdem tamen animo fractos paulisper erigebant literæ Alphonſi Arragonum Regis ad Baſileenſes datæ, in quibus eorum conventum nomine Oecumenicæ Baſileenſis Synodi honorabat. Verum quibus vel modice privata Alphonſi ſtudia perſpecta erant, dubium ſuſpectumque habebant iſtud Regis obſequium. Is quippe Neapolis Regno inhiabat; ſed cum Renato Duci Andegavenſi, qui non tantum Regni illius Metropoli, ſed magna etiam ejus parte jam potitus erat, imparem ſe videret, inde æmulum ſuum deturbare deſperabat, remque ſuam in arcto poſitam merito timebat. *Surrita lib. 14. cap. 34. & ſeq.*

Secul. XV. A.C. 1440.

mebat, eoquod ab Eugenio quoque De-
cis partes pro viribus defendi nosset. U-
nicum igitur, idque magis opportunu
præsto erat remedium, scilicet, ut Eug
nium quidem coleret, Felicem tame
palam non offenderet. His itaque fra
dibus posthac velitare statuit, suisque, u
nec Eugenio nec Felici obtemperaret
præcepit. Ast Felix, cui hoc consilium
neutrius partis tuendæ minime proba-
batur, missis ad eum Oratoribus, ut sibi
soli suam fidem, obsequiumque devoveret,
postulavit, cui Alphonsus ablegato ad
eum Archiepiscopo Panormitano pollice-
batur, regia illa obsequia tanquam Pon-
tifici legitime electo sese delaturum, si ta-
men adoptionis suæ, quam olim Joanna
Regina feciisset, tabulas confirmaret, re-
gnumque Neapolitanum perpetuo jure
in ipsum, ejusque posteros transferret,
numeratis simul pro illius recuperatione
centenis aureorum nummum millibus;
tum se quoque nihil non acturum, ut Fe-
lici Romam, totumque Ecclesiæ patri-
monium assereret; hanc in rem vero vel
maxime expedire, ut ipse prior maritimo
itinere in Siciliæ Regnum trajiceret, ut
inde faciliori negotio Romam introdu-
ci posset. Ita nempe Felici illusit Al-
phonsus, cujus tamen postulata & ipse
Felix viciissim flocci habuit.

§. CXXX.

Sæcul. XV.
A.C.1440.

§. CXXX.

Felix a multis Principibus agnitus.

Interea Felici tanquam legitimo Pontifici adhæserat Elisabetha Hungariæ Regina, relicta Alberti Imperatoris vidua, præter Albertum Bavariæ Ducem, & alterum ejusdem nominis Ducem Austriæ, quorum uterque Fridericum Cæsarem sanguinis affinitate contingebat. Parisiensis itidem Academia, necnon Germaniæ, & Cracoviæ Universitates Felici favebant, variisque scriptis in lucem editis Basileense Concilium defendendum suscipiebant. Præterea quidam ex Ordine Carthusiano Felici accesserunt; Itali enim, ac ceteri ex vicinoribus Provinciis Carthusiani suorum confratrum defectionem condemnantes semper Eugenio fideles perstiterunt.

Acta Patric. to.13. Conc. art.106. & 113. Æn. Sylv. Europ.c.42.

§. CXXXI.

Cardinales a Felice creati.

Felix factionis suæ numerum aucturus, quinto decimo Octobris die octo diversarum Nationum, in mense vero Novembri ex Gallis sex creavit Cardinales. Horum primi erant Alexander Aquilejensis Patriarcha tituli S. Laurentii in Damaso; Otho Dertusensis Episcopus tit. S. Po-

Sæcul. XV. A.C. 1440.

S. Potentianæ; Georgius Episcopus Vicentinus tit. S. Anastasiæ; Franciscus Genevensis Episcopus tit. S. Marcelli; Bernardus Episcopus Aquensis tit. SS. Nerei & Achilei; Joannes Argentinensis Episcopus tit. S. Sixti; Joannes Vicarius Frisingensis, tit. S. Martini ad montes; Joannes de Segovia tit. S. Calixti: Gallos vero, quos creaverat, nonnisi die duodecima Novembris publicavit, nimirum Nicolaum Tudeschi Panormi Archiepiscopum, qui vulgo Abbas Panormitanus vocatur; Dionysium Patriarcham Antiochenum, Episcopum Parisiensem; Amadeum Archiepiscopum Lugdunensem; Philippum Turonensem Archiepiscopum, unacum Joanne Nannetensi Præsule, & Gerardo Albiensis Castri Episcopo, qui Galliarum Regi a confessionibus erat.

§. CXXXII.

Felix ab Anglis & Scotis pro Antipapa habitus.

Etsi vero quidam Principum, & Prælatorum Germaniæ Felici favere crederentur, reapse tamen in Moguntino Conventu anno posteriori celebrato præter omnem expectationem Felix eosdem sibi minus propitios expertus est, cum ibidem unanimi omnium consensu decerneretur, Neutralitatis, ut vocabant, viam esse

esse arripiendam, donec Concilium gene- Sæcul. XV.
rale celebraretur. Insuper Angliæ Re- A.C.1440.
gnum, cum Nationis hujus Præsules haud ultra Basileensi Synodo assisterent, quid ibidem ageretur, parum curabat. Equidem Basileenses, antequam Felicem eligerent, suos Oratores ad Anglos decrevere, quibus tamen responsum, se Basileensem Synodum venerari, ejusque decreta recipere, omnino autem abominari, quæ adversus Eugenium attentassent, utpote quem solum tanquam verum, ac legitimum Pontificem agnoscerent. Peracta Felicis electione denuo alios miserunt Legatos, sed nec isti benigniore responso excepti fuere, Anglis neutri parti adhærere præoptantibus. Pari modo universum Scotiæ Regnum, paucis Nobilibus exceptis, Eugenio obedientiam, fidemque aperte profitebatur; quinimo ejus Præsules in Provinciali quadam Synodo congregati Felicem, Patresque Basileenses anathematis fulmine percusserunt. Poloni vero Felicem quidem Papam adoptare pollicebantur, ea tamen lege, ut eorum Rex nomine Hungariæ Regis honoraretur, & pecuniæ ex Indulgentiis pro unione Græcorum in Regno collectæ redderentur. Rejiciebantur quidem hæ conditiones, nihilominus Poloni Felicem venerabantur, Eugenio obedire recusantes. Ex adverso Italia (exceptis solis

Sæcul. XV. A.C. 1440.

Pedemontii, & Sabaudiæ ditionibus) legitime electum coluit Eugenium Pontificem. Dux Mediolanensis de obedientia præstanda cum Felice pacisci voluit, sed hac super re concluſnm est nihil. Ferdinandus Calabriæ Dux misso ad Synodum Legato, se Felici adhæsurum spopondit. Denique Franciscus Sfortia, quo plus promisit, eo minus, quin & nihil servavit. Aſt schismatis hujus seriem intercidentes, transire debemus ad Græcorum Historiam, ut ea, quæ Constantinopoli post eorum adventum actitata sunt, referamus.

§. CXXXIII.

Græci Constantinopoli.

Phrantz. l. 2. c. 17.

Jam perspiciamus, an ingentes illi, qui ex Ecclesiæ Orientalis unione sperabantur, fructus collecti fuerint. Attigere quidem Græci Constantinopolim die prima Februarii anni currentis, omnes salvi ac incolumes: ii tamen, qui huic concordiæ subscripserant, inhumaniter admodum fuere excepti. Clerici, qui Constantinopoli remanserant, ex præconcepta rei male gestæ opinione cum illis, qui ex Italia redierant, nec sacra celebrare, nec in precibus eorum memoriam facere volebant. Paucis: tam Ecclesiastici, quam sæculares communibus armis

mis adversus eos conspirabant, præcipue vero Monachi, cum soli ferme populi confessionibus excipiendis præpositi essent, omnes urbis incolas, & ipsum etiam vulgus ad tumultum commovebant. Idcirco variis illos injuriis lacessebant, *Azymitas*, fidei proditores, & apostatas convitiabantur, Marcum vero Ephesinum plenis buccis, omnique laude dignissimum deprædicabant, illumque velut unicam immotamque fidei columnam ad sydera efferebant, eoquod, ut ajebant, solus Latinorum molitionibus obsistere & Græcæ Ecclesiæ honorem tueri, invicto animo ausus esset. Sæcul. XV. A. C. 1440.

§. CXXXIV.

Unio a Græcorum potissimis deserta, atque impugnata.

Plurimi persecutionis hujus vi expugnati ad schismaticorum signa reversi sunt, & licet nonnulli constanter in fide perseverarent, longe plures tamen lingua juxta & calamo unionem, quam paulo ante propriæ manus testimonio firmaverant, diris devoverunt, ac potissimam Græcorum partem ad sua studia pertraxerunt. Quos inter præcipui numerabantur Metropolita Heracleensis, Gemistius Philosophus magnus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Chartophylax, Sguro- *Chalcondyl. lib. 6.*

Sæcul. XV. A. C. 1440.

pulus magnus Eccleſiarcha, Trapezuntinus Archiepiſcopus, præter multos alios, qui Synodo Florentinæ interfuerant, & unionis Decreto ſubſcripſerant. Horum defectione Marcus Epheſinus nimium quantum elatus, eo devenit inſolentiæ, ut adverſus ipſum Imperatorem, omnesque, qui ſchiſmati obluctabantur, inſurgere non dubitaverit, audaciam non parum acuente Patriarchæ obitu, qui temerarios Viri hujus auſus reprimere adhuc valuiſſet. Ipſe quoque Imperator, quamvis initio pia fovere conſilia videretur, multum tamen a primævo Religionis zelo remiſit, partim nimio preſſus dolore ob Imperatricem Mariam conjugem ſuam, quam Conſtantinopolim rediens, fatis ereptam invenit, planxitque, partim ob graves ſimultates, quas ſibi Demetrius ejus frater accerſiverat, adeo, ut inteſtinum etiam bellum accenderet. Marcus autem fatalem hunc rerum concurſum in rem ſuam vertere gnarus, plurium Schiſmaticorum animos induxit, ut contra unionis negotium calamos ſuos acuerent; nec ſegnior ceteris ipſe videri voluit, qui confeſtim prolixam ſatis encyclicam conſcripſit ad omnes Patriarchas directam, in qua cuncta recoxit, quæ de Proceſſione Spiritus Sancti in Synodi Seſſionibus allegaverat.

§. CXXXV.

Sæcul. XV. A.C.1440.

§. CXXXV.

Josephi Methonensis & Gregorii Protosyncelli scripta adversus Marcum.

Nec deerant tamen, qui Marci Ephesini commenta refellerent. Conscripsit quippe Josephus Methonensis Episcopus pro defensione Florentinæ Synodi apologiam ad modum Dialogi inter se, & Marcum concinnatam, in qua eidem pervicaciam, fraudes, & mendacia acerbo satis stylo exprobravit. Gregorius quoque Protosyncellus, qui Joannis Palæologi conscientiam moderabatur, ac postea in Patriarcham Constantinopolitanum electus erat, præfatam Marci epistolam, qua unionis Decretum impugnaverat, ad Patriarchas scriptam egregie confutavit, cunctaque hujus Decreti capita vindiciis illustravit longe præstantissimis. Exstat præterea ejusdem Gregorii, cognomento *Mammæ*, alia quædam fusiore calamo scripta epistola de processione Spiritus Sancti ad Alexium Comnenium Imperatorem Trapezuntinum, in qua Latinorum dogma, & additionem Symbolo factam præclare tuebatur, illamque postmodum Leo Allatius publici juris fecit.

Labbe Conc. to.13. p.677. & seq. usque ad 739.

Sæcul. XV.
A. C. 1440.

§. CXXXVI.

Aliæ Græcorum Schismaticorum lucubrationes contra unionis Decretum.

Ceteri quoque Græci Schismatici adversus decretum suos calamos strinxerunt, sparsis per totum Orientem, & præcipue per urbem Constantinopolitanam sexcentis mendaciis. Horum nonnulli Græcos, atque inter eos præprimis Josephum Patriarcham auro corruptos, & suffragia nonnisi coempta fuisse, per summam impudentiam effutierunt: alii non minori protervia mentiebantur, quod ad signandum Decretum inedia ferme ad mortem tolerata compulsi fuerint: calumniabantur isti, omnia exemplaria in Synodo allata a Latinis adulterata fuisse, hi in vulgus spargebant, non omnes concordiæ subscripsisse, illos vero, qui subscripsere, sententiam suam retractasse, eoquod a Latinis seducti fuissent, tandem omnes una voce proclamabant, cunctas fidei regulas funditus eversas, antiquorum Patrum, ac Conciliorum doctrinam fuisse damnatam, & sacrosanctos Ecclesiæ Græcæ Ritus perperam transmutatos. Omnes hasce Græcorum calumnias Bessarion, & alii invictis omnino argumentis confutarunt, & oppositam veritatem irrefragabili testimo-

testimonio comprobantes, Marci Ephesi- Sæcul. XV.
ni confusionem, inscitiam, & fallacias de- A.C.1440.
texerunt, atque Florentinæ Synodi gesta & Decreta vindicarunt lucubrationibus eximia eruditione longe celeberrimis, quæ tamen, cum nonnisi, Marco jamjam vivis erepto, publicam aspexissent lucem, a Græcorum animis, qui aliunde ab innato in Latinos odio præventi erant, impetrare haud poterant, ut vel ad veritatem amplectendam magis dociles, vel in schismate minus obstinati evasissent.

§. CXXXVII.

Græci Constantinopoli in factiones circa unionem scissi.

Tandem eo proterviæ sunt delati, ut cum illis, qui Synodo interfuerant, aut Decreto obediendum affirmabant, in Divinis communicare, omnino detrectarent, eosque tanquam anathemate perculsos, omnisque pietatis expertes a suo commercio excluderent, quos cum Imperator sacris interesse jussisset, schismatici ab eis recesserunt, solosque in Ecclesia reliquerunt. Denique dissensionis flammæ tam ampla ceperunt incrementa, ut etiam Imperatoris nomen ex Dyptichis in compluribus Ecclesiis deletum fuerit.

Sæcul. XV. A.C. 1440.

§. CXXXVIII.

Metrophanes Cyzicenus in Patriarcham Constantinopolitanum electus.

Imperator his turbis, quæ jam plures Menses tenebant, finem allaturus, in locum Josephi Florentiæ fatis erepti Patriarcham subrogare moliebatur, cujus auctoritas (ut sperabat) in Imperio suo recipiendis Synodi Decretis planiorem viam sterneret. Virum quippe eligere oportebat non minus Religionis studio flagrantem, quam animi robore invictum, & constantia Imperatori satis comprobata insignem. Ergo hac super re collato cum Præsulibus consilio prima omnium vota in Heracleensem Metropolitam collimabant. Verum cum hic palam profiteretur, pœnitentia se duci, quod Decretum consensu suo, ac propria manu muniisset, ceteri Episcopi, qui eidem pariter subscripserant, eum pro vacante Patriarchali Sede nominare renuebant. Hinc alios tres proposuere Metropolitas, scilicet Trapezuntinum, Cyzicenum & Gennadium, qui cognomento Scholarius in Synodo orationem habebat eloquentiæ laude ac rationum pondere longe præclariſſimam. Horum itaque nomina offerebantur Imperatori, qui cum Trapezuntini fidem,

fidem, ac unionis ſtudium explorari jube- Sæcul. XV.
ret, eundemque potius concordiæ adver- A. C. 1440.
ſantem reperiſſet, ſuffragantium animos in Metrophanem inclinavit, qui ordine ſextus Florentinæ Synodo ſubſcripſit, ac unionem lingua, & calamo tueri pollicitus eſt. Hic ergo, poſtquam die decima quarta Menſis Auguſti pridie ad Feſtum Beatæ Virginis Mariæ in cælum aſſumptæ in Patriarchalis Cathedræ poſſeſſionem inducebatur, Imperatoris auctoritate ſuffultus nihil intentatum reliquit, *Phranz l. 2.* ut pro avita ſua pietate Græcos non mo- *n.* 17. do in ipſa Conſtantinopolitana civitate, ſed & in univerſa Græcia ad obedientiam Eccleſiæ reduceret. Præterea ſtudio Religionis accenſus, ipſus terras quoque ſuo Patriarchatui non ſubditas peragrabat, Epiſcopis aliisque Clericis rebellibus loco motis Orthodoxos ſufficiebat, & Schiſmaticorum nonnullos ſuis omnino Epiſcopatibus exuebat.

§. CXXXIX.

Cardinalis Venetus in Græciam ab Eugenio Papa ablegatus.

Nec Eugenius Papa ſuis partibus hac in re deeſſe voluit, ſed Franciſcum Condulmerium Nepotem ſuum, alias Cardinalem Venetum, Conſtantinopolim Legatum decrevit, comitantibus eum plu-

Sæcul. XV. A. C. 1440

ribus Viris doctrinæ fama celeberrimis qui juncta opera cum Neo-electo Patriarcha Græcos in sinum Ecclesiæ reducere adlaborarent. Attamen Imperator a pristino suo unionis conservandæ studio minimum quantum deferbuit, de quo & Eugenius in graves effusus est querelas in suis literis ad Constantinum Peloponesi Despotam, ac Cæsaris Germanum datis. Incertum tamen est, quas ob caussas Imperator in schismatis delendi ardore remiserit, nisi timore compulsum dixeris, ne sibi Amuratem offensum redderet, cui Græcorum cum Latinis unio suspecta erat; aut forte, quia armorum subsidia a Latinis sibi submissum iri desperabat, comperto Alberti Imperatoris obitu, qui assiduis Eugenii Papæ necnon Basileensium precibus stimulatus bellum in Turcas parabat; aut denique, quia seditionem Constantinopoli pertimescebat, cum omnes ferme incolæ unionem palam impugnarent.

§. CXL.

Epistola Eugenii ad Archiepiscopum Cantuariensem.

Adnumeraverat Eugenius anno priore Joannem Kemp Archiepiscopum Eboracensem Cardinalium Collegio, cui cum Henricus Cantuariæ in Anglia Archipræsul tantæ dignitatis congruos honores, & Sessio-

Sæcul. XV. A.C. 1440.

Sessionis prærogativam deferre recusaret, Pontifex de hoc contemptu tanquam de re nova, & insolita conquestus literas dedit ad Henricum anno Christi millesimo quadringentesimo trigesimo nono, Pontificatus sui octavo. *Non parum*, inquiebat, *audisse displicuit dissensionem illam, quam cum dilecto Filio nostro Joanne tit. S. Balbinæ Presbytero Cardinale nuper tua fraternitas habuit, cum nova & insolita res ipsa sit, quæ nunc attentatur. Imprimis autem admiramur satis, cum per quatuordecim annos & amplius cum dilecto Filio nostro Cardinale Vintoniensi in sedendo, & in ferendis votis sine altercatione vixeris, quid caussæ sit, quod nunc primum in contentionem venias cum ipso Joanne Cardinale eadem prædito dignitate. Nec quidem generis Regii erga Vintoniensem Cardinalem ratio prætendi potest, quoniam & antequam Cardinalatus ipsam foret dignitatem adeptus, duntaxat existens Vintoniensis Episcopus, & voce, & loco tibi cedebat. Quod si sola Cardinalatus dignitas hanc in alio prælationem operata est, cur in isto itidem non efficit.* Cetera Eugenius minus curabat, quod Henricus Cardinalitiam dignitatem, qua Joannes decoratus erat, contempsisset, quam quod Eboracensis Archiepiscopatus jura deprimere, illumque Cantuariensi Ecclesiæ subjicere contendisset. Quinimo certum est, Henricum nullatenus Cardinalitiæ

Bullar. to. 1. Eugen. IV. Constit. 15.

Sæcul. XV. A. C. 1440.

tiæ prærogativæ injuriam inferre voluisse; id enim ipsus profitebatur, nec id Eugenius negabat, censebat tamen, nullum inde Cantuariensis Ecclesiæ, quam præcellere putabat, juribus præjudicium esse irrogandum.

§. CXLI.

Eugenii elogium de Cardinalatus dignitate.

Nihilominus Eugenius has literas eo fine publicasse videtur, ut opportune Cardinalium præeminentiam amplius laudibus efferret. Muneris hujus originem ex ipso veteri Testamento repetebat, ac dignitatem illam Archiepiscopali præferendam declarabat, *quia* ajebat, *illa unam duntaxat regit Ecclesiam, ista cum Sede Apostolica universas.*

§. CXLII.

Vitelleschus Cardinalatu ab Eugenio exutus.

Blond. 3. *Dec.* 9. 10. 11.

Interim Eugenius non minus erat magnificus dignitatis Cardinalitiæ defensor, quam severus vindex adversus eos, qui criminum maculis eandem fœdare non erubuerunt; ipso enim hoc anno graviter animadvertit in Cardinalem Vitelleschum Patriarcham Aquileiensem. Is

Antonin. tit 22. *cap.* 11.

erat

erat Vir astuto peracrique ingenio, & ad turbas ciendas nato. Dicebatur cum Philippo Mediolanensium Duce necnon, ut ferunt alij, cum Nicolao Picinino præfati Philippi inclyto Belliduce secreta fovisse consilia, ut Florentiam ex improviso caperet, & exercitu suo, necnon munitissimis, quas occupaverat, arcibus adjutus, Pontificatum sibi vendicaret. Attamen hæc sive vera, sive ab æmulis per invidiam conficta fuerint: id tamen certum est, quod Eugenius eo ex tempore Vitellescum compescere decreverit, atque arcis S. Angeli Præfecto, ut eum comprehenderet, præceperit. Sæcul. XV. A.C. 1440.

§. CXLIII.

Vitellescus in captivitate mortuus.

Igitur Cardinalis, cum quadam die nonnisi familiaribus stipatus (copias quippe militares jam præmiserat) urbem solus egredi vellet, die prima Aprilis ab arcis Præfecto comprehensus est. Hic enim sub honoris specie, & secretioris colloquii simulatione equi habenas moliter tractabat, Cardinalem aliquamdiu comitatus; verum confestim demissa ad signum conductum cataracta, a militibus præsidiariis intra arcem pertractus est Vitellescus, qui, cum se tueri vellet, ipse gladio perfossus paucis ex post diebus vul- *Addit. ad Ciacon.*

Sæcul. XV. A. C. 1440.

vulneris acerbitate obiit, caruitque funeris, tumulique honore.

§. CXLIV.

Ludovicus Mediarota Archiepiſcopus Florentinus.

Paul. Jov. elog. l. 2.

In Vitelleſci locum ſuffectus eſt ab Eugenio Papa exercitus ſui Dux, Ludovicus Mediarota Patavinus, Florentiæ Archiepiſcopus, & Patriarcha Aquileienſis, vulgari magis nomine dictus Mediorata, ortus ex familia de *Arena*, cujus tamen nomen neglexit, atque illud a Matre ſua aſſumpſit. Docuerat primum publice artem Medicam, dein Romam profectus Eugenii Papæ gratiam aucupari, perbene noverat, ac poſtquam Nicolaum Piceninum Ducis Mediolanenſis belli Præfectum ad Anglariam prælio devicerat, in rei feliciter navatæ præmium hoc anno Cardinalium collegio adſcriptus eſt, poſtquam decedente Cardinale Vitelleſco Archiepiſcopus Florentinus, & poſtea Patriarcha Aquileienſis creatus fuerat. Vir erat, in cujus venis generoſus ſemper micabat ſanguis, quique pro Pontifice contra Mediolanenſes, & adverſus Alphonſum Regem diverſa bella propitia ſemper fortuna geſſit. Ab Eugenio Camerarius quoque Eccleſiæ renuntiatus eſt, vulgo nominatus Cardinalis Patavinus. Poſtmodum

modum Calixtus III. eundem decrevit supremum belli sacri Præfectum adversus Infideles, quorum triremes haud procul a Rhodiorum Insula dissipavit, jam antea Lemno, aliisque Archipelagi Insulis in suam potestatem redactis. Tandem Romæ anno Incarnationis Dominicæ quadringentesimo sexagesimo quinto supra millesimum extremam clausit diem, & annos natus sexaginta quatuor Mediolani sepultus est. Sæcul. XV. A. C. 1404.

§. CXLV.

Militaris Disciplina in Gallies reformata.

Hoc anno in solemni Galliæ Procerum conventu, qui a Rege Aureliam coactus fuit, concluſum est, ut ad pacem procurandam, sine qua omnis reformatio non solum sine fructu foret, sed nequidem fieri posset, cuncta demum media conquirerentur. Præterea Carolus Rex serio animum adjecit suum, ut excogitatis opportunis viis populus onera, quibus militares copias alere tenebatur, facilius sustinere posset. Lege itaque cautum est, ut durante bello gravis armaturæ Equites in expeditas militum manus rite ordinatas reducerentur, nullusque plures quam tres equos aleret: antea enim quivis octo imo, & decem equos ad por- *Monstralet. vol. 2. Joan. Chart. hist. Carol. VII.*

Sæcul. XV. A. C. 1440.

portandas sarcinas habebat, præter ingentem famulorum numerum, qui quaversus excurrebant, totamque Regionem expilabant. Insuper statutum, ut Satellitum bini tres duntaxat equos secum ducerent, illisque juxta hunc numerum stipendia solverentur, denique ad regni fines stationes suas haberent. Displicuit tamen hæc militaris disciplina tam Proceribus, quam belli Præfectis; quapropter quorumdam Aulicorum æmulatione penitus eversa est; hi enim ægerrime ferebant, alios præter se majori apud Regem gratia ac auctoritate valere.

§. CXLVI.

Conspiratio in Galliis adversus Conestabilem.

Ea tempestate apud Carolum Galliarum Regem gratia, & auctoritate maxime valebant Carolus Andegavensis Cenomani Comes, necnon Richemundius itidem Comes ac Franciæ Conestabilis: ceteri vero Principes, cum Regem nonnisi duobus vel tribus privatis addictum, eosque solos totius quasi regni dominatum gerere viderent, id ultra æquo animo ferendo impares, in Ministros, Regisque Consiliarios seditionem concitare intendebant. Antesignanos illius sese præbebant Alençonius, Borbonius, necnon Vindocinensis Duces

Duces præter Dunensem Comitem, plu- Sæcul. XV.
resque alios, quibus & Trimollius Regis A. C. 1440.
nuper gratia dejectus accessit, horum ope regressum sibi ad aulam per fas, nefasque moliturus. Conferebant primum Blesis sua consilia, quibus concluſum ab aula recedere, populumque contra suos Magistratus in seditionem concitare, nec arma ante ponere, quam Rex omnes illos, quos turbarum in Regno, & calamitatum in populo unicos Auctores nominabant, e suo Senatu exulare juberet. Quinimo conspirationis hujus caput ipsum quoque Delphinum præficere parabant, quo factioni suæ plus auctoritatis ac potentiæ conciliarent.

Hunc in finem Calvimontis Comitem, Buccicaldum, Sanglerium, & Borbonium Nothum quantocius Niorthum Pictavensis Provinciæ urbem, ubi eo tempore Delphinus agebat, ablegarunt, ut Principis animum explorarent, eundemque de fœdere inito edocerent. Hi Delphinum ea ex parte, qua facilius expugnatum iri credebant, adoriebantur. Proponebant quippe sermone admodum efficaci, rem hucusque non auditam esse, Principem jam tali in ætate constitutum (decimum octavum annum propemodum agebat) & sceptro moderando sat maturum a Regiminis consortio, & publicorum Regni negotiorum cura penitus excludi: nunc vero

Sæcul. XV. A. C. 1440.

ampliſſimam ei offerri occaſionem, qua demum, quid ſua valeret auctoritas, etiam invitis oſtendere poſſet: Jam plurimos eosque Regio ſanguine ſatos Principes aliosque ſupremos belli Præfectos inito inter ſe fœdere ad reſtaurandam Regni tranquillitatem conſpiraſſe, nec quicquam ultra deſiderari, quam ut ſub glorioſi tanti Principis auſpiciis rem aggredi poſſent, hos omnes ſuum eidem obſequium, auxiliumque paratiſſime impenſuros.

§. CXLVII.

Delphinus conſpirationis caput ſeſe profeſſus.

Delphinus eo tempore, quamvis ætate admodum juvenis eſſet, connubio tamen jam junctus erat Margaritæ, quæ Jacobi I. Scotiæ Regis Filia fuit. Commendaverat illum Rex Pater talium Virorum curæ, quorum fidem, ac probitatem ſibi ſatis compertam habebat, ac præcipue Marchiæ Comiti inſtituendum tradiderat, quem tamen poſtea Alenconii Dux ab officio artibus ſuis dimovit. Amplectebatur itaque juvenis iſte Princeps conjuratorum factionem, ſeque illius caput lubenti prorſus animo declarabat. Marchiæ vero Comes hanc ſubitam Delphini mutationem brevi animadvertens, Regem, qui eo tempore Andegavi morabatur,

batur, hac ſuper re protinus certiorem reddidit, qui e veſtigio Conneſtabilem ad ſe venire juſſit. Hic rupta omni mora iter aggreſſus, Ambaſiam usque proceſſit, ibique Regem convenit, ac collatis cum eo conſiliis, quid in tam periculoſo rerum cardine agendum eſſet, deliberavit. Sæcul. XV. A. C. 1440.

§. CXLVIII.

Factioſi a Rege diſperſi, atque ad petendam veniam compulſi.

Cum optimum in arena conſilium judicarent omnes, ut exercitus in aciem educeretur, Rex confeſtim Pictavium progreſſus, Feciali ad Alenconii Ducem miſſo, Delphinum quantocius manibus ſuis tradi præcepit. Hic vero ſpreto Regis mandato paulopoſt Niortho profectus, Sancti Maxentii oppidum ex inſidiis capere attentabat, jamque primas urbis portas occupaverat; cum vero Regis copiæ periclitanti urbi opportune opem ferrent, re infecta abire compellebatur. Delphinus ad Averniæ Optimates, Burgundiæ Ducem, aliosque recurrebat, ſubſidiarios milites impetraturus. Verum his auxilio eſſe recuſantibus, ac inſuper Dunenſi Comite paulopoſt a Conjuratorum ſtudiis deficiente, Delphinus conſilia ſua haud parum diſturbata damnavit, ipſi quoque factioſi non abs re ſuſpicati, Pictavienſem

Sæcul. XV. A. C. 1440.

Provinciam ſibi haud amplius ſecurum fore aſylum, ad Borbonenſem ditionem ſeſe receperunt. Aſt Rex Conneſtabilis Marchiæ Comite, necnon Comite Dunenſi, quem a conjuratorum corpore avulſerat, ſtipatus, tanta armorum vi ſeditioſorum turmas ex Pictavienſi agro in Borbonenſem propulſavit, ut, poſtquam cunctas urbes, quas in ſui defenſionem munire cogitabant, proſpero Marte occupaſſet, ad extremas eos redegerit angustias, quibus nimium preſſi Delphinum Regi tradere, atque ejus pedibus advolvi, & delicti veniam exorare compellerentur. Igitur Cuſſeti, quæ eſt parva civitas Borbonium & inter Averniam ſita, unacum Borbonii Duce Delphinus Patris ſui conſpectum ſubibat, ubi & *eundem* efflictim rogabat, ut Trimollio, Calvimontano, & Prienſi Comitibus aulam repetendi copiam faceret, ſed repulſam tulit, Rege in reſponſis dante, ſe intempeſtivas ejusmodi preces moleſtius ferre. His peractis Rex, antequam Cuſſeto diſcederet, die vigeſima Julii datis ad omnes Regni Provincias Regiis literis, Delphini Filii ſui ſubjectionem nunciabat. Inteſtinum hoc bellum *Pragueria* dicta eſt, hujus tamen nominis origo ignoratur. Sedata hac tempeſtate Rex Bituricum venit, ut conventui, cujus ſupra meminimus, a ſe convocato ipſus intereſſet, quo

quo itinere suscepto veluti in transitu Charitæum, urbem ad Ligerim sitam armis suis subjecit. Sæcul. XV. A C. 1440.

§. CXLIX.

Arefluctum ab Anglis obsessum.

Eodem anno Angli Arefluctum Normaniæ urbem obsidione cingebant, nonnisi sex armatorum millibus, & nonnullis navibus ad hanc expeditionem destinatis. Urbem propugnabant Estutevillæ Principes, duo Fratres germani, qui Regis stipendia merebantur, tantoque animi robore oppugnantium impetus reprimebant, ut Angli jam septimum mensem irrito conatu pugnantes, loci occupandi spem abjicerent. Rex hac temporis opportunitate solerter usus, copias suas collegit, urbi suppetias laturus. Præficiebantur huic exercitui Aurelianensis Nothus, & Borbonius, qui primo Anglos aggredi, eorumque aggeres, & valla transcendere moliebantur. Verum ambo hoste validissimis propugnaculis munito, non sine gravi suorum jactura in fugam agebantur; quocirca duabus, ac ferme tribus leucis inde retrocedere coacti, castra posuerunt, ubi fœdere cum Anglis sancito convenerunt, ut urbs Arefluctum unacum Montevilla oppido Anglorum imperio relinqueretur, ac præsidiarii milites urbe

Jean Chart. Hist. de Charl. VII. an. 1440.

Montivilliers.

Sæcul. XV. A. C. 1440.

urbe excederent, conceſſa vitæ, & libertatis gratia, quæ pacis conditiones Religioſe obſervatæ fuerunt.

§. CL.

Aurelianenſis Dux ab Anglis liber dimiſſus.

Aurelianenſis Dux, poſtquam a prælio Azincurtienſi, quod Anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo decimo quinto Gallis oppido infauſtum erat, ab Henrico V. Anglorum Rege captus, indeque in Angliam perductus fuerat, ibi jam per viginti quinque annos detinebatur, hoc autem anno Menſe Junio tandem libertati reſtitutus eſt, lytro eo magis accepto, quo minus exſpectato. Quamvis *etenim* hucusque Burgundica, & Aurelianenſis Domus mutuis, ac diutinis inter ſe odiis exarſiſſent, nihilo minus tamen Dunenſis Comes Aurelianenſis Ducis Frater pro captivo Philippi Burgundiæ Ducis opem implorabat. Hic clementia non minus generoſa, quam politica uſus, gloriæ ſibi ducebat, quod ipſe tandem inimici ſui calamitatibus finem imponeret. Cum autem Angli captivum libertati reddere renuerent, niſi perſoluto trecentorum millium aureorum pretio, ideo Burgundiæ Dux ducenta millia numeravit, ea lege, ut Aurelianenſis liber dimiſſus ſibi in uxorem

rem acciperet Margaritam Adolphi I Cle- Sæcul. XV.
venſis Ducis Filiam, & Philippi neptem. A. C. 1440.
Igitur Dux, cum Dunenſis Comes reſi-
duam lytri partem penderet, conſentien-
te Rege plenæ libertati reſtitutus, ac Ca-
letum regreſſus eſt. Hæc ergo fuit dies
illa auſpicatiſſima, in qua capitales inimi-
citiæ ab utriusque Ducis Parentibus ſu-
ſcitatæ per ſinceram Filiorum ſuorum re-
conciliationem, intimamque amicitiam
extinctæ ſunt. Reducem Carolum Au-
relianenſem Philippus non modo ſummis
honoribus in urbe Gravelina excepit, ſed
etiam die vigeſima Novembris Aurei vel-
leris ordine decoravit, ac viciſſim ab Au-
relianenſi Duce ordinem Hericii, ſive Hy-
ſtricis, velut reciprocum mutuæ concor-
diæ argumentum ſufcepit. Quo facto
Aureliæ Dux firmato promiſſi connubii
fœdere, Audomari publice in Eccleſia San-
cti Bertini Atrebatenſem conventionem
propria manu munivit, eandemque inte-
gra fide ſe ſervaturum unacum Dunenſi
Comite, interpoſita etiam Sacramenti
religione pollicitus eſt. Ab eo tempo-
re hi duo Principes, quis alter alterum
mutuis perfectæ, ac ſinceræ amicitiæ
ſignis ſuperaret, certabant.

Sæcul. XV. A. C. 1440.

§. CLI.

Retius Mareſcallus ob ſua crimina laqueo ſuſpenſus, ac combuſtus.

Joan. Chart. l. c. p. 106. Argentre l. II. c. 27. Monſtrel. vol. 2.

Ad eundem annum Joannes Charterius refert ſupplicium Ægidii Lavilli, Retii Optimatis, & Franciæ Mareſcalli, quem Britanniæ Dux comprehendi, ac capitali ſententia apud Nannetes damnatum laqueo ſtrangulari, & comburi juſſit. Hic ex illuſtriſſima quidem Franciæ familia ortus, generis tamen ſui claritatem turpiter morum pravitate obfuſcavit, cum adeo perverſis aberrantis animi deliriis ſeſe abduci pateretur, ut ad quævis mala projectus, in horrenda prorſus ſcelera contra fidei, ac Religionis leges, imo contra ipſius naturæ præſcripta prolapſus fuerit. Nutriebat ad effodiendos theſauros Magorum turmas, pueros & adoleſcentulas libidine polluebat, quos expleto crimine immaniter trucidavit, eorum ſanguinem collecturus, quem conficiendis ſuis ſortilegiis neceſſarium, aptumque cenſebat. Nefandæ hujus, & publica cum offenſione tranſactæ vitæ fama adeo percrebuit, ut tandem ad tribunal deferretur. Quapropter Nannectenſis Epiſcopus adverſus accuſatum judicii acta inſtruxit: cum vero cauſſa mixti eſſet fori, Seneſcallus quoque Rhedonenſis Provinciæ Prætor judicio interfuit, a quibus Mare-

Mareſcallus ad Rogum in Nannetenſi pra- Sæcul. XV.
to ſuſtinendum damnatus eſt. Ipſe quo- A. C. 1440.
que Britanniæ Dux illius ſupplicio præ-
ſens aderat, qui ſententiæ ſeveritatem
mitigaturus, benigne conceſſit, ut capitali
palo alligatus prius ſtrangularetur, & eo-
dem momento igne pedibus admoto
combureretur; quo factum, ut corpus
ejus flammis nonniſi leviter correptum
terræ mandari potuerit. Ex criminalis
ſententiæ tabulis diſpicimus, Mareſcal-
lum læſæ Majeſtatis crimini in Britanniæ
Ducem perpetrato obnoxium fuiſſe: hinc
forte, ſi conjecturæ locus eſt, haud in-
grata fuit data Duci occaſio, ut Dei of-
fenſam vindicando, ſuum quoque hono-
rem ab eodem læſum ulciſceretur.

Sub idem tempus Galliarum Rex,
poſtquam Luparias, & Conchum Nor-
maniæ urbes operibus, munitionibusque
firmari juſſerat, regiminis ſui curas ad
Campaniæ Provinciam extendit, eamque
peragravit, effræni militum licentiæ, qua
Regnum ubique affligebatur, opportuno
remedio occurſurus. Bari ad Abulam
Nothum Borbonium de iniqua pecunia-
rum exactione convictum extremo ſuppli-
cio mulctari juſſit, pluresque belli Tribunos,
ac urbium Præfectos ob malam rei ad-
miniſtrationem ſuis officiis, atque Magi-
ſtratu exuit, præcepitque, ut deinceps
omnes militum cohortes intra urbium,

Sæcul. XV. A. C. 1440

vel arcium mœnia morarentur, atque stativa haberent. Ne vero milites rapto vivere, ac populares vexis premere cogerentur, pro numerandis eorum stipendiis quædam impoſuit tributa, ac quamcunque vaſtationem inferre prohibuit ſanciit ad terrorem aliorum corporali pœna transgreſſoribus infligenda. Carolus VII. teſte Joanne Charterio, primus Regum Galliæ fuit, qui oppidanis & ruſticis tributa indixit in ſubſidium exercituum pendenda, ne milites ad deprædandas regiones excurrere cogerentur.

Hiſt. Caroli VII. p. 109.

§. CLII.

Nicolai de Clemangiis obitus.

Dupin. Bibliot. Scriptor. 12. in 4to. p. 78. & ſeq.

Gallia hoc anno amiſit Scriptorem longe celeberrimum, ſcilicet Nicolaum Clemangium ſeu de Clamengiis, qui ſic a quodam Cabillonenſis Diœceſis oppido dicebatur. Hujus Viri mentionem habuimus in Conſtantienſis Concilii hiſtoria. Vix duodecimum ætatis annum expleverat, cum Lutetias Pariſiorum ad Navarræ Collegium mitteretur, animum humanioribus literis exculturus, quarum præcepta ex ore Joannis Gerſonii, Petri de Nogent, & Gerardi Macheti hauſerat, ac Eloquentiæ, & Poeticæ artis elegantiam, atque perfectionem rara ingenii ſui acie exhauſiſſe videbatur. Hac meritorum

rum amplitudine ſibi ad Rectoris dignitatem viam ſtravit, quam & Anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo tertio conſecutus fuit, paucis ex poſt annis in Canonicum electus, dein Eccleſiæ Cathedralis Lingonenſis Theſaurarius renunciatus eſt. Cum vero in ſuſpicionem traheretur, ex ſuo calamo illam profluxiſſe epiſtolam, quam Benedictus XIII. Antipapa menſe Majo Anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo ſeptimo contra Regem, & Galliæ Regnum vulgaverat, in Aſceterio Chartuſianorum Valefundi ſeu Fontanæ ad Sylvam profugus deliteſcere compulſus eſt. Sacri hujus otii opportunitate uſus potiſſimam partem ſuarum lucubrationum, & Epiſtolarum concinnavit, nec ultra ad Aulam Benedicti Papæ redire voluit, ſummis licet precibus exoratus eſſet. Recuperata tamen Regis gratia ad Lingones reverſus diu ibidem commoratus eſt, poſtea vero Bajocenſis Eccleſiæ Chori Magiſter nominatus, demum exactæ jam ætatis ſenex ad Navarræ Domum ſe recepit, ubi etiam Anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo vitæ finem impoſuit. Sæcul. XV. A. C. 1440.

§. CLIII.

Clemangii opera.

Cuncta eximii hujus Scriptoris opera pri- *Dipin. ibid.*

Sæcul. XV. A. C 1-40.

primo in Hollandia sub annum Domini milleſimum ſexcenteſimum tertium publicam lucem aſpexere, curis Lydii, Protestantum Miniſtri. Potiſſima eorum ſunt tractatus *de corrupto Eccleſiæ ſtatu*, & poema quoddam in idem argumentum; item tractatus de ruina & reſtauratione juſtitiæ, duo commentarii de infallibilitate Concilii Oecumenici, & alius de Studio Theologiæ; demum ſermo in parabolam de Filio prodigo, tractatus de bonis ſolitudinis, alter de utilitate adverſitatis, alius contra feſtorum novitatem; præter opusculum quoddam contra Prælatos ſimoniacos unacum triginta ſeptem epiſtolis. Ceteris vero ejusdem libris facile palmam præripuit Epiſtola ad Carolum VI Francorum Regem de ſchiſmate Eccleſiæ ſcripta, in qua triplicem eidem extinguendi hujus mali viam aperuit. In eandem rem poſtmodum ad Papam Clementem VII, & hoc vivis erepto ad Cardinales ſcripſit. Benedictus XIII. Virum ad ſe vocavit, qui etiam illius partes pro viribus defendit, & datis ad Carolum VI Regem literis eidem obedientiæ ſubtrahendæ viam diſſuaſit. Idem vitia, ac morum corruptelam tam in Eccleſiaſticis quam ſæcularibus ſui ævi viris graſſantem vivis ecquidem, ſed nimium vehementibus verbis adumbravit, quorum quædam excerpta tomo vigeſimo quinto Hiſtoriæ noſtræ inſeruimus.

ruimus. Gratius præterea duorum ejusdem Auctoris tractatuum de Concilio Generali in suo fasciculo meminit, & Lucas Dacherius typis vulgavit ejusdem librum de studio Theologiæ, Joanni Pedemontano Theologiæ Baccalaureo inscriptum, qui consequendæ Doctoris Laureæ desiderio stimulatus hac super re Clemangii consilium exquisierat (*). Sæcul. XV. A.C. 1440. *Dacher. spicil. tom VII. in 4to.*

§. CLIV.

Typographiæ inventum.

Ad hæc tempora non pauci artis Typographicæ originem referunt, quæ sola præ ceteris omnibus majores fructus Ecclesiæ, ac Literatorum Reipublicæ protulit, necnon indies cumulato fœnore profert. Ecclesia quippe hujus ope fidei doctrinam latius diffundit, disciplinæ suæ præcepta ubique terrarum instillat, dum omnium fidelium manibus ejusmodi libros exhibet, in quibus fidem, atque doctrinam suam invictis omnino argumentis confirmat. Jam quilibet artis hujus beneficio Religionis suæ fundamenta inve*sti-* *Chevilier. de origine Typogr. La Caille Hist. Typograph.*

(*) *Observes velim, Nicolai de Clemangiis opera prohibita esse in Romano indice librorum. Vide Antonii Possevini Apparatum in Verbo:* Nicolaus Clemengis.

Sæcul. XV. A. C. 1440.

vestigandi copiam nanciscitur. Ipsi quoque Verbi divini Præcones fidei veritates, quas prius sedula lectione præguhrunt, facilius fidelium mentibus inspirant. Si nil nisi manuscriptos haberemus Codices, cum hi non minus rari, quam pretiosi sint, Viri duntaxat literati, aut non nisi certæ cujusdam conditionis homines studiis sese adjicerent, nec forte in scientiis eminere possent, nisi qui divitiis abundarent. Olim pauci admodum in fontibus doctrinam hauriebant, cum nonnisi pauciffimi ad eos accedendi opportunitate fruerentur; Nunc vero nobiliffimi hujus inventi auxilio cunctis, & ubique obvii prostant libri, nec indoctus est, nisi qui propriæ voluntatis culpa ignorare desiderat. Igitur Typographiæ ars summo nobis pretio habenda, & insuperhabito illius abusu a nonnullis perperam inducto, pro tanta gratia hominibus divinitus missa immortales rependere grates tenemur.

§. CLV.

Variæ opiniones de illius Origine.

Paul. Jov.

Hujus tamen inventi Epocha nimium incerta est, sique diversas omnium, qui hac super re ingenia sua exercuerunt, sententias adoptare vacaret, nihilo tamen secius, nec Patriam, nec locum, nec hujus inventi utilitate, ac nobilitate longe præ-

præstantissimi Auctorem designare posse- Sæcul. XV.
mus. Nonnullorum opinio est, hanc ar- A C 1440.
tem ab immemoriali tempore apud Si-
nenses, sive Chinenses invaluisse, ac illius
rude lineamentum ex hisce terris ad nos
usque fuisse delatum; alii econtra cen-
sent, eam in Mexico primam suam origi-
nem sortitam a Ferdinando Cortesio, qui
hoc Regnum Hispanorum imperio subje-
cit, ad nostras terras feliciter translatam
fuisse: Ita nempe Scriptores isti invidioso
calamo nobis hujus inventi gloriam eri-
pere moliuntur. Nihilominus longe ve-
ro similius est, hunc honorem solis debe-
ri Germanis, quorum ingeniis, atque in-
dustriæ tot aliarum artium inventa in ac-
ceptis referre tenemur. Hi ceterorum
primi fuere, qui characteres ea arte fun-
dere excogitarunt, ut infinitis propemo-
dum modis combinari, atque ex illis ver-
ba ad concinnandum aliquem librum ne-
cessaria efformari queant. Hollandi, qui
de gloria adinventæ typographiæ cum
Germanis contendere volebant, nil nisi
quosdam codices, in quibus tamen tem-
pus editionis desiderabatur, opponere po-
terant, proin admodum incerta erat ori-
go, & præterea ad Sinensium formam
conscripti visebantur, ubi tota unius pagi-
næ scriptura ligneæ cuidam tabulæ in-
sculpta habebatur, totque diversæ ejus-
modi requirebantur tabulæ, quot pagi-
nas

Sæcul. XV. A. C 1440.

nas liber aliquis complecteretur. Hi modo impressi reperiuntur nonnulli Codices, quos a Laurentio Janssonio Viro magis noto sub nomine Joannis Costeri, Harlemi typis excusos fuisse, nonnulli arbitrantur. Verum partus iste non minus inventionis immaturitate, quam operis exequendi difficultate languebat. Trithemius & ipse Natione Germanus, atque coevus Auctor, cujus testimonium eoipso ex capite longe graviore auctoritatis pondere prævalere debet, testatum fecit, Joannem Guttembergium Virum inter Moguntinos equestri dignitate clarum, in ea civitate prima insignis artis hujus rudimenta excogitasse, eumque, postquam in hanc rem omnem suam pecuniam, & bona impendisset, nec tamen quod inceperat, perfeciisset, in laboris consortium Joannem Fustum, seu Faustum Moguntinum civem vocasse. Hic vero paulopost sibi quoque Petrum de Gernsheim socium adjunxit, eique Filiam suam postmodum nuptui tradidit, ubi per hujus Viri indefessam industriam ars Typographica primam suam maturitatem assecuta videtur.

§. CLVI.

Quinam sint primi libri typis impressi.

Lambecii Bibl. Vind. l. 2. p. 989.

In tanta rerum incertitudine hoc solum exploratum est, primum omnium, quo-

rum

rum notitia habetur, certusque annus adscriptus legitur, quemdam esse *Psalmorum Codicem* sub Annum Domini millesimum quadringentesimum quinquagesimum quintum typis vulgatum; item *Rationale divinorum officiorum Guilielmi Durandi* anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono in forma majori impressum; Vocabularium latinum, quod titulum præsefert. *Catholicon Joannis Bladi de Janua in Folio*, Anno Christi supra millesimum quadringentesimo sexagesimo editum: *Biblia latina* in duo volumina ejusdem formæ distincta, Anno Salvatoris nostri millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo excusa. Exstat etiam Ciceronis liber *de Officiis* Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto, denique altera ejusdem libri editio Anno post Christum natum millesimo quadringentesimo sexagesimo sexto, quarum utraque quaternionis formam exhibet. Hæc sunt omnium, quantum nobis constat, antiquissimarum editionum volumina Moguntinis literis excusa, quæque omnia nomen, & Joannis Fausti, & Petri Schæfferi insignia præseferunt, qui ambo etiam, ut nobilissimæ inventionis hujus gloriam ad posterorum memoriam propagarent, in omnibus ferme editionibus suis studiose annotarunt, hosce libros

Sæcul. XV. A. C. 1440.

Hofmanni lexicon to. 2. edit. Basil. 1677. Chevilier. p. 4 & 17.

Sæcul. XV. A. C. 1440.

nequaquam calamo descriptos, sed nov illa, & summe ingeniosa methodo impre sos fuisse. Primæ istæ editiones perfe cte imitantur antiquorum manuscripto rum elegantiam, ipsumque characteres efformandi usum, quorum puritas non mi nus aspicientibus grata, quam legentibus facilis est. Rubricæ, id est, tituli rubro colore tincti summa solertia appositi ha bentur, frequentius membranis impressi; literæ vero initiales auro tinctæ & pluri bus Gothicis ornamentis insignes visun tur. Cum vero isti inventores tot libris, quos ediderant, imprimendis soli impares essent, in laboris subsidium alios atque alios vocare coacti sunt; cumque hujus inventi tam ampla esset utilitas juxta ac necessitas, ut inter angustos unius urbis limites longiori tempore contineri haud posset, brevi hujus artis apparatus, atque imprimendi scientia divulgata est; vix enim illius percrebuit fama, cum illico omnes Europæ Nationes certatim, nec sine æmulatione operarios conscribere, in suis urbibus artem uberrimi fructus fœ cundam stabilire cæperunt, unde Germa ni typicæ periti per omnes regiones dif fundebantur. Horum nonnulli domici lium fixere Venetiis, Romæ, atque in aliis Italiæ urbibus, utpote quæ erant Se des Musis amicæ, & liberalibus disciplinis longe florentissimæ. Alios excepit Gallia,

Gallia, quibus ad excolendam artem subsidia præbebant Sorbonæ Doctores; alii ad ipsos Anglos hanc suam scientiam detulerunt. Vix ulla spectabilis Germaniæ numerabatur civitas, ubi typographiæ officina desiderabatur, quapropter exiguo admodum tempore literaria Respublica infinitis propemodum locupletata est libris, tam materiarum ubertate, quam sermonis elegantia præstantissimis, quos classici præcipue Auctores ipsa antiquitate celebres conscripserunt, quarum editionum beneficio potissimum sermonis latini puritas revocata, & tandem retroactorum sæculorum barbaries ab Athenæis penitus exulare jussa est. Sæcul. XV. A.C.1440.

§. CLVII.

Sanctæ Franciscæ obitus.

Ad hunc annum refertur obitus Sanctæ Franciscæ Romanæ, nobilis Matronæ piis operibus clarissima non sine sanctitatis fama beato fine quievit, anno ætatis suæ quinquagesimo sexto in Domo Oblatarum Ordinis S. Benedicti in Congregatione Montis Oliveti, quam ipsamet vivente adhucdum Marito suo instituit, dotavitque. Vix e vivis excesserat, & jam de ejus Canonizatione agebatur; instantius vero, atque iteratis precibus Nicolaus V. Eugenii Pontificis Successor, *Baillet. Vit. Sanct. 9. Mart.*

Sæcul. XV. A.C.1440.

ut eam Cælitum faſtis adſcriberet, roga batur; quæ tamen res usque ad Pauli I tempora differebatur. Hic vero die vi geſima nona Martii Anno Domini mil leſimo ſexcenteſimo octavo eandem Sanc ctarum Virginum albo inſeruit, ac edita Bulla ejus feſtum die nona Martii ce lebrandum præcepit.

§. CLVIII.

Conſilia Cardinalis Caſtillonei de ritu Ambroſiano commutando.

Eodem anno vix non exeunte Caſtillo neus Cardinalis, Nobilis Mediolanen ſis, & Placentinus Epiſcopus, qui etiam Abbas erat Monaſterii S. Ambroſii Medio lanenſis, animo conſtituit Officium Am broſianum in hac urbe recitari ſolitum abrogare, & Romanum introducere; Hunc in finem primo illinc Monachos Ci ſtercienſes, qui in ejusdem Abbatia col locati erant, ejecit, ac loco eorum Car thuſianos introduxit. Sed cum ea re Mediolanenſes offenſi, ad Ducem recur riſſent in graves effuſi querelas, is Car thuſianos ex templo abire juſſit, additis e tiam minis, ſe monaſterium eorum con crematurum, ſi morem gerere detrecta rent. His ergo parere compulſis, Car dinalis, primis ſuis conſiliis incaſſum ab euntibus, aliam viam tentavit: atque a

Præ-

Præpoſito Eccleſiæ S. Theclæ repetiit Codicem ritus Ambroſiani ejus cuſtodiæ concreditum, nec non in feſto Natalis Domini rem divinam Romano ritu in Altari majori celebrari curavit. Vix Cives rem compererant, cum protinus tumultum excitare, ad Cardinalis ædes cum facibus turmatim convolare, & vivum ſeſe eum combuſturos ingeminare, niſi Codicem reſtitueret. Hiſce territus Cardinalis, ſe e feneſtra demiſit, ac altera die Mediolano diſceſſit, firmiter ſtatuens ſe nunquam amplius eo reverſurum, quod & factum: tertio quippe abhinc anno ſupremum diem ſuum clauſit, nonagenario major. Ex quibus colligere licet, quanto zelo Mediolanenſes ſuos ritus, eorumque auctorem S. Ambroſium venerentur. Sæcul. XV. A C. 1440.

§. CLIX.

Concilium Friſingenſe in Germania.

Hoc item anno in Germania celebratum reperitur Concilium Friſingenſe, quod Nicodemus de Scala ejusdem urbis Epiſcopus, ac ex Familia Veronenſium Optimatum ortus convocaverat. Hiſtoricorum teſtimonio compertum habemus, ab eodem Nicodemo Joannem Nothum de Bavaria ex conſenſu Martini V. Sede epiſcopali deturbatum fuiſſe. Porro in hac Synodo viginti ſex condi- *Labb. Collect. Conc. to. 13. p. 1283.*

Sæcul. XV. A.C. 1440.

ta fuere decreta. In primo *prohibetur, ne quis de cetero alienæ diœceſis, ſeu ignotus, etiam peregrinus Clericus ad Sacramentorum adminiſtrationem, vel alias ad regimen Eccleſiæ admittatur, niſi deſuper literis Epiſcopi Friſingenſis, aut ejus Vicarii patentibus fuerit munitus.* II. Judices Eccleſiaſtici ſui muneris admonentur. III. Inhibet Synodus Judicibus ſæcularibus, *ne quemquam clericum ad judicium foreſe trahant, aut quemdam eorum coram ſe experiri cogant, ſub pœna excommunicationis.* IV. Iisdem Clericis præcipit, *ut honeſte, clericaliter & devote ſe exhibeant, tabernas non intrent, niſi in itinere conſtituti, modeſto habitu incedant, in ſuæ habitationis domo cauponam non erigant, a crapula & ebrietate abſtineant, & hoc ſub pœna ſuſpenſionis a perceptione fructuum beneficiorum.* V. Innovat decretum Baſileenſis Synodi *de Clericis Concubinariis.* VI. Mandat, *ut Clerici in ſuis beneficiis perſonaliter reſideant.* VII. Prohibet, ne *incompatibilia de jure beneficia retineant, niſi aliud ſibi fuerit indultum.* VIII. Statuit, *ut de cetero nullus recipiatur in Canonicum &c., niſi vacaverit præbenda, quæ illi, qui aſſumitur, aſſignetur.* IX. Vetat alienationem bonorum eccleſiaſticorum. X. Inhibet *Clericis, ne ſuſpenſos patibulo, decollatos, vel alios qualitercunque per ſententiam morti traditos, vel in tormentis,*

Sæcul. XV. A.C. 1440.

tis, publicis ſpectaculis occiſos, vel ſubito defunctos, qui non eodem anno confeſſi, vel non receperint Sacramentum Euchariſtiæ, niſi de conſilio Sacerdotis duxerint abſtinendum, eccleſiaſticæ ſepulturæ tradere præſumant, ac præcipit, ut licentia vel ab Epiſcopo, vel ejus Vicario ſuper hoc petita obtineatur, nihilque pro conceſſione hujusmodi licentiæ exigatur, neque recipiatur. XI. Damnat eos, qui decimas Clericis ſubtrahunt, easque ſolvere renuunt. XII. Agit de Regularibus, eisque monaſticam atque regularem diſciplinam commendat; denique ſtatuit Synodus, ut Prælati, quibus devotarum mulierum ac Virginum *tertiam regulam* profitentium cura commiſſa eſt, easdem ad ſuæ regulæ obſervantiam inducant: Inſuper Conſtitutionem Bonifacii Papæ VIII. ſuper clauſura Monialium editam executioni mandari præcipit.

Cetera hujus Synodi ſtatuta vix non easdem materias reſpiciunt. In tertio decimo agitur de jure Patronatus & de Advocatis Eccleſiarum. XIV. Prohibetur, ne Laïcis *Eccleſiæ reddantur tributariæ, aut eisdem aliquam exactionem ſolvant.* XV. *Omnibus Sacerdotibus, qui Parochiis præſunt, præcipitur, ut ſingulis diebus Dominicis aquam & ſal benedicant.* XVI. Agitur de celebratione Miſſæ, & mandatur, *ut nullus divina Miſſarum ſole-*

Sæcul. XV A.C. 1440.

mnia sine luminibus celebrare, aut hostiam ante consecrationem in altum elevare præsumat, ne adorando hostiam non consecratam populum idololatriam committere contingat. Innovabatur itidem statutum Concilii Provincialis Salisburgensis, quo cautum erat, ne quis prædicare, aut docere præsumeret, quod *Sacerdos in mortali peccato existens non possit conficere corpus Christi, seu sic ligatus non possit absolvere:* Præterea publicantur Indulgentiæ ab Eugenio IV. Papa in festo Corporis Christi concessæ: In decreto XVII. forma Baptismi, & unctiones præscribuntur. XVIII. Præcipitur, ut *secundum constitutionem Lateranensis Concilii Eucharistia, Chrisma, & Oleum sanctum sub fideli custodia conserventur, & Sacramentum Eucharistiæ singulis mensibus ad minus semel renovetur; mappæ, palæ, corporalia, & alia vestimenta divino cultui deputata munda & nitida conserventur.* XIX. Feruntur statuta contra eos, qui clandestina contrahunt matrimonia, & singulis cujuscunque conditionis personis interdicitur, ne ejusmodi occultis matrimoniis intersint. XX. Corriguntur ea, quæ Simoniam sapiunt, & prohibetur, ne quisquam pro bono spirituali paciscatur, aut exigat pecuniam vel aliquod aliud æquivalens; in quem finem innovatur Constitutio Concilii Constantiensis contra hoc vitium

vitium emanata. XXI. Præcipitur, quod *Judæi non permittantur fœnerari, nec uti famulis Christianis*, eisdemque injungitur, *ut in die Pentecostes fenestras & ostia clausa teneant tota die; in diebus autem lamentationis, & Dominicæ Passionis in publicum minime prodeant;* item, *cum salutaris Hostia ad infirmos deportatur, caveant, ne contra Christianam fidem, beatam Virginem, vel alios Sanctos contumeliosa verba proferant; nullus quoque Christianus cum eis balneari, aut medicinas* ab eis capere præsumat. XXII. Damnantur Usuræ cum Usurariis. XXIII. Providetur securitati Ecclesiasticorum. XXIV. Prohibentur Confessarii, ne a casibus Sedi Apostolicæ aut Episcopo reservatis absolvant; præscribitur forma absolutionis, & ulterior mentio fit de Confessione; tandem etiam prohibentur abusus Quæstorum. XXV. Inhibetur omnibus, *ne quemquam Clericum vel Laicum pro culpa vel contumacia excommunicent, sine scriptis, & monitione canonica non præmissa,* aliisque de necessitate juris observandis & observatis formulis, itemque innovatur Decretum Concilii Basileensis, quod incipit: *Ad vitanda scandala.* Denique in vigesimo sexto decreto præcipitur publicatio horum statutorum, quæ taliter acta ac concluſa fuere die Veneris secunda mensis Septembris anno millesimo quadrin-

Sæcul. XV. A.C. 1440.

Sæcul. XV. A.C. 1441.

gentesimo quadragesimo. Dupinus in sua Historia Sæculi decimi quinti nullam hujus Synodi mentionem nobis reliquit.

§. CLX.

Jacobitarum accessus ad Synodum Florentinam.

Anni hujus millesimi quadringentesimi quadragesimi primi exordia unione atque concordia Jacobinorum seu Jacobitarum cum Ecclesia Romana nobilitata fuere. Elapso jam anno die duodecima Septembris Joannes eorum Patriarcha ad Eugenium Papam literas dedit, per Andream monasterii S. Antonii Abbatem delatas, in quibus ad illam Pontificis epistolam, qua Patriarcham ad Florentinam Synodum vocaverat, respondit. Excusabat in iis suam a Concilio absentiam, obtendens infirmam valetudinem, atque paupertatem; nihilominus tamen se venerabilem quemdam fratrem suum, morum integritate, & doctrinæ præstantia commendandum ablegasse ajebat, eo consilio, ut vices suas ageret. Hujus Patriarchæ Legatus in quadam Congregatione, cui Eugenius Papa præerat, honorifice exceptus, legationis suæ caussam Syro idiomate exponebat, cujus oratio primum Italice, dein latine reddita, in acta Concilii fuit relata. Tribuebat Patriar-

triarcha in ea epistola summo Pontifici maximos honorum titulos, eundem appellans *Sacerdotii perfectionem, & omnium Ecclesiarum Apostolicum Pastorem, Sacerdotum Principem, peregrinantium, qui ceteris viam salutis ostendat, Ducem, & languentium Medicum.* Quibus Andreas hujus Epistolæ bajulus subjunxit, illum esse *Caput, & universalem Ecclesiæ Doctorem, latinam vero Ecclesiam retinuisse doctrinam, quam ab initio SS. Petrus & Paulus tradidissent, quam aliæ Ecclesiæ deserentes, & se a Romana Ecclesia Matre atque Magistra omnium separantes, gentibus in opprobrium, & ruinam traditæ essent.* Papa ex Jacobitarum ad Ecclesiam accessione immenso cumulatus gaudio, felicem hanc sortem congratulatus est eorum Legato, atque ut unionem etiam quoad dogmata firmiter stabiliret, luculentam tradidit Catholicæ fidei expositionem, cujus rei tamen exactam cognitionem haud quaquam assequi poterimus, nisi prius Jacobinorum originem, atque eorum errores compertos habeamus.

Sæcul. XV. A C 1441.

Conc Flor. part. 3. p. 1201. ex to. 13. Conc.

§. CLXI.

Jacobitarum origo, eorumque errores.

Igitur Jacobitas nomen suum a quodam Jacobo Zanzalo seu Bardajo mutuasse constat.

Sæcul. XV. A.C. 1441.

constat. Is erat natione Syrus Eutychetis, & Dioscori discipulus, quorum hæresin ineunte sæculo sexto adoptavit, & per universam Africam & Asiam tam late diffudit, ut tandem omnes reliquæ diversorum sectæ, in quas Eutychiani scindebantur, circa annum Christi septingentesimum coadunarentur in sola atque unica Jacobitarum factione, quæ & numero, & propagatione ceteris longe præstabat. Nomen quoque Monophysitarum sortiti sunt exinde, quod crederent, in Christo Domino unicam duntaxat esse naturam, atque Verbum corpus perfectum assumpsisse, eique unitum fuisse in una sola natura, sola persona, & solo supposito absque alteratione, commixtione, atque divisione. In ceteris *Christianæ* fidei articulis nullo speciali infecti erant errore; Cœtus tamen eorum longe lateque extensus, potissimam portionem complectebatur Cophtas, & Ægyptios. Horum plurimi quoque numerabantur in Syria, Æthiopia seu Abyssinia, & Armenia. Patriarcha Sedem suam fixerat Caremitæ, Mesopotamiæ urbe, arrogato Patriarchæ Antiocheni nomine, quamvis & alius quidam Græcus Schismaticus hac prærogativa potiretur, qui Damasci residebat: Jacobitæ tamen a schismatis tempore usque adeo & numero, & auctoritate superabant Græcos, ut ipsi ferme

Renodat. to. 4. de perpet. & coll. liturg. orient.

me soli Sedem Patriarchalem Alexandriæ occuparent, licet alter quisquam hoc munere fungatur pro Græcis, qui sibi subjectam tenet Æthiopiam, ubi Christiani fere omnes Eutychianorum, seu Jacobitarum sectam profitentur; ita nempe horum errores vix a Græcorum schismate diversi sunt. Sæcul. XV. A.C.1441.

§. CLXII.

Sessio IV. Concilii Florentini post discessum Græcorum.

In Sessione Concilii Florentini, quæ post discessum Græcorum quarta numeratur, Eugenius die quinta Februarii Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo primo, Pontificatus sui octavo edidit Decretum Unionis Jacobinorum, quod tam ipse Pontifex, quam duodecim Cardinales subscripserunt.

§. CLXIII.

Decretum Unionis Jacobitarum.

Hoc Decretum ab illis Isaiæ cap. 5, verbis exorditur. *Cantate Domino, quoniam magnifice fecit, annuntiate hæc in universa terra. Exulta & lauda habitatio Sion, quoniam magnus in medio tui sanctus Israel &c.* Postea Eugenius Papa Ecclesiæ

Sæcul. XV. A.C. 1441.

Ecclesiæ Romanæ fidem exponit asserens *Deum esse unum, & trinum in Personis, quæ nonnisi unus Deus sunt, quia trium una est substantia, & essentia.* Deinde damnat Sabellium, *Personas confundentem, & ipsarum distinctionem realem penitus auferentem;* item & Arianos, Eunomianos, & Macedonios, *solum Patrem Deum verum esse dicentes, Filium autem & Spiritum Sanctum in creaturarum ordine collocantes, damnat & quoscunque alios seu inæqualitatem in Trinitate docentes.* Post hæc determinat numerum librorum veteris & novi testamenti, quorum Catalago accensentur ii quoque, quos Judæi rejiciunt, ibidemque Eugenius Actibus Apostolorum post Epistolas Canonicas locum assignat. Præterea *Manichæorum anathematizat insaniam, qui duo prima principia posuerunt.* Articulatim quoque explicat Mysteria Incarnationis Domini nostri JEsu Christi, ejusdem Nativitatem, Passionem, sepulturam, resurrectionem, & Ascensionem; Innovat etiam anathema, quod olim erat dictum in Cerinthum, Ebionem, Marcionem, Paulum Samosatenum, Photium, aliosque hæreticos, Valentinum, Apollinarem, Theodorum Mopsuestenum, atque Nestorium, Eutychetem & Macarium Antiochenum. Tractat de Mediatore nostro Christo Domino, *quem aliquando venturum omnia veteris testa-*

teſtamenti ſacra ſacrificia, Sacramenta, & ceremoniæ præſignarunt. Agit de neceſſitate Baptiſmi, & de ſalute æterna, declarans, *neminem poſſe ſalvari, niſi in Catholicæ Eccleſiæ gremio & unitate permanſerit.* Amplectitur Concilia Generalia, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe, necnon Conſtantinopolitanum ſecundum & tertium, *omnesque alias auctoritate Romani Pontificis legitime congregatas, celebratas, & confirmatas Synodos.* Ad calcem hujus Decreti ſubjungitur: *Amplectitur præſertim hanc ſanctam Florentinam, in qua inter alia Græcorum & Armenorum ſanctiſſima unio conſummata eſt.*

Sæcul. XV. A. C. 1441.

§. CLXIV.

Hoc decretum a Jacobitarum Legato acceptatum.

Omnibus hiſce articulis ita expoſitis, Andreas nomine ſui Patriarchæ, & totius Jacobitarum cœtus, *hoc ſaluberrimum Synodale decretum cum inſertis definitionibus, decretis, præceptis, & ſtatutis omnemque doctrinam in ipſo deſcriptam, necnon quicquid tenet & docet ſancta Sedes Apoſtolica & Romana Eccleſia, cum omni devotione & reverentia ſuſcepit & acceptavit. Quascunque vero Perſonas, & quicquid ipſa Romana Eccleſia reprobat, & damnat,*

Labbe Conc to.13.p.1212

Sæcul. XV. A.C. 1441.

mnat, pro reprobatis & damnatis habuit. Andreas lecto publice hoc decreto, quod primum latino, mox Arabico sermone conceptum erat, illud propria sua manu munivit, ejusque acceptationem firmavit, professus, *omnia in ipso decreto contenta, divinæ, ac Catholicæ veritati consona existere.* Insuper tam suo quam Patriarchæ, omniumque Jacobitarum nomine pollicebatur, *omnes tanquam veros obedientiæ filios Papæ ac Sedis Apostolicæ decretis & jussionibus fideliter & semper obtemperaturos.*

§. CLXV.

Epistola Eugenii Papæ ad Imperatorem Constantinum Palæologum.

Labbe Conc. to. 13. p. 1213

Sub idem tempus Eugenius Papa vigesima prima Aprilis currentis anni scripsit ad Constantinum Palæologum Despotam, qui Joanni Palæologo in Imperio Græcorum successit: Hunc Principem de unione Græcorum certiorem reddit, precaturque, *ut, si favente Deo in Romæorum imperio succedere, & in Imperatorem creari contigerit, omnem operam dare velit, quo sancta occidentalis & orientalis Ecclesiæ unio concorditer celebrata in omnibus Græcis partibus sortiatur complementum,* demum suo & Apostolicæ Sedis

dis nomine Constantino spondet, se *auxilia illa, & subsidia, quæ Joanni Palæologo Imperatori pro defensione civitatis Constantinopolis pollicitus est, submissurum.* Tandem subjungit: *Nunquam Romanam Ecclesiam & Apostolicam Sedem illi defuturam esse dubitet, eidem debitam, & devotam reverentiam exhibendo, dum etiam per semitam justitiæ incesserit, atque unionis hujusmodi sacrosanctæ necessarium complementum tam fideliter quam potenter adhibuerit, quæ unio*, inquiebat Papa, *illius* (scilicet Joannis Imperatoris) *culpa & tepiditate impleri non potuit.* Sæcul. XV. A.C. 1441.

§. CLXVI.

Literæ Æthiopum Regis ad Eugenium Papam.

Exstant quoque literæ per Æthiopiæ Regem ad Eugenium Papam datæ, quas Florentiam deferendi negotium a Rege illo cuidam Æthiopum Abbati, cui nomen Nicodemus, demandatum erat. Postquam hic Legatus ad alloquium admissus, in quadam Congregatione die secunda Septembris celebrata auditus erat, significabat, Regem suum scripsisse, quod ipsemet pro unione cum Ecclesia Romana feliciter perficienda in Italiam venturus esset. Huic tamen unionis desiderio optatus respondisse exitus haud videtur. *Ibid. p. 1214.*

Sæcul. XV. A. C. 1441.

Rescripsit vero Pontifex Regi die quarta Octobris, hasque literas Angelus Maurocenus Sciensis Insulæ Gubernator detulit.

§. CLXVII.

Epistola Patriarchæ Alexandrini ad Eugenium Papam.

Labbe Conc. to. 13. p. 1174

Eodem tempore Philotheus Patriarcha Alexandrinus, recepto unionis Græcorum decreto, ad Eugenium Papam literas dedit, eidem hancce concordiam gratulaturus, & in communis quoque lætitiæ partem venturus. Hujus Epistolæ principium sane notatu est dignissimum. Ita Patriarcha alloquitur Eugenium, *Pater religiosissime, beatissime, justissime, terrestris Angele, ac cœlestis Homo, qui cum gratia Dei indutus cum sacra veste ornatus, boni gregis optime Pastor, qui doctrina tua irruentes lupos ab ovibus universalis ovilis depellis Christi nostri benefactoris patrocinio, deinde Principis Apostolorum Petri, & petra fidei, caput omnium Christianarum Ecclesiarum, qui ex Christo JEsu Domino nostro sacram potestatem accipiens Papa magnæ Urbis Romanorum, & protector ceterorum Patriarcharum &c.* Dein unionem feliciter sancitam magnificis encomiorum titulis deprædicat, additque, *se scripsisse literas ad Joannem Palæologum Imperatorem,*

torem, & ad quosdam Pontifices Conſtanti- Sæcul. XV.
nopolim, ſignificans, ut ſi quis ea quæ in ſa- A.C 1441.
cra Synodo decreta ac definita ſunt, non re-
cepit, tanquam tyrannus & hæreticus habea-
tur, decidatque a communione ſanctæ Eccleſiæ
Catholicæ. Verum ardens hoc unionis tuendæ ſtudium proſpero effectu fruſtratum perſpiciemus.

§. CLXVIII.

Conventus Moguntinus.

Dum Patriarchæ Orientis ex ultimis terrarum Oris ad Eugenium confluebant, ſummi Pontificatus auctoritatem reverenter ſuſcepturi, Baſileenſes eandem penitus evertere extremis conatibus laborabant. Quam ob rem ſuos decernebant Oratores ad conventum, ſeu comitia, quæ Principes Germaniæ in Menſe Aprili Moguntiæ celebranda indixerunt. Acceſſerant quoque Legati ab Eugenio Papa miſſi, ſimulque Galliarum Rex a Friderico Cæſare ad hunc conventum venire rogatus ſuos Oratores unacum pluribus aliorum Principum Legatis eo ablegaverat. Advenerat jam antea cum reliquis Baſileenſium Delegatis Joannes de Segovia, quem Felix poſtea Cardinalem Sancti Calixti nuncupaverat. Hic Principum adventum eo conſilio præſtolabatur, ut Legati a latere munia obire poſſet,

Sæcul. XV. A.C. 1441

quinimo, absente Archiepiscopo Moguntino, urbem ingredi, sibique Crucem præferri voluit. Verum his molitionibus protinus obsistebant Principes, ac insuper Præsulum nonnulli, urbisque Canonici eundem rogabant, ut si Ecclesiam intraret, legationis insignia dimitteret; Archiepiscopum enim Moguntinum, ceterosque Germaniæ Principes ad communem pacem tuendam arctissimo vinculo copulatos decrevisse, nihil eorum, quæ contendentium alterutri parti damno, aut fraudi esse possent, permittere. De cetero se solum Eugenium tanquam verum summum Pontificem venerari, & Basileensem Synodum pro legitima habere, proin se Joanni suadere, ut usque ad adventum Archiepiscopi Moguntini domi se contineret.

Ang. Patric. Histor. Conc. Basil. & Flor. art. 117. ex tom. 13. Conc. p. 1590.

§. CLXIX.

Conventus Moguntinus Basileensium Oratorem sub Legati prærogativa agnoscere oblucatus.

Tandem Moguntiæ Archiepiscopus die duodecima, aut forte decima tertia Februarii comitante eum Trevirensi Archiepiscopo Moguntiam delatus est, quorsum etiam paucis post diebus Imperatoris Oratores, aliique quam plurimi secuti fuere. Joannes Segovienſis, cum per quos-

quosdam amicos certior factus esset, S. R. I. Electores, & præ ceteris omnibus Archiepiscopum Moguntinum Eugenii partes auctoritatemque impensius tueri, datis ad Basileenses literis in legationis suæ subsidium socios sibi adjungi, hancque in rem majoris nominis Viros seligi postulavit. Interea vero Segovienſis per multos dies nomine Basileensis Synodi ad alloquium admitti petiit, tandem vero in responsis accepit, Principes Imperii in hanc convenisse sententiam, se ab illa unione, quam Sacramenti religione firmassent, nullo pacto dimovendos, sed datam fidem inviolabiliter servaturos, quantumvis forte eorum agendi ratio aliis minus tuta videretur. Addebant, se quidem Basileensium deputatum tanquam privatum Oratorem æquo animo audituros, nunquam tamen permissuros, ut habitu Cardinalium indutus unacum Cruce coram eis appareret, eoquod neque eum pro Legato, neque pro Cardinali ullo unquam tempore agnoscerent, idemque se facturos, siquis Cardinalium, quos Eugenius post suam suspensionem creasset, accederet. Sæcul. XV. A. C. 1441.

§. CLXX.

Cardinalis Arelatensis Moguntiæ.

Joannes Segovienſis hoc responsi genus ægerrime ferens, nullatenus cedere

Sæcul. XV. A.C. 1441.

decrevit, donec rei gestæ seriem ad Basileenses, & præcipue ad Felicem perscripsisset. Imperii vero Principes Joanni legem imponebant, ut Eugenium Papam, si de eo sermonem haberet, nullatenus Hæreticum, aut schismaticum convitiari præsumeret, cum tamen Legatus iste nullo alio consilio Moguntiam venisset, quam ut Basileensium acta vindicaret, & Eugenii crimina, quæ eidem affingebantur, in medium produceret. His interea ultro, citroque agitatis, Cardinalis Arelatensis itidem Legatum a latere præsentaturus Moguntiam venit, comitante Joanne de Frisinga, alias dicto Cardinale S. Martini. Principes adventanti obviam mittebant Joannem de Lyssura, qui eidem significaret, a se quidem Arelatensem honorandum esse ut verum Cardinalem, eumque unacum aliis etiam benigne audituros, dummodo nulla legationis suæ insignia deferret, & Crucem, atque Cardinalium habitum non indueret. Nimirum simili responso jam antea Joannes Segovienſis exceptus fuerat.

§. CLXXI.

Arelatensis ut Legatus nec receptus, nec auditus.

Hac super re ingens per plures dies con-

contentio orta est, Basileensium Oratoribus nullo pacto cedere volentibus, & Principibus viciſſim comitia ſua ſe alio translaturos aſſerentibus, niſi eorum voluntati acquieſcerent. Tandem Magiſtratus etiam, Civesque Moguntini Basileenſibus ſignificari juſſerunt, ſi pertinaciter Principibus morem gerere detrectarent, ſe fidem publicam eis conceſſam revocaturos, dato octo dierum adhuc ſpatio, intra quod ab urbe diſcederent. His auditis Basileenſium Delegati, ne cauſſam ſuam ſine ulla defenſione dimitterent, acquieſcere compulſi ſunt, cum & Principes a ſententia ſua diſcedere renuerent, & Magiſtratus ad implendam eorum voluntatem urgerent.

Sæcul. XV. A C. 1441.

§. CLXXII.

Utriusque Pontificis Legati admiſſi.

Igitur Cardinalis Arelatenſis die vigeſima quarta Martii absque Cruce, & dignitatis ſuæ inſigniis comitia adiit, nullo comitatu honoratus; legationis quippe ſocios, ſuosque famulos omnes domi relinquebat. Dicebat multa ipſemet primum, poſt vero plura ſocius ejus Thomas de Corcellis, qui ſupremam efferebat Conciliorum poteſtatem, & rectum eſſe ajebat Basileenſium in Eugenium judicium, nec non legitimam æque

Acta Patricii p. 1591. & ſeq.

Sæcul. XV. A. C. 1441.

ac neceſſariam ſubrogationem Felicis. Poſtridie vero auditi ſunt Legati Eugenii nimirum Joannes de Caravajalo, & Nicolaus de Cuſa. Horum primus Eugenii Papæ, a quo miſſus fuerat, auctoritatem vindicatum ibat, ſuumque ſermonem auſpicabatur illis S. Pauli Apoſtoli verbis ad Galatas capite quarto verſu trigeſimo: *Ejice ancillam, & Filium ejus; non enim hæres erit filius ancillæ cum Filio liberæ.* Plura alia prorſus inſignia adverſus ſummi Pontificis hoſtes protulit. Hujus orationem excepit Nicolaus de Cuſa, qui non minori ſolidiſſimarum rationum pondere adverſariorum dicta confutavit, omnia, quæ Baſileenſes pridie calumniabantur, evidentibus argumentis ſatis ſuperque confutans, atque Caravajali verba ſolide confirmans. Teſtabatur quoque, Amadæum Sabaudum Pontificiam dignitatem, quam plures jam annos ſub ovina pelle aucupatus fuerat, tandem a ſuis Electoribus auro coemiſſe, ac Venetis duodecim millia equitum promiſiſſe, ſi dimiſſo Eugenio ſibi adhærerent. Subjunxit Depoſitionem Eugenii ab Epiſcopis duntaxat numero ſeptem attentatam eſſe; cum tamen ex Canonum præſcripto ſimplicis etiam Epiſcopi exauctoratio a paucioribus, quam duodecim rite fieri haud poſſet. Addunt Patricii acta, Eugenii Legatos non ſine ingenti Princi-

Principum applausu ac jubilo auditos, eoquod optime Basileensium objecta reprimere viderentur. Saecul. XV. A. C. 1441.

Attamen Joannes de Segovia, cum ad ea, quæ Eugenii Pontificis Legati protulissent, a nemine quicquam responderi ægerrime ferret, ipse depositis dignitatis Cardinalitiæ insignibus quædam subjungere aggrediebatur; ac primo quidem Basileensium meritis prolixo sermone jactitatis, allegabat rationes, quibus permotus purpuram haud induisset, dein suorum adversariorum momenta diluere conabatur, ac duodecim omnino argumenta proponebat, quibus confirmare nitebatur, Conciliis generalibus supremam competere potestatem, eisque summos etiam Pontifices obedientiam debere; Synodum Basileensem esse legitimam, quæ ab Eugenio neutiquam dissolvi potuisset, hunc vero Pontificem rite exauctoratum, eidemque Felicem esse suffectum, atque ideo huic soli tanquam vero summo Pontifici parendum. Tandem pluribus veritates a Basileensibus approbatas defendere aggrediebatur, inde concludens, Eugenium merito ut hæreticum fuisse declaratum.

Sæcul. XV. A.C. 1441.

§. CLXXIII.

Principum ſententia.

Acta Patric. pag. 1592.

Altera die Carvajalus, & Cuſa contrario reſponſo Segovienſis dicta infirmabant. Exinde cum Baſileenſes audiri peterent, haud amplius admiſſi ſunt. Principes vero, ſolo excepto Trevirenſium Electore tum abſente, collatis conſiliis cum Friderici, & Franciæ Regis Oratoribus in hanc ſententiam convenere: pro pace Eccleſiæ Oecumenica congregetur Synodus, in alia tamen præter Baſileam & Florentiam, vel Germaniæ, vel Franciæ civitate: ad hoc Concilium contendentes partes ab Imperatore vocentur, atque Oratores nomine Cæſaris, Galliarum Regis, ac Principum ad Eugenium mittantur menſe Novembri, idemque Amadæo ſignificetur per quemdam ex ſuis Prælatis: Denique Concilium omnino inchoetur Calendis Auguſti anni proximi milleſimi quadringenteſimi quadrageſimi ſecundi.

§. CLXXIV.

Imperatoris conſilium de negotio usque ad comitia Francofordienſia differendo.

Hæc Principum ſententia mittebatur ad Fridericum Imperatorem, quem eo tempo-

tempore Viennæ degentem Eugenii & Basileensium Oratores convenerant, singulis summo studio, ac animi contentione causſam suam tuentibus. Fridericus horum rationes percepit, sed eornm postulatis nihil concedens, totum negotium ad comitia, quæ Francofordiæ mense Novembri, die S. Martino sacra celebrarentur, distulit atque de communi Principum consilio rem esse decidendam edixit. Nihilominus hunc Imperii congressum nonnisi mense Majo anni supra millesimum quadringentesimi quadragesimi secundi habitum esse constat. Ceterum Albertus, qui Cæsari proxime sanguine junctus erat, Felici adhærere, eidemque obsequium suum ad extremum usque vitæ diem deferre professus est. His peractis solutus est Moguntiæ conventus: Basileenses vero, cum ipsis ulteriora proponere integrum non esset, prolixam apologiam scripserunt, quam ubivis sollicite disseminarunt, dicta ac rationes eorum, qui Eugenio Papæ favebant, enervare volentes. Sæcul. XV. A.C.1441.

§. CLXXV.

Sessio XLIII. Basileensis Synodi.

Moguntino conventu tandem absoluto, celebrata est Basileæ Sessio ordine quadragesima tertia. Per longum tempus, *Labb. Cone. to. 12. p. 684.*

Sæcul. XV. A. C. 1441.

pus, antequam dicta seſſio haberetur, inter Basileenses de Festo Visitationis Beatissimæ Virginis Mariæ disceptatum est eoquod hac super re decretum condere meditarentur. Equidem Bonifacius IX. anteriore tempore Constitutionem de hoc argumento publicavit: cum vero ejus Bulla schismatis tempore facta, a Sectatoribus alterius Obedientiæ non fuisset susceptа, Basileenses inde opportunum captantes obtentum de festivitate illa aliud confecerunt Decretum. Verum prolixa, & ardua inter eos suborta est contentio de modo, quo hoc decretum conciperetur. Delineabat Æneas Sylvius formam illius, quæ ceteris quoque placuit. Nova tamen succrevere jurgia, cum plerique opinarentur, hoc Decretum promulgandum esse *Felicis nomine, sacro approbante Concilio;* idipsum enim observatum dicebant in antiquis Conciliis; alii ex adverso contendebant, addendum esse, *Papa Felice Præsidente*, ut olim Senis factum fuisse asserebant. Tandem in hanc iverunt sententiam, decretum nequaquam nomine Papæ publicandum esse; perspiciebant enim, Felicem a plerisque Principibus tanquam verum Papam non recipi, hinc si ejus nomine decreta promulgarentur, omnem Concilii auctoritatem labefactatum iri. Narrat quoque Cochlæus, Basileenses promisse

Acta Patric. to. 13 Conc. pag. 1594.

Cochl. Hist. Hussit. lib. 9.

se Nationi Germanicæ, quod quandocunque Imperator & ceteri Principes se pro Synodo, quam proxime celebrandam statuissent, declaraturi forent, in illa Felicem Præsidis vices non susceptorum, sed Concilium in omnibus processurum, quemadmodum ante electionem Felicis (*) factum fuisset. Sæcul. XV. A. C. 1441.

§. CLXXVI.

Decretum de festo Visitationis B. Virginis.

Igitur Constitutionem edunt de celebranda festivitate Visitationis Beatæ Virginis; nullam tamen in hoc Decreto de Felice Papa mentionem faciunt, decernentes, ut *per singulas Christianorum Ecclesias quolibet anno sexto nonas Julii festum hujusmodi visitationis glorioſæ Virginis* *Collect. Conc. tom. 12.*

(*) Merito Spondanus ad hunc annum num. 4. subjunxit: *At quod hoc monstri genus, ut corpus fieret sine capite, caput sine corpore? Verum & nos istud divina providentia permissum existimamus, ne vel umbra quidem Romani Pontificatus eorum instituta sive illa in se pia, sive impia, certa semper absque ulla legitima auctoritate fabricata, velata dici possent . . . . O bellum Pontificem! o fœdam colluviem!*

Sæcul. XV. A.C. 1441.

ginis celebretur. Hoc igitur amplectantur Christi fideles, omnibus vero Christi fidelibus, qui matutinis, Processioni, Sermoni, Missarum solemniis, vel primis aut secundis vesperis hujus festivitatis interfuerint, pro unoquoque officiorum prædictorum centum dies de injunctis pœnitentiis misericorditer elargiuntur. In hac eadem Sessione Alphonsus Arragonum Rex, ut Rhodiorum Insula a Turcarum violentiis propugnari valeret, ex omnibus Clericorum bonis decimam partem imperari, a Basileensibus postulavit, pollicitus, se omnem operam navaturum, ut hæc pecuniarum summa ex Regni sui proventibus resarciretur. Verum Basileenses, cum Ecclesiasticorum corpus in duas factiones scissum esse, probe intelligerent, Regiis hisce precibus deferre, haud e re fore judicarunt: quapropter Alphonsus saltem intra Sabaudiæ fines ejusmodi decumas imponendas, iterato rogavit, sed denuo repulsam tulit.

§. CLXXVII.

Pacta Mediolanensis Ducis de præstanda Felici obedientia.

Acta Patricii tom. 13. conc. p. 1595.

Philippus Mediolanensium Dux, jam a longo tempore Oratoribus suis negotium dedit, ut cum Basileensibus agerent de conditionibus, sub quibus Felici obe-

obedientiam præſtaret. Sabaudus re per Amicos ſuos comperta, ut pactum ante comitia Francofordiæ celebranda conſenſu ſuo firmaret, Ducem acriter urget. Verum Philippus rebus ſuis male conſultum iri veritus, ſi primus ex omnibus Italiæ Principibus Neo-Papæ obedientiam profiteri præſumeret, ab eo tredecim millia aureorum pro alendis quatuor millibus Equitum ſingulis menſibus pendenda poſtulavit, primorum tamen menſium ſolutionem omnino anticipari voluit, ut hoc ſubſidio inſtructus, ſuarum ditionum ſecuritati valide proſpicere, & Eccleſiæ Romanæ Provincias feliciter recuperare poſſet, viciſſim ſe Felicis imperio Bononiæ urbem armata manu ſubacturum promiſit. Præterea Nicolaus Picininus ſupremus copiarum Mediolanenſium Præfectus per illum, quem a ſecretis habebat, a Felice petiit, ut, ſi dicta urbe potiri vellet, impenſas, quæ ſane parvæ haud eſſent, ad illius expugnationem neceſſarias minime negaret. Offerebantur adhuc aliæ conditiones, & plurimis literis ultro citroque miſſis diu multumque conſultatum eſt. Præcipue vero Felicis Cardinales, ejusque amici fortiter inſtabant, ut oblatas acceptaret conditiones, cauſſati, ipſum obtenta ſemel Ducis Mediolanenſis gratia, brevi Alphonſum quoque Arragoniæ Regem, maguam-

Sæcul. XV. A.C. 1441.

Sæcul. XV. A.C. 1441.

magnamque Italiæ partem in sui ipsius obsequium pellecturum; Germanos itidem, ceterosque horum exempla haud dubie secuturos. Felix itaque expugnatus, mense Augusto ad finem vergente Duci Mediolanensi promisit, se tertia septimana post præstitam sibi obedientiæ fidem, & traditam Bononiæ urbem quinquaginta aureorum millia, & deinceps totidem millia ex proventibus ejusdem urbis diversis pensionibus numeranda soluturum.

§. CLXXVIII.

Felix a Duce vanis promissis illusus.

Felicis Pro-Camerarius, cui perficiendi hujus tractatus negotium datum est, nil intentatum reliquit, ut rem ad exitum deduceret, quocirca jam nunc Ferrariæ Marchionem sollicitabat, jam Philippum Ducem ad suas partes pertrahere nitebatur. Tandem vero mense Januario ad Felicem redire permissus, horum Principum nomine pollicebatur, Ducem nedum elapso decem dierum spatio solemnem decreturum legationem, quæ suo nomine Felici obsequii homagium deferret. Verum omnes istæ spes adeo magnificæ brevi ad nihilum redactæ evanuerunt, Ducis Mediolanensis Oratoribus

bus nec ab illo momento ultra Basileæ limina salutantibus. Sæcul. XV. A.C.1441.

§. CLXXIX.

Dissidia Felicem inter, & Cardinales suos ob quintum, & decimum denarium.

Testantur Acta Patricii, subortam fuisse controversiam Felicem inter & Cardinales suos. Occasionem litis præbebat facultas eidem data, qua ex omnibus beneficiis per quinquennium quintam, & ceteris subsequentibus annis decimam partem percipere posset. Horum fructuum mediam portionem sibi deberi contendebant Cardinales, Sessionis XXIII. Decreto, necnon alteri Nicolai IV. Constitutioni suffulti. Ex adverso Felix Cardinalium postulata æquitatis legibus adversari dicebat, caussatus, se immensum expensarum onus sustinere coactum fuisse, quin tamen vel obulum ex Romanæ Ecclesiæ reditibus percepisset; addidit, sibi ex solo Sabaudiæ Ducatu quintum obvenisse denarium, cujus tamen partem ipsi Curiæ Ministri sibi vendicassent, eam pro sua sustentatione sibi debitam asserentes. Cum multum temporis ejus-

Aug. Patric. hist. Conc. Basil. & Flor art.125 sub finem to. 13. Concil.

Sæcul. XV. A.C. 1441.

modi altercationibus absumeretur, nihil omnino hac super re decisum fuit.

§. CLXXX.

Postulata Felicis ad Synodum.

Sub idem tempus pari quidem pertinacia, feliciori tamen successu dirempta fervebat disceptatio, cum a Basileensibus postularet Felix, ut sibi, quoniam alias ex Pontificatus sui proventibus nil omnino acciperet, ad dignitatis suæ onera sufferenda unam concederent Ecclesiam, monasterium unum, unumque aliud beneficium in Sabaudiæ Ducatu, nomine Synodi tamdiu obtinenda, donec potiorem ex] Romanæ Ecclesiæ bonis partem recuperaret. Basileenses *circa hoc* Felicis postulatum diu deliberabant: ægerrime tamen hunc ei favorem nonisi summis, quos Felix habebat, amicorum precibus devicti, post maximam animorum contentionem concedebant. Præterea statuebant, Felicem reservationibus, ut vocant, in Sessione trigesima prima stabilitis potiri posse: Cum vero frequentes afferrentur querimoniæ adversus illos, qui literas Apostolicas expediri solent, quod pro suis laboribus immodicas exigerent pecunias, hoc super negotio

negotio diu deliberatum, concluſum nihil eſt, illis contendentibus, honoraria, quæ exegiſſent, nequaquam limites a Joanne XXI. ſummo Pontifice decretos excedere. Sæcul. XV. A.C. 1441.

§. CLXXXI.

Alphonſus Felicis obſequio addictus.

Delatæ ſunt Menſe Octobri ad Baſileenſis Synodi Patres literæ, quibus Alphonſus ſex regna ſua Felicis obedientiæ ſubmittebat, ſimulque fidem dabat, ſe multa alia, eaque longe ampliora præſtiturum, ſi ad eum Legatus *a latere* decerneretur. Ergo Joannes de Segovia dictus Cardinalis S. Calixti hoc dignitatis gradu auctus eſt, dataque eidem per univerſam Italiam & adjacentes Inſulas ampliſſima poteſtas. Præcipue eo decernebatur, ut in iſtis Provinciis tum Baſileenſis Synodi æquitatem deprædicaret, & ad obedientiam Felicis Papæ quoscunque alliceret, tum denique, ut Alphonſum inter & Renatum Andegavenſem, pacis conciliatorem ageret. *Aug. Patria p. 1596.*

§. CLXXXII.

Bohemorum Oratorum poſtulata.

Ultima jam Menſis Octobris fluebat dies, cum Pragenſis civitatis, & Ul-

Sæcul. XV. A.C. 1441.

rici de Rosemberg, qui Bohemiæ Regnum administrabat, necnon potissimarum hujus Provinciarum Oratores Basileam venirent, Felicem veneraturi, cui in quadam generali Congregatione ad alloquium admissi plenam, atque perfectam obedientiam pollicebantur. Præterea enixe flagitabant, ut Basileenses subsidiariis copiis Ulricum juvarent, utpote qui continuo cum Hussitis bello implicaretur, nec tamen eorum potentiæ resistendo par esset. His repossuere Basileenses, Oratores ad comitia Francofordiensia decernendos, qui a Principibus Germaniæ impetrarent, ut Ulrico ex pecuniis, quæ indulgentiarum occasione collectæ erant, auxilio essent.

§. CLXXXIII.

Episcopus Cracoviensis Felici adhærens.

Sbigneus Cracoviensis Episcopus, quem Felix Cardinalem creaverat, quamvis jam antea ad eandem dignitatem ab Eugenio evectus esset, hucusque nec Eugenio, nec Felici aperte adhæsit, ratus, se tanto securius patriæ suæ prospecturum, quo magis a cujusvis partis studio alienus esset. Tandem vero mutata

tata hac animi ſententia Baſileenſibus fa- Sæcul. XV.
vere ſtatuebat, atque ad Felicem hoc anno A. C. 1441.
Virum ablegabat, qui ejus nomine Amadæo tanquam Pontifici reverentiam exhiberet, ac obedientiæ homagium exſolveret, ſimulque grates rependeret pro collato Cardinalatus honore, quem hucusque haud aliam ob cauſſam acceptare cunctatus eſſet, quam quod jam antea hac dignitate ab Eugenio auctus fuiſſet. Præterea Polonorum Rex, qui dudum ſua obſequia Felici addixiſſet, ſi præter Regis Hungariæ titulum, etiam pecunias ex indulgentiis collectas obtinuiſſet, eidem denique adhærere viſus eſt, dum in ditionibus ſuis Eugenio Papæ obedientiam præſtari prohibuit.

§. CLXXXIV.

Baſileenſium anxietas ob Panormitani orationem.

Patricius ad hunc annum refert turbas, quas inter Baſileenſes ſermo quidam ab Archiepiſcopo Panormitano prolatus excitaverat. Rem hiſce verbis narrat Patricius. *In celebritate Pentecoſtes, cum Felix rem divinam faceret, Panormitanus ſermonem habuit, in quo, cum de auctoritate Concilii & Papæ loqueretur, aſ-* *Aug. Patric. loc. cit. art.* 120.

Sæcul. XV. A.C. 1441.

seruit, Papam esse majorem generali Concilio: neque recte agi a Patribus, quod nomen Pontificis nomini Concilii postponerent, quoniam ipse esset caput Concilii, & Episcopus Universalis Ecclesiæ; sed hanc prærogativam habere Pontificem in rebus alienis (scilicet suam Personam non concernentibus) *in factis autem propriis ita Papam subesse Concilio, ut etiam pro quocunque peccato mortali notorio Ecclesiam perturbante posset a Concilio judicari. In alienis autem judicium ad eum omnino pertinere, ad quem etiam definitiones fidei spectarent, etiam præsente Generali Concilio. Hæc Panormitani verba multorum Patrum Basileensium animos admodum perturbarunt, putantes, ea aperte contra Basileenses* (*) *Synodi doctrinam esse, & in favorem Eugenii. Monitus super his Panormitanus coram Felice & Cardinalibus suis, se multis verbis purgavit, ostendens prius, quæ & quanta fecisset pro auctoritate & defensione sacri Concilii: se ea verba protulisse ardore quodam sermonis, & non ea intentione, qua multi acceperant, sed neque ita esse interpretanda. Proinde acciperent ejus bonam mentem, qui auctoritati Conciliorum favisset semper, faveretque, quoad viveret.*

§. CLXXXV.

(*) Textus habet *Constantiensis.*

Sæcul. XV.
A.C.1441.

§. CLXXXV.

Creolium a Galliarum Rege captum.

Interea Carolus VII. Galliarum Rex adeo feliciter dissipata Principum conjuratione per universam Franciam sibi ingentem nominis sui gloriam conciliabat, propria experientia edoctus, nunquam secundo magis successu publicæ regnorum tranquillitati consultum iri, quam ubi præsentia Regis vel ardorem pugnæ incendit, vel vecordiæ pudorem militibus affundit, cunctisque vincendi fiduciam ingerit. Quapropter omnibus Campaniæ & Picardiæ perlustratis urbibus, rebusque tam militiæ, quam ærarii rite dispositis, ipse cum copiis suis in Compendiensem urbem movit, ut Creolium, Bellovacensis agri civitatem ad Orsiæ flumen sitam obsidione cingeret; eo igitur Pregentium Cotinium Franciæ Admiralem, Vignolium Hiram, aliosque Belliduces die decima octava Maji præmiserat, quos ipse secutus urbem nonnisi duodecim dierum obsidione pressam pactis cum hoste conditionibus deditione occupavit. Hac victoria auctus, Sylvanectum, inde ad oppidum S. Dionysii progressus, ibi aliquamdiu substitit, dum in-

Sæcul. XV. A. C. 1441.

terea ejusdem Belliduces Bellomenillum Normanniæ arcem, necnon Bellomontium-Rogerii in potestatem suam redegerant. Andegavenses quoque Nobiles quadringentorum, aut ferme quingentorum Anglorum cohortem aggrediebantur, victosque Cenomanum usque fugere compellebant, ac potissima equorum suorum parte exuebant.

§. CLXXXVI.

Pontisara a Rege obsessa, ac expugnata.

Maubuisson

Dies erat sexta Julii, qua Rex relicto S. Dionysii oppido, in Abbatia Mobuissana haud procul ab urbe Pontisara diversatus est, comitantibus eum Carolo Andegavensi, Cenomanensi Comite, Conestabili, Augii, & Marchiæ Comitibus, aliisque quam plurimis Proceribus. Rex urbis hujus obsidionem parabat, verum Angli, quorum ferme mille ac ducenti præsidia agebant, confestim tam valido impetu erumpebant, ut ad ipsam usque Abbatiam penetrarent. Nihilominus his altera nocte ad sua redire compulsis, Galli urbis obsidionem aggressuri, lembis Orsiæ fluvium trajecerunt, atque Abbatiam S. Martini victricibus armis occuparunt.

runt. Talbotus exercitus Anglici Præfectus, & Dux Eboracensis quinta jam vice in urbem commeatum introduxerant, sed Galli iterata ac validissima irruptione urbem oppugnantes, tandem post trimestris obsidionis labores toto impetu locum tribus ex partibus premunt, & conflictu ad duas horas cum dimidia invicte protracto tam ingentem hostium cædem faciunt, ut Angli terga vertere coacti fuerint, suorum octingentis & amplius desideratis, & quadringentis Victorum arbitrio se dedentibus. Ipse Rex stricto gladio & insigni fortitudinis exemplo accurrens, murum conscendit, atque urbis portas cepit, cumque de parta victoria certus esset, primas eo curas intendit, ut legum severitate urbis deprædationem impediret, & civium incolumitati, repressa militis insolentia, consuleret. Dominus de Jalongnes, cum bellicam suam virtutem in hac obsidione comprobasset, sibi Franciæ Marescalli honorem promeruit. Dies erat decima nona Septembris, qua Galli decretorio hoc assultu Pontisaram occuparunt. Sæcul. XV. A.C. 1441.

§. CLXXXVII.

Ebroicum denuo Anglis ereptum.

Quinta decima ejusdem Mensis die

Sæcul. XV. A.C. 1441.

Joannes Floquetius Conchi urbis Gubernator rursus Ebroicum Anglorum imperio subtraxit. Bellica hac expeditione prospere confecta, Carolus Galliarum Rex Lutetiam Parisiorum venit, ubi Carolus Andegavensis Regis Siciliæ filius Mense Octobri Regi Franciæ sacramentum dixit, ut Cenomanensem Comitatum, quem ei Renatus natu major frater & Siciliæ Rex in partem hæreditariæ, ac Paternæ successionis reliquerat, clientelari nomine possideret. Peractis hisce solemniis Carolus Parisiis morabatur, donec hyems appeteret, ubi comitante eum Delphino, Britanniam, Pictavium, & Santonam migravit, ut hasce Regiones lustraret, subditorum miseriis levamen afferret, simulque militum petulantiam compesceret, & quorumdam, qui in hisce Provinciis erant, Nobilium violentias cohiberet. Hoc eodem anno Richemundio Comiti, & Franciæ Conestabili fatis erepta est uxor, quam Ludovico Aquitanniæ Duci, & Caroli VI. Filio antea junctam matrimonio sibi copulaverat.

§. CLXXXVIII.

Liber de imitatione Christi hoc anno a Thoma Kempensi compositus.

Historicorum opinio est, Thomam a Kempis

pis Canonicum Regularem in Monte S. Agnetis prope Zuollas seu Suvollam professum, hoc anno librum illum utilitate ac pietate longe præstantissimum *de imitatione Christi* composuisse. Joannes Buschus coævus auctor, & in eodem monasterio cum Thoma conversatus, in Historia Montis Sanctæ Agnetis testatur, hunc pietatis studiis celebrem Canonicum quatuor conscripsisse libros *de Imitatione JEsu Christi.* Profertur quoque manuscriptus Codex, hodiedum in Bibliotheca Antwerpiensi Patrum Societatis Jesu asservatus, cujus in fine hæc verba descripta leguntur: *Finitus & completus anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo primo per manus Fratris Thomæ Kempis in Monte S. Agnetis prope Zwol.* Necdum tamen horum verborum fide caussam plene decisam esse dixeris; quid enim prohibet, quominus verba ista Thomam Kempensem hujus libri descriptorem, non vero Auctorem indicent? longe majoris ponderis esse arbitramur Joannis Buschi testimonium. Non desunt tamen alii, qui hanc additionem ejusdem Joannis Historiæ studiose assutam fuisse affirmant. De cetero, Auctorem libri *de Imitatione Christi* exploratum habere, exiguæ utilitatis est, majoris vero ex sedula hujus libri vere aurei lectio-

Sæcul. XV. A. C. 1441.

Sæcul. XV. A.C. 1441.

lectione copiosos fructus colligere. Plures sacri Ordines præclarum hunc Scriptorem inter Alumnos suos adolevisse gloriati sunt, & hæc controversia non sine magna animorum contentione ultro citroque agitata est, non modice læsa JEsu Christi Charitate, quam tamen Auctor iste per integrum librum suum identidem inculcat.

FINIS TOMI XXVII.

INDEX

INDEX
TOMI XXVII.
CONTINUATIONIS
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ.

A.

Albergatus Cardinalis Ferrarienſis Synodi Præſes. Pagina 321. Græcorum Imperatoris adventum nomine Papæ Venetiis gratulatur. 337. a Pontifice ad Norimbergenſia Imperii comitia miſſus. 379. ad diſputandum cum Græcis ſelectus. 384.

Albertus Auſtriæ Dux Sigismundi Cæſaris ſucceſſor. 315. Rex Hungariæ, & Bohemiæ coronatur. 356. Bohemos cædit. 357. Romanorum Rex electus. 358. Synodo Baſileenſi faviſſe dicitur. 357. novi Pontificis electionem differri, fruſtra a Baſileenſibus petit. 535. ejus obitus. 566. Fridericus III. illius Succeſſor. 571. 567. Alberti elogia. 567, ejus Filius ab Hungaris repudiatus. 571.

Albertus

Albertus Bavariæ Dux a Bohemis Rex declaratur, ſed coronam non acceptat. 573.
Allemanus, vide *Ludovicus Arelatenſis*. 327.
Alphonſus Arragoniæ Rex a Genuenſibus captus. 184. a Mediolanenſium Duce liberatus. 185. eidem Eugenius Regni Neapolitani inveſtituram denegat. 221. a Papa ad Baſileenſes deficit. 223. Papam bello premere parat. 223. a Vitelleſco Italia pellitur. 236. ab eodem inducias obtinet. 415. Neapolin cingit, ſed recedere cogitur. 416. Subdole Felici Antipapæ adhæret. 589. 658.
Alphonſus Carillus Avenionenſis Pro-Legatus. 53.
Amadæus Lugdunenſis Archiepiſcopus Bituricenſis conventus Orator Eugenium Papam adit. 16. Hujus Papæ depoſitioni obluctatur. 494. tumultuantes Baſileenſes ſedat. 502. eisdem favet. 503.
Amadæus Sabaudiæ Dux fit Eremita. 165. ejus elogia. 166. de injuriis a Baſileenſi Synodo ſibi illatis conqueſtus. 210. de ejus electione in Papam a Baſileenſibus actum. 536. 538. 543. 544. in ejus mores inquiſitum. 546. in Papam electus. 547. confirmatus. 548. Baſileenſium Legatos admittit. 549. nomen Felicis V. aſſumit. 550. barbam ſibi radi diu obluctatus. 550. ab Eugenio vero Pontifice caſtigatus. 578. Baſileam venit, ibique coronatur. 580. Cardinales creat. 580. 581. 591. Judæi librum ſuæ

ſuæ legis eidem offerunt. 582. pro ejus ſuſtentatione Baſileenſes ſubſidia decernunt. 583. obſequium a Principibus nonnullis emendicat, ac obtinet. 584. promiſſo auro, aliisque pactis coemit. 590. 594. 648. 655. ab Anglis, & Scotis pro Antipapa habetur. 592. cum Mediolanenſium Duce de præſtanda obedientia paciſcitur. 655. ſed turpiter deluditur. 656. diſſidia ejus cum Cardinalibus ſuis. 657. ſubſidia a Baſileenſibus emendicat. 657.

Ambroſianus ritus, Mediolanenſes illius tenaciſſimi. 628.

Amicus Nicolaus Baſileenſis Concilii Promotor. 14.

Amurates Turcarum Imperator Legatos ad Cæſarem mittit. 125.

Æneas Sylvius, ejus legatio in Scotiam. 250.

Æthiopum Rex pro unione Romanæ Eccleſiæ amplectenda Eugenio ſcribit. 641.

Andreas Rodiorum Archiepiſcopus Eugenii Papæ Legatus Baſileam miſſus. 55. ad diſputandum cum Græcis ſelectus. 384. ejus oratio. 387. Marcum Epheſinum perſtringit. 388. vocem *Filioque* non eſſe additionem, ſed explicationem demonſtrat. 392. 393.

Angli ob pacem Atrebatenſem inter Burgundum & Gallos initum commoti 194. Lutetia Pariſiorum pulſi. 247. Pax inter utramque nationem. 411. 413. 414. Eugenii depoſitionem execrantur. 522. Gallos

los cædunt. 569. Felicem pro Antipapa habent. 592.

Annatæ abolentur. 196. unde ortum traxerint 200. reprobantur a Basileensibus 203. huic decreto Papæ Legati vehementer obluctantur. 198. Bachensteinius hoc decretum tuetur. 200. Papa ad hoc decretum respondet. 202.

Appellationes, quando appellare liceat. 180. ad Papam ante definitivam sententiam prohibetur. 324.

Areflactum ab Anglis obsessum. 613.

Arelatensis Cardinalis vide *Ludovicus*.

Armeni, eorum Deputati ad Florentinam Synodum veniunt. 480. cum Eugenio de unione ad Ecclesiam Romanam agunt. 553. Decretum pro eorum unione cum Ecclesia. 556.

Arundelius Anglorum Bellidux plures Gallis urbes eripit. 70. cæsus captusque ex vulnere moritur. 70.

Atrebatensis pacis articuli. 188. 189. Angli ob hanc pacem commoti. 194.

Avenionenses, illius urbis Regimen a Basileensibus datur Alphonso Carillo. 53. ab illis Basileenses pecunias mutuas petunt pro Græcorum subsidiis. 255. 256. agitur de cautione illis danda. 260. obsistunt Papæ Legati. 263. pecunias Basileensibus dare, a Papa prohibiti 266. nonnisi unicam promissæ summæ partem solvunt. 267.

hanc

hanc urbem alienare Eugenius prohibetur. 300.
Augustini de Roma propositiones damnatæ. 213.
Aureliæ Dux libertati restitutus. 614. Ordinem velleris aurei a Burgundo recipit. 614. Atrebatensi fœderi accedit. 614.
Azymus panis, de eo Græcorum disputatio. 455.

B.

Barbus Ludovicus Benedictinæ disciplinæ in Italia restaurator. 68.
Basileense Concilium, vide *Concilium.*
Bavariæ Dux, vide *Albertus*, & *Christophorus.*
Bedfordiæ Dux ejus obitus. 194.
Bellarminus ejus opinio de tractatu Panormitani de Concilio Basileensi. 516.
Benedictinorum Congregatio S. Justinæ. 68.
Bessarion ad disputandum cum Latinis selectus, ejusque disputationes. 353. 384. ejus simultas cum Marco Ephesino. 355. Illius oratio. 385. contra additionem Filioque. 396. 397. Latinis favet. 436. ejusdem oratio pro unione. 438. Græcos Latinis consentire profitetur. 462.
S. Birgitta, ejus institutum Ericus Rex defendi postulat. 164.
Bituricensis conventus. 15. Basileensem conventum tuetur & quare. 31. denuo con-

gregatus. 364. ibidem Sanctio Pragmatica conficitur. 356. 585. Legati ab Eugenio & Basileensibus ad hunc conventum missi. 585.

Bohemi Hussitæ de mittendis Basileam Oratoribus agunt. 46. Synodus eisdem itineris securitatem spondet. 48. a Synodo laudati ob Oratores illuc missos. 49. Eorum Deputati Basileam veniunt. 72. quatuor articulos Synodo proponunt. 73. 75. a Juliano Cardinale ad unionem admonentur. 73. eidem Rochisana respondet. 74. eorum articuli examinantur. 77. de illis disputatur. 78. Eorum sententia. 80. Julianus Cardinalis illos de eorum doctrina interrogat. 81. Deputati ad Bohemos. 82. de concordia Pragæ agunt. 100. communionem sub utraque specie Bohemis concedunt. 101. Bohemos inter se dividere moliuntur. 102. pecuniæ pro illis collectæ. 104. hæresis notam sibi inuri non patiuntur. 175. nova pacta cum eis inita. 180. Iglaviæ conventum agunt. 238. Eis communio sub utraque specie permittitur. 239. 311. pacta unionis. 238. a Cæsare confirmata. 240. novi tumultus. 312. ab Alberto Austriaco cæsi. 357. hujus Filium Regem agnoscere detrectant. 572. Regnum Christophoro Bavaro offerunt. 573. audacius quædam a Basileensibus postulant. 574.

Bonifacius IX. festum Visitationis B. V. instituit. 652.
Briceus pro Eugenio scribit. 169. 173.
Bulla Eugenii Papæ pro dissolvendo Basileensi & convocando Ferrariensi Concilio. 292. alia pro confirmanda hac Synodo. 310. 319.
Burgundiæ Dux, ejus Legati de prærogativa sedendi contendunt cum Sabaudis. 94, & cum S. R. I. Electoribus. 96. Britannis Oratoribus præcedunt. 96. Eorum Dux pacem Atrebati cum Galliarum Rege init. 186. 188. 189. Caleti obsidionem solvere compellitur. 248. Petrum de Luxemburgo Sanctis adscribi frustra postulat. 246. Ejus Legati ad Ferrariensem Synodum dimisso Basileensi conventu admissi. 405. Ejus Legati Græcorum Imperatori minus obsequiosi. 406.
Burgundiæ Ducissa pacem Gallos inter & Anglos frustra conciliare nititur. 411. 414.
Burgensis Episcopus Eugenium tuetur. 489. 491. 506.

C.

Caletum frustra a Burgundo obsessum. 248.
Cantuariensis Archiepiscopi diffidium cum Cardinale Vintoniensi circa jus præcedendi. 603.
Capranica Cardinalis iniquus Eugenii Papæ hostis. 170.

Carraciolus Joannes, ejus ambitio, vitia, & obitus. 64.
Cardinales, eorum numerus præscribitur. 228. a Felice Antipapa creati. 580. Hujus dignitatis elogia. 604.
Carisius, ejus Symbolum in Ferrariensi Concilio allegatur. 401. 403. 407.
Carmelitæ, eorum Regula mitigatur. 67.
Carolus IV. ejus Constitutio de immunitate Ecclesiastica innovatur. 142.
Carolus VII. Galliarum Rex Parisios ingressus. 318. cum pluribus Principibus Eugenii depositioni obluctatus. 521. suis Episcopis Ferrariam accedere prohibet. 297. suos Prælatos ad Conventum Bituricensem vocat. 15. 364. Basileenses sua decreta ad eum mittunt. 368. ejus edictum de Ecclesiarum divisionibus. 588. Eugenio vero Pontifici constanter addictus. 587. censuras a Basileensibus contra Eugenium latas flocci habendas præcipit. 589. Creollium, & Pontæsiam urbes expugnat. 663.
Castillionæus Cardinalis Ambrosianum ritum abolere nequidquam conatus. 628.
Catharina de Francia Regis Filia, ejus nuptiæ cum Burgundo. 193. altera Regis soror secundo nubit cuidam adolescenti ignobili. 251. Carolesii Comiti juncta. 569.
Christophorus Bavariæ Dux Daniæ Rex electus. 570.
Clemangius vide *Nicolaus*.

Columnenſium auſus adverſus Eugenium Papam. 116. 144.
Coapcho Bohemorum Dux. 157. ad Cæſaris pedes provolutus. 241.
Comitia Ratisbonenſia. 161. Francofordienſia pro reformatione Imperii. 217. 650. Norimbergenſia pro tollendo diſſidio inter Papam, & Baſileenſes. 378. 379. ibidem tertius locus pro Synodo proponitur. 380. Moguntina, ibidem Baſileenſes acta adverſus Eugenium abrumpere fruſtra jubentur. 482. 483. ſub hac conditione Baſileenſium decreta recipiuntur. 484,
Communio ſub utraque ſpecie Bohemis permiſſa. 101. 239. decretum circa illam. 311.
Conceptionis B. V. feſtum decernitur. 530.
Conclave pro electione Felicis Antipapæ. 543.
Concilium errare non poteſt. 36. & ſeq. quænam illius auctoritas juxta Baſileenſes. 137. & ſeq. Papam Conciliis ſubjiciunt. 37. 141. & ſeq. 488.
Concilium Baſileenſe, ejus initium. 1. 3. a quo convocatum. 3. Prælatorum pauciſſimi concurrunt. 2. 4. Eugenii Papæ conſilium de eo diſſolvendo. 5. obluctantur Baſileenſes. 7. Seſſio. I. 8. ob quas cauſſas fuerit congregatum. 9. norma illius. 10. Synodi continuatio Principibus ſignificatur. 16. Seſſio II. innovantur decreta Concilii Conſtantienſis. 17. 43. Rationes Synodum diſſolvendi. 5. 19. 28. il-

lam continuandi. 22. 29. Basileensium responsio ad Papam. 35. Pontificem Synodo inferiorem esse tenent Basileenses. 37. & seq. Sessio III. Gallos ad Synodum venire sollicitant. 25. Sessio IV. Bohemis securitatem spondent. 48. Pontifici prohibent, ne Cardinales crearet. 51. ne quis ejus obtentu a Synodo recederet. 52. 65. Sessio V. 53. judices in causis fidei nominati. 54. Eugenii Oratores auditi. 55. eis respondent Basileenses. 57. Sessio VI. Papa contumax declaratur. 58. Sessio VII. novus Papa eligi prohibetur. 60. Sessio VIII. induciæ Pontifici concessæ. 61. nonnisi unicam Synodum esse legitimam decernunt. 62. Bohemorum articuli examinantur. 77. 79. Deputati Pragam missi. 82. Sessio IX. Sigismundo omne præsidium spondent. 83. Sessio X. Eugenium contumacem declarari postulant. 84. Papæ Legati de loco futuri Concilii agunt. 87. Basileensium responsio. 88. Sessio XI. Constantiensis Synodi decreta a Papa observari postulant. 88. Principum Oratores ad Synodum veniunt. 94. dissidia inter eos. 95. Sessio XII. Basileenses Papam condemnare moliuntur. 105. 115, sed a Sigismundo prohibentur. 105. Eugenium citant. 106. electionum jura vindicant. 106. Synodi acta a Pontifice nulla declarantur. 108. Sessionis XII. decretum a Papa irritatur. 110. Sessio XIII.

Papæ

Papæ Legati ejus condemnationi obſiſtunt. 115, necnon Cæſaris Legati & S. R. I. Electores. 115. 116. unacum Gallis. 521. Seſſio XIV. terminus citationis prorogatur. 121. Eugenio formula pro revocanda Synodi diſſolutione præſcripta. 122. Seſſio XV. de Conciliis celebrandis. 123. Deputati ad Papam miſſi. 126. Ex Eugenii revocatione Baſileenſium triumphus. 130. Baſileenſis Synodus acephala. 131. Seſſio XVI. 133. Papæ Oratores admiſſi. 134. Seſſio XVII. 135. Papalium Legatorum auctoritas reſtricta. 136. 137. Seſſio XVIII. 141. Papæ vices dolent Baſileenſes. 145. Cardinalem S. Crucis Legatum decernunt, ne eis obſiſtat. 146. Seſſio XIX. 146. Baſileenſium tractatus cum Græcis. 147. decretum de Judæis. 152. Seſſio XX. 176. Decreta contra concubinarios. 176. Seſſio XXI. 196. nil Curiæ Romanæ ſolvendum decernitur. 196. Annatæ abolentur. 196. Decretum de triennali poſſeſſione. 205. de divino Officio. 206. Seſſio XXII. Auguſtini de Roma liber damnatur. 213. ablata reddere Veneti jubentur. 216. ab Alphonſo Arragonum Rege in Papam concitati Baſileenſes. 223. Seſſio XXIII. decretum de electione Papæ. 225. de profeſſione fidei a Pontifice emittenda. 226. Seſſio XXIV. 233. Indulgentiæ promulgatæ. 234. eis obluctantur Papæ Legati.

234. de loco Concilii cum Græcis agitur. 258. 272. 253. de hoc Eugenius certior factus. 254. pacta Basileensium cum Avenionensibus. 256. 260. 267. Sessio XXV. controversia de decretis Papalium Legatorum, & Basileensium signandis. 274. 276. 277. 278. triremes Constantinopolim pro Græcis advehendis missæ. 285. eas Imperator Græcorum conscendere renuit. 286. Sessio XXVI. calumniæ adversus Eugenium. 289. 300. Basileenses eum citant. 290. Sessio XXVII. 300. urbem Avenionensem alienari prohibent. 300. eorum insolentiæ a Sigismundo reprobatæ. 301. Sessio XXVIII. 303. Eugenium contumacem declarant. 303. Sessio XXIX. 304. Eugenii Bullam confutant. 305. Sessio XXX. 310. Decretum de communione sub utraque specie. 311. transfertur Synodus. 292. 319. Sessio XXXI. appellatio ante definitivam sententiam prohibetur. 324. decretum pro Graduatis. 324. Eugenii jurisdictio suspenditur. 325. a Ferrariensi Concilio Basileenses pœnis subjecti. 332. Sessio XXXII. Ferrariensis Synodus damnatur. 333. Basileenses ab Eugenii vexatione desistere jubentur. 360. 363. non obtemperant. 361. 363. 377. Galli suam Pragmaticam ad Basileenses mittunt. 371. 368. Basileenses sua decreta ad Gallos mittunt pro confirmatione. 368. Synodum transferri recusant. 379. 380.

380. Synodi continuatio. 481. eorum decreta exceptis iis, quæ adversus Eugenium condiderunt, in Moguntinis comitiis recepta. 485. Eugenium velut hæreticum damnare moliuntur. 477. octo propositiones adversus eum promulgant. 487. eorum tumultus vix sedati, etiam invocato sæculari Magistratu. 500. 504. 506. Sessio XXXIII. 511. præsentium paucitas, 512. ridicule per S. Reliquias suppleta. 512. Eugenium exauctorare aggrediuntur. 517. Sessio XXXIV. Eugenium deponere præsumunt. 519. 520. de alterius electione agunt. 523. differtur electio. 523. peste plectuntur multi. 524. a Principibus male habentur. 527. Sessio XXXVI. decretum de immaculata Conceptione B. V. 529. 530. Eugenii decretum nullum declarant. 532. eidem respondent. 542. Cæsar novi Pontificis electionem differri postulat. 534. obstrepunt Basileenses. 535. pro electione Antipapæ decreta condunt. 536. Sessio XXXVII. 537. pro arbitrio suo Electores nominant. 538. Sessio XXXVIII. 541. conclave ingrediuntur. 543. modum colligendi suffragia decernunt. 544. Amadæum in Papam eligere statuunt. 545. in ejus mores inquirunt. 546. illum eligunt. 547. confirmant in Sessione XXXIX. 548. Legatos ad eum mittunt. 548. Antipapæ Felici obsequium præstari rogant. 575. Sessio

XL. 576. Seſſio XLI. convitia in Eugenium evomunt. 578. Seſſio XLII. 582. Seſſio XLIII. 651. Feſtum viſitationis B. V. decernitur. 652. Panormitanus adverſus Baſileenſes perorat. 660.

Concilium Ferrarienſe a Papa convocatum. 293. 319. Seſſio I. cuncta a Baſileenſibus attentata irritantur. 321. Ordo ſedendi ſtabilitur. 330. 347. Seſſio II. contra Baſileenſes Decretum conditur. 332, Baſileenſes hanc Synodum damnare audent. 333. Synodi coram Græcis initium. 380. ibi de articulis fidei controverſis agitur. 382. Seſſio I. 384. Doctores ad diſputandum ſelecti. 384. Seſſio III. 387. Seſſio IV. 390. Seſſio V. ibid. Seſſio VI. 391. Seſſio VII. 393. Seſſio VIII. 396. Seſſio IX. 397. Seſſio X. 399. Seſſio XI. 400. Seſſio XII. 403. Seſſio XIII. 405. Burgundiæ Ducis Oratores admiſſi. 405. Seſſio XIV. 406. Seſſio XV. Synodus Florentiam translata. 409. 411.

Concilium Florentinum Seſſio I. 418. 423. Papa cum Græcis præſens. 420. Seſſio II. 424. Seſſio III. 426. Seſſio IV. Marcus Epheſinus devictus. 427. Seſſio V. agitur de teſtimonio S. Baſilii. 428. Seſſio VI. 429. Seſſio VII. ex S. Maximo probatur proceſſio Spiritus Sancti ex Filio. 429. Seſſio VIII. 432. Seſſio IX. 433. Seſſio X. & ultima. 464. decretum unionis. 465. a Latinis, Græcisque ſubſcriptum. 470.

Seſſio

Seſſio I. poſt diſceſſum Græcorum. 528. Seſſio II. 555. unionis decretum pro Armenis. ibid. Seſſio III. Amadæus Pſeudopapa pœnis ſubjicitur. 579.
Concilium Friſingenſe. 629. ejus ſtatuta. 630.
Concubinarii, ſtatuta contra eos. 176.
Condulmerius Papæ nepos a Romanis captus. 145. Triremibus pro Græcis advehendis præfectus. 285. in Græciam miſſus. 601.
Congregatio habita de loco Concilii pro Græcis. 236. de Synodi negotiis pro iisdem 342. 346. de dogmatibus inter eos cum Latina Eccleſia controverſis. 344. 352. de unione Latinorum cum Græcis. 440.
Conneſtabilis Franciæ, conſpiratio adverſus eum. 608. Delphinus illius caput. 610. a Rege diſſipata. 611.
Conſecrationis verba examinantur in Florentino Concilio. 456. Græcorum declaratio hac ſuper re. 462. Papæ reſponſum. 463.
Conſtantinopolitanus Patriarcha vide *Joſephus.*
Conſtantinus Palæologus de unione Græcorum ab Eugenio certior factus. 640.
Corcellis Thomas ejus oratio adverſus Eugenium Papam. 493. Baſileenſes tuetur. 647. a Nicolao Cuſano confutatur. 648.
Creollium a Gallis occupatum. 663.
Cuſa Nicolaus Papæ Legatus ad Moguntina comitia. 483. Eugenii adverſarios confutat. 648.

Dania,

D.

Dania, hujus Regni tumultus. 252. Christophorus Bavariæ Dux in Regem electus. 570.

Decreta Basileensis Concilii de unitate generalis Concilii. 62. Eugenii Papæ jurisdictio suspenditur. 84. 106. abolentur reservationes, & redintegrantur electionum jura. 106. 230. decreta contra concubinarios, excommunicationes, interdicta, appellationes. &c. 176. Alia contra jura Pontificum. 196. aliud de possessionibus pacificis. 205. de officio divino &c. 206. contra Venetos. 216. pro loco Concilii in favorem Græcorum. 272. adversus Eugenium Papam. 290. 325. de communione sub utraque specie. 311. pro Graduatis. 324. Basileenses sua Decreta ad Carolum VII. pro confirmatione mittunt. 368.

Decreta Ferrarienſis ac Florentinæ Synodi adversus Basileensium insolentias. 332. pro unione Græcorum & Latinorum. 465. item pro unione Armenorum. 555.

Delphinus Franciæ conspirationis caput. 610. a Patre suo veniam rogare compulsus. 612.

Deportum quid sit. 197.

Deppa a Gallis occupata. 194.

Doctores præcipue ad Ecclesias promovendi. 324.

E.

Eduardus Lusitaniæ Rex moritur. 417.

Electiones, decreta circa illas. 230. de electionum norma. 365. 366. per Pragmaticam mutata. 376. 372. electionis & scrutinii modus pro electione Felicis Antipapæ. 536. 538. 543. 544.

Electores S. R. I. nec Eugenio nec Basileensi Synodo adhærendum statuunt. 359. Basileensibus præcipiunt, ut ab Eugenio divexando abstineant. 360. 362. 363.

Elisabetha Burgundiæ Ducissa pacem Anglos inter & Gallos conciliare nititur. 411. 414.

Eremita quidam falso Eugenium Papam accusat. 526.

Ericus Daniæ Rex, ejus epistola ad Basileenses Ordinem S. Birgittæ defendi postulans. 164. Regnum ejus tumultibus agitatum. 252. regno exul. 253. alius ejus loco electus. 570.

Eucharistia, quæstio de pane azymo & fermentato. 455. item de verbis consecrationis. 456.

Eugenius IV. Papa Basileense Concilium dissolvere molitur, & quare. 5. 19. 28. ejus epistola ad Cardinalem Julianum pro dissolvenda Synodo. 21. Basileenses eidem Cardinalium creationem interdicunt. 51. ejus legati audiuntur, illumque defendunt 55. Carmelitarum Regulam mitigat. 67. contumax declarari petitur. 84. 114. a Cæsare Synodo adhærere rogatur. 85. illius Legati ad Synodum. 86. Papæ gesta vindicant. 87. Præsides ad Synodum mittit. 91.

91. cum Cæsare concordiam init. 97. Imperatorem coronat. 99. a Basileensibus citatur. 106. Basileensium acta nulla declarat. 108. 110. Synodum sub conditione approbat. 109. acta Synodi revocari postulat. 110. Synodum continuare a Cæsare rogatur. 113. a Columnensibus vexatur. 116. & a Mediolanensibus bello premitur. 117. 144. Basileenses eidem formulam de revocanda Synodi dissolutione præscribunt. 122. Synodo adhærere pollicetur sub conditione. 123. 126. 127. 320. Bullas contra Synodum emanatas revocat. 129. de hac revocatione aliorum sententiæ. 130. Papæ Legati ad Synodum admissi. 134. eorum auctoritas restricta. 136. 137. 325. injurias sibi illatas Basileensibus condonat. 143. Romanam seditionem evasurus Florentiam fugit. 143. a Trapezuntino Imperatore. 169. & a Jordano Brizeo vindicatur. 169. Ejus Legati annatarum abolitioni repugnant. 198. Annatas vindicant. 202. Alphonso Regni Neapolitani investituram denegat. 221. Basileensibus indulgentias promulgare audentibus obsistit. 234. Seminarium Clericorum Florentiæ instituit. 237. loco pro Concilio a Basileensibus pro Græcis nominato, 263. pecuniarum numerationi ab Avenionensibus promissæ, 266. & indulgentiarum concessioni ac decimarum impositioni repugnat. 269. Triremes, & Legatos

gatos pro advehendis Græcis mittit. 283. 284. Basileensium calumniæ adversus eum. 289. Iidem illum citare præsumunt. 290. Basileense conciliabulum dissolvit, & transfert. 290. 319. Concilium Ferrariam convocat. 293. 297. de Basileensium insolentia conqueritur. 294. Basileenses Eugenio urbis Avenionensis venditionem, quam nunquam meditabatur, prohibent. 300. illum contumacem declarare præsumunt. 303. ejus jurisdictionem suspendunt. 325. contra eos pœnas decernit. 332. ab Imperatore Græcorum & Patriarcha salutatur. 338. 340. de Synodi negotio cum illis agit. 342. articuli Latinos inter & Græcos conversi. 344. frustra Basileenses ad concordiam sollicitat. 362. Ferrarienſe Concilium Florentiam transfert. 419. 420. subsidia Imperatori Græcorum pollicetur. 450. unionem cum Latinis approbat. 464. unionis decretum promulgat, eique subscribit. 465. 470. Marci Ephesini petulantiam coerceri postulat. 476. Græcorum Patriarcham eligi petit. 477. repulsam fert. 478. Ecclesias Græcis restitui negat. ibid. hac super re cum illis convenit. 479. ejus depositioni ferme omnes obsistunt. 501. 502. 517. 521. 527. ab Eremita falso accusatur. 526. Basileenses excommunicat. 528. Septendecim Cardinales creat. 551. Armenos ad unionem Ecclesiæ pertrahit. 553. Decretum unionis

nis condit. 555. 556. frustra petit, ut Bituricensis conventus Basileensibus resistat. 585. responsum ei datum. 586. ad Archiepiscopum Cantuariensem scribit circa litem de jure præcedendi. 602. Vitelescum Cardinalatu exuit. 604. Constantinum Palæologum de unione Græcorum certiorem reddit. 640.

Excommunicati quinam vitandi. 178.

Expectativæ, quid per eas intelligatur. 231.

F.

Felix Antipapa, vide *Amadæus*.

Ferdinandus Lusitaniæ Regis frater a Mauris cæsus, captus, & in captivitate mortuus. 316.

Ferrariense Concilium, vide *Concilium*.

Filioque, disputatio de ejus additione. 393 Bessarionis oratio hac super re. 396.

Florentina Synodus, vide *Concilium*.

Fortebracius Romam invadit. 144.

S. Franciſca Romana, ejus obitus & Canonizatio. 627.

Fridericus III. mortuo Alberto in Cæsarem electus. 571. Bohemi ei regnum suum offerunt, quod ille non acceptat. 573. litem Eugenium inter & Basileenses ad comitia Francofordiensia remittit. 650.

G.

Gallici regni status. 69. Gallia Rege suo ad Ferrariense Concilium venire prohibiti. 297.

297. Pragmaticam ad Basileenses mittunt. 368. 371.
Georgius Scholarius Græcus, ejus orationes in Synodo Florentina. 437.
Georgius Vincentiæ Episcopus Eugenii depositioni subscribere recusat. 494.
Graduati, decretum in eorum favorem. 324.
Gratiæ exspectativæ abolentur. 230.
Græci de unione tractant. 148. Basileenses conantur illos a Papa avertere. 148. Græci legatos suos Basileam mittunt. 149. quædam eorum pacta cum Basileensibus. 149. confirmantur. 151. ulterius hac de re agitur. 174. tam Papa, quam Synodus Græcos ad Concilii accessum sollicitant. 211. de Synodo in Occidente habenda consentiunt, agitur de loco Concilii. 254. 258. 272. ad eos advehendos tam Papa. 283. quam Basileenses navigia mittunt. 285. Imperator Basileensium triremes conscendere respuit. 286. Pontificis classem conscendit. 288. Venetias & Ferrariam veniunt. 334. 336. articuli inter eos & Latinos controversi. 344. 353. quæstio de ordine sedendi. 346. eorum sententia de Purgatorio. 354. quæstio de additione vocis *Filioque*. 390. 393. 401. Florentias ad Synodum pergunt. 420. de Processione Spiritus Sancti agunt. 425. & seq. Professiones fidei circa hunc articulum. 441. 442. 443. Latinis accedunt. 444. 445. 448. perfecta eorum unio. 450. 451. consen-

tiunt cum Latinis circa Euchariſtiæ materiam. 455. verba conſecrationis. 456. Purgatorium. 457. & circa Primatum Papæ. 458. 459. Decreto unionis (excepto Marco Epheſino) omnes ſubſcribunt. 465. 470. de eorum liturgia in ſacrificio Miſſæ. 473. de Matrimonii firmitate. 475. Patriarcham Florentiæ eligere nolunt. 478. Papæ nomen Dyptichis inſerunt. 478. Eccleſias ſibi reddi fruſtra petunt. 479. Conſtantinopolim revertuntur. 596. a Conſtantinopolitanis aliisque Græcis ob ejuratos errores male habentur. 594. ab unione potiſſimi recedunt. 595. contra unionem ſcribunt. 598. eorum Patriarcham fatis functum convitiantur. 598. in factiones ſcinduntur. 599.

Gualterius Jacobum I. Scotiæ Regem proditorum more occidit. 249. ejus ſupplicium, 250.

H.

Henricus VI. Angliæ Rex ſuos Præſules Baſileam mittere rogatus. 57.

Heracleenſis Metropolita de fide ſuſpectus. 595. 600.

Hungari Turcas profligant. 219. Ladislaum Polonum ſibi Regem ſeligunt. 572.

Huſſitæ vide *Bohemi*, mutua eorum diſſidia. 154. a Mainardo profligati. 155. 156. 157. 158. atque extincti. 160. communio ſub utraque ſpecie eis permiſſa. 162.

Jaco-

I.

Jacobitæ eorum Deputati ad Papam. 634. eorum origo, ac fides. 635. unioni Ecclesiæ accedunt. 480. Decretum pro eorum unione. 637. a Jacobitarum Deputato acceptatum. 639.
Jacobus I. Scotiæ Rex ex insidiis occisus. 249.
Jagello Poloniæ Rex ejus obitus. 167. illius Successor. 167.
Iglavienſis conventus pro unione Bohemorum. 238. pacta cum illis ibidem erecta. 239.
Immunitas Ecclesiastica, Constitutio Caroli IV. innovata. 142.
Interdicta quando ferenda. 179.
Joannes Caracciolus ejus cædes. 64.
Joannes Comnenus Trapezuntinus Imperator, ejus epistola ad Eugenium Papam. 169.
Joannes Lusitaniæ Rex moritur, ejus elogia. 119. Eduardus Successor. 119.
Joannes Mela Eugenii Legatus ad Synodum. 86. Synodi Præses. 92.
Joanna Neapolis Regina de cæde Caraccioli suspecta. 65. ejus obitus. 168. 182.
Joannes Antiochenus Patriarcha, ejus tractatus de auctoritate Papæ in Conciliis. 141.
Joannes Palæologus Græcorum Imperator Legatos ad Synodum mittit pro expensis ad iter necessariis. 256. Ejus Legatus adversus propositas urbes pro loco Concilii

excipit. 258. Venetias & Ferrariam venit. 334. 336. 338. quomodo a Papa exceptus. 337. Papam veneratur. 338. a Burgundiæ Legatis offensus 406. unioni Græcorum cum Latinis studiosissimus 435. Papa ei subsidia pollicetur. 450. nomen suum Pontificio præponi contendit. 460. Decreto unionis primus subscribit. 470. Sacra a Græcis ritu suo Florentiæ celebrari petit. 473. a summo Pontifice de Græcorum Liturgia interrogatus. 474. Marci Ephesini pertinaciam castigari petit. 477. Venetias petit. 480. in unionis studio languet. 596. 602.

Joannes Provincialis Dominicanorum cum Græcis disputat. 425. 426. Marcum Ephesinum devincit. 426. 431. 429. Processionem Spiritus Sancti a Filio demonstrat. 434. 435.

Joannes Segovienſis Panormitanum impugnat. 490. ab Imperii Principibus tanquam Legatus non exceptus. 643. Basileenses insulse tuetur. 649. Legatus ad Alphonsum decernitur. 658.

Joannes Turrecremata Pontificiæ auctoritatis vindex. 133. cum Græcis disputat. 456.

Jordanus, vide *Briceus*.

Josephus Patriarcha Constantinopolitanus Venetias ac Ferrariam delatus. 334. 339. Papam veneratur. 340. quæ pro ingressus solemnitate petierit. 339. Latinis accedit.

dit. 446. ejus obitus & exequiæ. 453. Scriptam fidei professionem relinquit. 452. Græci successorem Florentiæ eligere renuunt. 478.
Josephus Methonensis Græcus adversus Marcum Ephesinum scribit. 597.
Isabella de Bavaria ejus obitus. 195.
Isidorus Ruthenus ad disputandum cum Latinis selectus.
Judæi, statuta pro eorum conversione. 152. Felici Pseudopapæ librum legis suæ offerunt. 582.
Julianus Cardinalis Basileensis Synodi Præses. 4. Synodum non esse dissolvendam censet. 21. & seq. 29. nimiam suam in dicendo libertatem contra Papam deprecatur. 34. ejus epistola ad Eugenium. 22. & seq. Bohemos ad explicandam suam doctrinam urget. 81. a Papa Synodi Præses confirmatur. 129. Annatas impugnat. 203. a Basileensibus deficit. 322. ad disputandum cum Græcis seligitur. 384. additionem *Filioque* defendit. 399. Venetiis Græcorum Imperatorem excipit. 337.
S. Justinæ Congregatio ab Eugenio honorata. 68.

K.

Kempis Thomas, ejus liber de imitatione Christi, 666. an illius auctor sit dubitatur. 667.

L.

Ladislaus Alberti Cæsaris filius ab Hungaris, 572. & a Bohemis a Regno excluſus. 572.

Ladislaus Poloniæ Rex contra Equites Teutonicos opem quærit. 66. Sbingeo Cracovienſi Epiſcopo mortem minitatur. 66. Hungariæ Rex electus. 571.

Lithuania, ob hunc Ducatum diſſidia. 218.

Liturgia Græcorum in Miſſæ ſacrificio. 473. 474.

Livonienſes cæſi. 218.

Ludovicus Andegavenſis a Joanna Neapolis Regina adoptatus. 168. ejus obitus. 168.

Ludovicus Alemanus Arelatenſis Cardinalis Baſileenſis Concilii Præſes. 327. pro exauctorando Eugenio perorat. 497. fraudulenter obtrudit octo propoſitiones adverſus Eugenium. 504. pro illis declamat. 509. in locum abſentium Prælatorum S. Reliquias ad Synodum defert. 512. tempore peſtis nec ipſe Baſilea diſcedit, nec alios diſcedere permittit. 525. Imperatori electionem novi Pontificis differri poſtulanti obluctatur. 535. a Baſileenſibus Sedis Apoſtolicæ Legatus creatur. 579. ſed ab Imperii Principibus non admittitur. 645.

Ludovicus Patriarcha Aquilejenſis Eugenii hoſtis a Baſileenſibus Moguntiam deputatus. 482. peſte abreptus. 496. 524.

Luſitani in Africa cæſi. 316.

Mainar-

M.

Mainardus de Neuhaus Bohemis persuadet, ut Legatos Basileam mittant. 47. collectas pecunias provide dispensat. 104. bellum movet. 154. utramque Pragam occupat. 155. Bohemos Hussitas profligat. 156. captos penitus exterminandos censet. 158. eos vivos comburi jubet. 158.

Mantua ad Marchionatum a Sigismundo erecta. 99.

Matrimonia Græcorum, an ea dissolvi posse credant. 475.

Marcus Ephesinus ad disputandum selectus. 353. 384. ab Ecclesia Latina pacis studium fuisse neglectum perperam asserit. 388. a Latinis victus. 426. 431. 429. Latinis adversatur. 436. 447. solus unioni repugnat. 450. Græcorum Episcopi ejus pertinaciam puniri postulant. 476. veniam precatur. 477. alii Græci contra ipsum scribunt. 597. unioni aperte adversatur. 596.

Mediolanensis Dux, vide *Philippus*.

Mediarotta Florentinus Archiepiscopus, & Pontificii exercitus Dux. 606.

Metrophanes in Patriarcham Constantinopolitanum electus. 600.

Missa, submissa nimium voce eam dicere, Basileenses prohibent. 208.

Moguntinus conventus Principum S. R. I. 482. Basileensium Decreta, exceptis iis, quæ contra Papam statuta, acceptantur. 484.

Basileensium Deputatum velut Legatum excipere renuunt Principes. 643. 646. utriusque Papæ Deputati audiuntur, 647. tota lis ad Francofordienſia comitia remittitur. 650. alibi Synodus celebranda decernitur. 650.

Montana Nicolaus cum Basileensibus paciſcitur de Græcis Basileam advehendis. 235. Basileenſes eidem Eccleſiæ vexillum tradunt. 253.

N.

Neapolis, ſtatus hujus Regni. 64. 415. urbs ab Alphonſo cincta, ſed mox liberata. 416.

Nepotum affectus a Basileenſi Synodo proſcriptus. 227.

Neutralitas in Germania. 360. 380.

Nicolaus Clemangius, ejus opera, ac obitus. 618. 619.

Nicolaus Tudeſci, vide *Panormitanus*.

Norimbergenſia comitia, vide *Comitia*.

O.

Officium divinum, de devota ejus recitatione. 206.

Ovinus adoleſcens ignobilis nuptias contrahit cum Angliæ Regina, ejus ſupplicium. 251.

P.

Palæologus vide *Joannes*.

Palæologus Conſtantinus, Eugenii Papæ epiſtola ad eum. 640.

Panor-

Panormitanus Abbas octo propositiones a Basileensibus contra Eugenium editas impugnat, & Papam defendit. 489. 502. 509. a Segovienſi confutatur. 490. 495. 496. ſollicitatur, ut ab Eugenio deficeret. 503. pro Basileenſi Concilio tractatum ſcribit. 515. varium de eo judicium. 516. contra Basileenſes perorat. 661.

Pariſienſes ab Anglorum dominatu liberati. 247. Carolus VII. urbem ſolemniter ingreſſus. 318.

Patriarcha Græcorum Florentiæ moritur. 453. Succeſſorem Florentiis eligere Græci recuſant. 478.

Papa, de ejus auctoritate in Conciliis. 138. de ejus electione. 225. de profeſſione fidei ab eo emittenda. 226. Græcorum ſententia de ejus Primatu. 458. Basileenſes novum Papam eligere moliuntur. 523. pro ejus electione decreta condunt. 536.

Pax Burgundum inter & Carolum VII. 186. Pax Atrebatenſis. 188.

Peſtis Basileæ graſſatur. 524.

Petrus de Lucemburgo, ejus Canonizatio poſtulatur. 246.

Philippus Mediolanenſium Dux bellum in Papam movet. 117. 143. Alphonſum Arragoniæ Regem liberum dimittit. 185. Papam capere parat. 188. de præſtanda Antipapæ obedientia paciſcitur. 654. Pſeudo-Pontifici vanis promiſſis illudit. 656.

Philibertus primæ Basileensi Sessioni præsens. 8. Iglaviensi Conventui assistit. 238. 239.
Philotheus Patriarcha Alexandrinus unionis cum Romana Ecclesia studiosissimus. 642.
Polonici Regni status. 66. vide *Jagello*. Felici Antipapæ ex proprii quæstus studio adhærent. 593. 659.
Pontisara a Gallis expugnata. 664.
Possessio pacifica, ac triennalis. 205.
Pragmatica Sanctio Biturigibus procusa. 365. ejus articuli. 369. 372. ad Basileenses mittitur. 371. ejus executionem impediri, rogat Eugenius. 586. non auditur. 588.
Praga, illuc quidam a Basileensibus ablegantur. 80. 82. Hujus Legationis successus. 99. Hi deputati dissensionem inter Pragenses excitant. 102. Catholici utramque urbem occupant. 103. Sigismundus Imperator urbem ingreditur. 243.
Præsides ab Eugenio ad Synodum missi. 91. a Basileensibus divexati. 92. 93.
Primatus summi Pontificis in Florentino Concilio examinatus. 458. controversia hac super re Latinos inter & Græcos. 460. Illum Græci, Armeni, Syri, Jacobitæ &c. palam profitentur. 469. 565. 639.
Processio Spiritus Sancti, vide *Græci*.
Procopius Hussitarum Dux. 155. profligatus, atque occisus. 156.
Professio fidei a Papa emittenda. 226.
Propositiones octo a Basileensibus contra Eugenium divulgatæ. 488. tumultus ob eas excitati

excitati. 489. 500. 508. & seq. fraudulenter ab Arelatensi propositæ. 504. in Generali Congregatione a nonnullis acceptatæ. 507. tres earum tantum receptæ. 514.
Propositio de monitis Episcoporum proscripta. 69.
Purgatorium, de eo Græcorum opinio. 354. consentiunt cum Latinis. 457.

R.

Ragusius Joannes a Cardinale Juliano Synodi Præses nominatus. 3. contra Bohemorum Deputatos disputat. 78. Rochisana eidem respondet. 80. a Basileensibus Constantinopolim deputatus. 212.
Ratisbona, ad comitia hujus urbis quidam a Basileensibus missi. 161.
Renatus Andegavensis a Joanna Neapolis Regina adoptatus. 182. a Burgundo liberatus. 183. Neapolis Rex. 183. liber dimissus. 317.
Reservationes Beneficiorum abolitæ. 230.
Retius Mareschallus laqueo suspensus ac combustus. 616.
Richemundius Conneſtabilis, conspiratio adversus eum. 608.
Rochisana, nomine Cleri a Bohemis ad Basileenses deputatus. 47. Cardinali Juliano respondet. 74. quatuor suorum articulos tuetur. 80. ad Cæsaris pedes provolvitur. 241. Cæsar ei Archiepiscopatum Pragensem promittit. 241. Papa confirmationis diplo-

diploma denegat. 245. Ejus petulantia. 312. tumultus novos in Bohemia molitur. 357.

Roſemberg Bohemiæ gubernator a Baſileenſibus ſubſidia adverſus Huſſitas petit. 659.

S.

Sabaudiæ Dux, vide *Amadæus*, ejus Oratores cum Burgundis de prærogativa ſedendi contendunt. 94.

Sacramenta Eccleſiæ in decreto unionis explicata. 556.

Sbigneus Cracovienſis Epiſcopus imperterrite minas Regis ſpernit. 66. Bohemorum Legatos ſacris interdicit. 66. tam ab Eugenio, quam a Felice Cardinalis creatus. 552. tandem Antipapam agnoſcit. 659.

Scoti Felicem V. pro Pſeudo-Pontifice habent. 592.

Scholarius, vide *Georgius*.

Securitatis literæ Bohemis datæ ad Concilium Baſileenſe. 48. eisdem a Cæſare conceſſæ. 51.

Segovienſis. Vide *Joannes*.

Seminarium Clericorum ab Eugenio Florentiæ inſtitutum. 237.

Sforția Roma auffugit. 71. ejus reſponſum ad Cardinalem S. Crucis. *ibid.* Romam invadit. 144.

Sigismundus Imperator Bohemis ſecuritatis literas dare rogatur. 51. Baſileenſem Synodum tuetur. 63. viciſſim a Baſileenſibus honora-

honoratur. 83. Papam, ut Synodo adhæreat, rogat. 85. Papæ reſponſum. 86. Eugenio reconciliatur. 97. Romam ingreditur. 98. a Papa coronatur. 99. Baſileenſes a ſententia contra Papam abſterret. 105. Synodum continuari rogat. 113. Baſileam revertitur. 120. Turcarum Legatos excipit. 125. comitia Ratisbonæ agit. 161. ad Bohemorum Huſſitarum converſionem plurimum confert. 163. 164. ſe a Synodo contemni conqueritur. 163. Imperium reformare conatur. 217. pacta unionis cum Bohemis confirmat. 240. 242. Pragam ingreditur. 243. perperam ſugillatur. 244. Baſileenſium inſolentias adverſus Eugenium ægerrime fert. 301. Ejus obitus. 313. Illius Conjux ad ſecundas nuptias adſpirat. 314. Albertus II. ejus gener Imperii ſucceſſor. 315.

Sorbulus Cretenſis mire Brixienſi urbi ſubvenit. 417.

Stephanus Columna bellum in Eugenium movet. 116.

Suecia, vide *Ericus*. Suecorum Præſules Felicem Pſeudo-Papam anathemate percellunt. 593.

Symbolum fidei in Ferrarienſi Synodo recitatum. 390. in Concilio Florentino promulgatum. 556.

Taren-

T.

Tarentinus Archiepiscopus Eugenii Papæ Legatus. 134. a Basileensibus inique vexatus. 278. 282.

Thomas, vide *Kempis*.

Thomas Corsellis ejus oratio adversus Eugenium Papam. 493. Basileenses tuetur. 647.

Trapezuntinus Imperator Papam divexari dolet. 169.

Tudeschi, vide *Panormitanus*.

Turcæ Legatos mittunt ad Sigismundum Cæsarem. 125. ab Hungaris cæsi. 219.

Typographiæ inventum. 621. quis primus illius inventor. 622. quinam primi libri typis impressi. 624.

U.

Veneti, ablata reddere jubentur. 216.

Vicelianensis Abbas primus ad Basileense Concilium confluit. 2.

Visitatio B. V. de ejus festo decretum. 652. 653. dubium de auctoritate hujus decreti. 652.

Vitelleschus Alphonsum Italia pellit. 236. statua eidem a Romanis erecta. 236. Ejus victoriæ adversus Alphonsum. 415. inducias cum eo inire simulat. 415. a Papa Cardinalatu exuitur. 604. captus, ac mortuus. 605.

Unionis decretum Græcorum cum Latinis, alter-

altercatio de modo illud conficiendi. 459.
unio cum Armenis & Jacobitis. 556. 637.

Universitatis Parisiensis Deputati Basileam veniunt. 3.

Universitas, in qualibet duo Professores linguarum Orientalium habeantur. 152.

W.

Westphaliæ judicium. 485

Wladislaus, vide *Jagello.*

Wisemburg a Maynardo ad exercitus Bohemi imperium selectus. 154.

Z.

Zonyma urbs in Moravia, ubi Sigismundus Cæsar obiit. 314.

ERRRATA sic corrige:

Pagina.		
12.	debitæ - -	debite
80.	efficerent -	efficerent
92.	Colluſiones -	Colluſionis
94.	allegarunt -	ablegarunt
108.	at - -	aut
141.	Seſone - -	Seſſione
Ibid.	decretra - -	decreta
176.	Seſſionem vigeſimam tertiam	*deleatur* tertiam
236.	Agibatur - -	Agebatur
237.	plæclara - -	præclara
240.	querere - -	quærere
250.	indiſſet - -	induiſſet
283.	Venetos - -	Venetiis
311.	ſpecie vini -	*adde* Sanguis
327.	*reputat* - -	*reputant*
413.	offerebatur. ut -	offerebatur, ut præter
Ibid.	Provincias, ac -	*deleatur* ac
424.	notitia - -	notitiam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FLEURII
HISTORIA
ECCLESIASTI
TO. XXVII

Th
5178
1.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN